






DE COENA, ET CALICE DOMINI

Quo ad Laicos, & Clericos non celebrantes:


LIBRI TRES,

In quibus omnia, quæ ad hanc rem pertinent, ex antiquis recentioribusq; Theologis collecta, probè digeruntur, ac in examen uocantur, &, Hæreticorum explosis erroribus, orthodoxa fides asseritur.

Reuerendissimo GASPARE CASALIO Lusitano, Leiriensium Episcopo Auctore.

Rerum, & uerborum memorabilium Index.





CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS, M D LXIII.

EX OFFICINA IORDANI ZILETI.

S. D. N. PIO IIII. PONT. MAX.

Gaspar Casalius Lusitanus, Episc. Leiriensis S. P. D.

LIbros meos de Cœna, & Calice Domini quo ad laicos, aut clericos non celebrantes, in lucē emissurus, PIE IIII. Pont. Maxime, illud in primis curandum esse duxi, ut eos inuidiæ, obtrectationibusq; patētes, meoq; nomine parum fultos, perpetuo quodam quasi amuleto, ab omni uetustatis iniuria, & hostium quorumcunque rabie tectos, tutosq;, posteritatis memoriæ commendarem. Quod me assecuturum statim intellexi, si sacrosanctæ Amplitudinis tuæ nomen ipsis inscriberem, tuæq; eos Beatitudini consecrarem. Tu enim, Pontifex Sanctissime, Christiani nominis columē,

omnibus & auctoritatis, & fœlicitatis numeris cumulatus, ita emines, ut CHRISTI Seruatoris nostri in sublunari hoc Orbe uicem meritò gerens, maiestatis splendore, Principum omnium, qui supra humanum fastigium euecti sunt, ita oculos præstringas, ut tuum ferre illi obtutum nequeant, & summissis Christo fascibus, sponte ac æquo animo tuis S. pedibus aduoluantur, diuinisq; nutibus obtemperent. Quo fit ut quæ sub T. B. præsidio degunt, aduersi nihil possint reformidare. Quod uerum esse, ex his, quæ in dies usuueniunt, facilè intelligimus. Christianus siquidem grex licèt sæuientium undique luporum insidiis petatur, B. T. caula obseptus, & peruigili cura seruatus, semper tuta omnia uidit, uidetq;, adeò ut securus in utranque aurem, te excubante, dormire possit. Verùm nisi prouidentiæ dono talis, uereq; Pius, sapiens, ac bene in Christianam remp. animatus Pastor, afflictis planè rebus contigisses (stat enim Seruator noster promissis, qui ad Censoriam usque, & nouissimam diem, suis se præstò futurum pollicitus est) de omnium quasi salute penitus actum esse uidebatur. Vt ergo nostra hæc tuo numine augeantur, sacraq;, & inuiolata, non

ſolùm apud noſtræ ætatis homines, ſed apud poſteros etiam, permanere, ac ſupereſſe ualeant, B. T. dicare, mihi uiſum eſt operæ precium. Eo uerò libentius tibi do & dico, quòd cùm ex me, tui gregis particula, enata ſint, tanquam gregis fructus, tibi iure deberi intelligo. Quanquam autem B. T. ſacrarum literarum penitiora quæque loca peruadenti, uſui hæc eſſe nequeunt, aliis tamen non inutilia (niſi fallor) futura, abs te uero domino, in alios profluere ac dimanare debent. Huc accedit quòd cùm S. T. me plurimùm debere & intelligam & ultrò fatear, aliquod ſaltem præclaræ meæ uoluntatis edendum erat ſpecimen, atque argumentum. Siquidem cùm menſibus ſuperioribus B. T. ſanctiſsimos pedes & officij & pietatis ergò deoſculaturus Romam adueniſſem, qua re poſtea quàm Italiam attigi, nihil mihi antiquius fuerat; ita me, Pont. Maxim. ſeruulum tuum hilari fronte, gratoq; animo excepiſti, ut re ipſa, omnia fama, atque exiſtimatione maiora eſſe, mecumq; præclarè magis quàm antea unquam, ea die actum eſſe cognouerim. Cùm autem nulla alia, in præſentia ſeſe occaſio offerat, qua meam erga B. T. pietatem, ac gratitudinem poſsim præ me fer-

re, hac operis quanquam exilis nuncupatione, aliquid ut præstarem, adnixus sum. Maxima certè B. P. tibi, CHRISTI in terris uicem gerenti conueniunt, sed ego Græci illius, tenuioris fortunæ hominis, uerbis utar; μὴ κρῖνε τὴν τύχην σου σέβαστ᾽ εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν. Vale & munusculum hoc ea benignitate, qua me sanctissimis tuis aduolutum pedibus excepisti, prosequere. Tridenti, nono Calend. Septemb. M D LXIII.

CAPITVM, QVAE HIS *libris continentur*, *Elenchus*.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

Indicis Capitum Finis.

INDEX RERVM, ET VERBORVM memorabilium, quæ his Reuerendissimi Gasparis Casalij libris continentur.

A, chartæ frontem. B, tergum, significat.

Consue-


F

G

H

I

Indicis Rerum memorabilium finis.



REVEREND. GASPARIS CASALII LVSITANI,


EPISCOPI LEIRIENSIS,

De Cœna, & Calice Domini quoad laicos, aut clericos non celebrantes,

LIBER PRIMVS.

Proponuntur quinque concluſiones ad noſtram ſacram cœnam dominicam pertinentes, quæ in toto hoc primo libro explicantur, & demonſtrantur.

CAPVT PRIMVM.



V'm iuxta articulos quoſdam nobis propoſitos, de Calice Domini, quantũ ad Laicos, aut etiam Clericos non celebrantes pertinet, eodem Domino cœptis aſpirante, diſſertatio noſtra futura ſit; qui Calix maximè, citraque controuerſiam, ad dominicam cœnam ſpectat; operæprecium uiſum eſt, de ea primùm ſcribere, explicareque ac oſtendere nonnulla, quæ in ipſa præcipua habentur; quibus cognitis, eadem non ſolùm notior, plauſibilior, gratior, clariorque redditur, ſed & ueneranda magis magisque tremenda.

Hæc autem ſunt, ipſius ſignificatio, continentia (ſic enim noſtri dicunt Theologi) modus cõtinentiæ, debita adoratio, ſeu ratio adorationis, & permanens ſanctitas, aut permanentia ſanctitatis. Horum ſiquidem oſtenſionem ex diuinis ſcripturis, ſanctiſque patribus, qui ante nos iam inde ab exordio Chriſtianæ naſcentis Eccleſiæ in humanis fuerunt, neſſariam duximus, ualdeque utilem ad multa, & ea quidem grauiſsima. Primùm, ut eorum ora obſtruantur, qui terrena duntaxat rerum ſapientia præditi, minuſque cœleſtia aſſequuti, â noſtra ſacratiſsima cœna amouere contendunt uel realem Chriſti exiſtentiam, ſeu præſentiam, corporalemque continentiam, ut Caluinus; uel permanentem ſanctitatem etiam extra ſumptionem, aut communionem, ut Bucerus. Deinde, quia his noſtræ ſacræ cœnæ dotibus præcipuis, prærogatiuiſque oſtenſis, hoc fortaſſe, Deo Optimo Maximo opem ferente, efficiemus, ut dignitatem, celſitudinem, maieſtatem, diuinitatemque eius agnoſcentes, eiuſdemque ſignificationem, continentiam, modum continendi, rationem adorandi, ſeu debitam adorationem, aut uenerationem, permanentemq; ſanctitatem intelligentes, contenti ſimus, ſi de illa uel tantillum, huius uel alterius ſpeciei ſumamus. ex qua accipimus, non ad corporalem ſaturitatem, ſed ad ſanctitatem, ut Nicæni Concilii patres iam ante multos annos animaduerterunt. Vt autem in huiuſmodi prærogatiuis oſtendendis, explicatius procedamus: de noſtra dominica Cœna ſequentes concluſiones ſtatuimus, quas hoc libro primo probare, uerasque proculdubio eſſe, pro uiribus oſtendere enitemur.

Conclusio prima.

SACRAMENTVM Euchariſtiæ, quantum ad ſpeciem panis, uerum Chriſti corpus, quantum uerò ad ſpeciem uini, uerum Chriſti ſanguinem ſignificat.

Conclusio ſecunda.

SACRAMENTVM Euchariſtiæ uerè, atque realiter continet corpus, & ſanguinem Chriſti, ſecundum eius ueram, atque realem præſentiam & exiſtentiam.

Conclusio tertia.

CORPVS Chriſti, eſt in ſacramento Euchariſtiæ per conuerſionem ſeu transſubſtantiationem ſubſtantiæ pānis in ipſum.


Conclusio quarta.

CORPVS Chriſti in ſacramento, eſt quidem manducandum, non autem ſolùm manducandum, ſed & adorãdum.

Conclusio quinta.

NOSTRA cœna, eſt permanens in ſe, & in ſua ſanctitate, etiamſi per annum non ſumatur.

Concluſionem primam, ueram eſſe, & Euchariſtiæ ſacramentum, Chriſti corporis ſignũ eſſe, omnes fateri, demõſtratur. CAP. II.



Rimam hanc concluſionẽ omni procul amota altercatione, ita omnes ueram eſſe fatemur, ut ex iis, qui diuinas noui Teſtamenti ſcripturas recipimus, qui eam reiecerit, nullus exiſtat. Ex quo enim ſacerdos legitimè ordinatus, dicit in perſona Chriſti hæc eius uerba,

Matth 26. Mar. 14. Lucæ 22. Innocen. c. Cũ Martha. De celebr. Miss. lib 4. Dist. 8.9. 10.

Tertull cõtra Marcionem. lib. 4.

August. cõtra Adimantum cap. 12. tom. 6. Et in præfatione in psal. 30.

lib. 4. dist 1.

August. Epist. 23. ad Bonif. De consecrat. distinct. 2. c. Hoc est.

Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, &c. Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti, &c. statim species panis, & uini, sine dubio Seruatoris Christi corpus & sanguinem representat. Vnde hanc ueritatem confitetur tota nostra schola Christiana in libris sententiarum: & illam etiam confitentur nostri huius temporis aduersarij, Caluinus, Bucerus, Oecolampadius, & alij sine discrimine; adeo ut de hac conclusione, prorsus nulla sit controuersia. Sacramentum igitur Eucharistiæ, est signum, symbolumque, & quodam modo typus corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi: nec est, unde aliquis de huiusmodi ueritate posit ambigere. Ex quo enim sacra Eucharistia, est corporis, & sanguinis Domini sacramentum, eo ipso est corporis & sanguinis Domini signum: quandoquidem sacramenta omnia, sunt signa earum rerum, quarum sunt sacramenta: & omne sacramentum, signum quoddam est. Constant hæc ex libris sententiarum, ex illa præsertim parte, in qua sacramentum definitur, & sacramenti ponuntur definitiones. constat etiam ex Augustino dicente, Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, utique sacramenta esse non possent.

Conclusio secunda, qua dicitur sacram Eucharistiã, realiter corpus, sanguinemque Christi continere, ex sacræ Scripturæ auctoritate, ex Iacobi fratris Domini, Clementis Martyris, Dionysii Areop. Irenei, Iustini, Hilariique dictis astruitur. CAP. III.



Ecundam conclusionem, uidelicet, quòd Sacramentum Eucharistiæ, uerè atque realiter contineat corpus, & sanguinem Christi, secundum eius ueram atque realem præsentiam, & existentiam, non minus omnes sancti patres, totaque Ecclesia Christiana simul, semper habuerunt notissimã; ut sacra Eucharistia sit quidem signum corporis, & sanguinis Domini, quemadmodum habet cõclusio præcedens, & simul sit contentiuum corporis, & sanguinis Domini, ut dicit conclusio præsens;

uidelicet ut ſacra Euchariſtia non ſolùm corpus, & ſanguinem Domini ſignificet, ſed etiam corpus, & ſanguinem Domini realiter contineat: vt corpus & ſanguis Chriſti in illa non ſolùm tanquam in ſigno, ſed etiam tanquam in continente exiſtat. Ad hanc ueritatem ſpectant in primis illa uerba Domini, quæ ſuperius poſuimus, Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait illis, Sumite, Hoc eſt corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis; & biberunt ex illo omnes, Et ait illis, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens, Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro uobis fundetur. Amen amen dico vobis, Niſi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi uobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit, Accipite, & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquàm cœnauit, dicens, Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem. &c.

Matt. 26. *Mar. 14.* *Lucæ 22.* *Ioan. 6.* *1. Cor. 10.* *1. Cor. 11.*

Ibid. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Hæc diuina eloquia talia sunt, talique modo fuerunt semper accepta à patribus omnibus in Ecclesia Christiana, ut per ea intelligerent omnes illi, in sacra Eucharistia, & sub illa, uerè ac realiter contineri uerum Christi corpus, & sanguinem. Omnes, inquam, id est, tum ut singuli particulariter scribentes, tum ut omnes in uniuersalibus conciliis diffinientes. Vt autem ista conformis omnium patrum & sententia & intelligentia, uerissima, & antiquissima, omnibus innotescat, placet dicta eorum hîc referre, quantum ad propositum ostendendum, ac manifestè commostrandum, satis esse uideatur.

IACOBVS frater Domini.

Iacobus frater Domini secundum humanitatem, in sua Liturgia exprimens modum, quo fit consecratio corporis Christi Domini nostri in Eucharistia sacratissima, dicit, Rogamus, ut Spiritus sanctus tuus adueniens, sancta, bona, atque gloriosa eius præsentia sanctificet, & faciat hunc quidem panem, corpus sanctũ Christi tui, & calicem hunc, preciosum sanguinem Christi tui. Hæc ille. Ecce celebrando petebat, panem fieri Christi corpus, & calicem fieri preciosum Christi sanguinem, sanctificatione atque operatione Spiritus sancti: quod certè fieri nequit nisi per transmutationem, seu transsubstantiationem. Quia panis non transit, nec potest transire in corpus Christi, aut uinum in sanguinem eius, nisi permutatione tali, ut ubi erat substantia panis sub accidentibus propriis, ponatur substantia corporis Christi sub accidentibus alienis. Huius *Can. 32.* Luturgiæ diui Iacobi, meminit Sexta Synodus; Similiter *Proclus,* & sanctus Proclus Episcopus. Meminerunt etiam Nico- *Nicolaus,* laus Methonensis Episcopus, & Marcus Ephesinus, cum *Marcus,* *Bessario.* Bessarione in Liturgia sua.

Idem diuus Iacobus agnoscens realem Christi existentiam in sacra Eucharistia post consecrationem, dicit in

epiſtola, Eccleſiæ Achaiæ, Omnipotenti Deo, qui uiuus, & uerus eſt, ego omni die ſacrifico: non thuris fumum, aut taurorum mugientium carnes, ſed agnum immaculatum quotidie in altari crucis ſacrifico, cuius carnes poſtea quàm omnis populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem biberit, agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & uiuus. Hæc ille. Ecce fatetur ſe quotidie ſacrificare agnum immaculatum, de cuius corpore cõmunicet, & de cuius ſanguine bibat populus fidelis, ipſo Agno, qui ſacrificatus eſt, integro perſeuerante & uiuo: & dicit ſe ſacrificare in altari crucis, quia id faciebat in repræſentationem, memoriam, & ſignificationem illius ſacrificij in cruce peracti, in quo Agnus idem immaculatus non manſit uiuus, ſed ad tempus fuit mortuus, & poſt triduum reſurrexit. Epiſtolam autem hanc ante annos quadringentos citarunt Sanctus Vuolphelmus Abbas, & Bernar. ſeu Renanus, cum Algero. Sed & auctor libelli De duplici Martyrio, eius meminit. *Vuolphel. Bernar. Algerus.*

CLEMENS Martyr.

Clemens Martyr, ſimili modo dicit, Rogamus te, ut clementer inſpicias hæc propoſita coram te munera, tu nullius indigens Deus, & in eis bene complaceas, ad honorem Chriſti tui, & mittas Spiritum ſanctum tuum, teſtem paſsionis Domini noſtri IESV Chriſti ſuper hoc ſacrificio, qui hunc panem corpus Chriſti, & hunc calicem ſanguinem Chriſti tui efficiat. Hæc ille. Ecce orat, ut per Spiritum ſanctum, panis efficiatur corpus Chriſti, & calix efficiatur ſanguis eius in Euchariſtia. Sãctum autem Clementem Liturgiam ſcripſiſſe, affirmat beatus Proclus Archiepiſcopus Conſtantinop. ſimiliter & Nicolaus Methonenſis Epiſcopus, cum Marco Epiſcopo Epheſino, in Liturgia ſua.

DIONYSIVS Areop.

Dionyſius Areop. Martyr, de hoc altiſsimo ſacramen-

to loquens, uerbis utitur, quæ soli Deo dignè attribuuntur; & in eis satis patet eum sensisse, Dominum nostrum Iesum Christum in sacramento hoc realiter, sed opertum speciebus panis & uini, contineri. Dicit enim in De ecclesiastica Hierarchia, agens de Eucharistia sacra, At uerò pontifex cum diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta, & augustissima mysteria conficit: & quæ ante laudauerat, uenerandis operta, & abdita signis, in conspectu agit; diuinaque munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos ut communicent, hortatur. Infrà, Describit enim Pontifex in his fermè sensibiliter muneribus, in conspectu dans Christum Iesum, nostram spiritalem ut in imaginibus uitam, ex diuinitatis occultè perfecta, & in confusa nostræ mortalitatis assumptione clementissimè proprietatem ex nobis accepisse: atque ad diuisibile nostrum sine mutatione sui ex unitate naturali processisse. Per hanc beatificam clementiam ad participationem sui, suorumque bonorum inuitare genus humanum. Si tamen ipsius clementiæ inseramur, ipsam quantum fas est imitando. Sicque ueraciter consortes Dei, diuinorumque participes efficiamur. Hæc ille secundum quandam translationem. In quibus satis constare uidetur, eum sensisse, Christum Dominum nostrum in sacramento Eucharistiæ realiter contineri, quanuis opertum speciebus panis, & uini. Vnde hæc sunt nomina, quibus idem sanctus Christum in Eucharistia realiter existentem agnoscens, eam nominabat Sacrosancta & augustissima mysteria. Venerandissima mysteria, Cœleste mysterium, Sanctas mysteriorum consecrationes, Oblationē sanctissimi sacrificij. Qui talia Epitheta, sacro sanctæ Eucharistiæ tribuebat, & de illa talia quædam diuina prædicabat, ut statim posuimus, non dubium, quin in illa Saluatorem nostrum crederet realiter existere.

De eccles. Hierar. cap. 3. In episto. ad Demophilum. Est episto. 8.

IRENEVS Martyr.

Liber. 4. cap. 32. Dicit Ireneus contra Valentinum & alios sui temporis hæreticos, Sed & suis discipulis Christus dans consilium

primitias

primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem &c. Ecce asserit quòd Saluator noster confessus est eum calicem, quem in manibus accepit, benedixit, consecrauit, & Apostolis dedit, esse suum sanguinem. Idem auctor, Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, idest, Verbum eius? per quod lignum fructificat, defluũt fontes, &c. Hæc ille. Ecce eis, qui dicunt, Christum esse Filium fabricatoris mundi, idest, Verbum eius, constat eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem ipsius. Idem auctor credens, atque explicans in sacra Eucharistia post consecrationem esse uerum Christi corpus & sanguinem, dicit iterum, Quando ergo & mistus calix, & fractus panis, percipit uerbum Dei, fit Eucharistia corporis, & sanguinis Christi ex quibus augetur & consistit nostræ salutis substantia: quomodo negant carnem capacem esse donationis Dei, qui est uita æterna, quæ & sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius fit? Hæc ille. Idem auctor Valentini refellens hæresim, carnis salutem abnegantis, & animam carne Christi cœlesti in spem uitæ æternæ educari affirmantis: ostendebat ali non animas solas carne Christi, & sanguine materiali, sed homines: unde fieri non posse colligit, ut corpora uideant interitum. Et ex communione sacræ Eucharistiæ nostram indicans resurrectionem, dicebat, Offerimus autem Christo, quæ sunt eius, congruenter communicationem, & unitatem prædicantes, carnis, & spiritus. Quemadmodum enim qui à terra est panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis est panis, sed Eucharistia duabus rebus constans, terrena, & cœlesti; sic corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Hæc ille. Quibus

lib 4. cap. 34.

lib. 5.

manifestè asserit, quòd ubi panis perceperit illud uerbum Dei, Hoc est corpus meum. desinit esse panis communis, & fit Eucharistia duabus rebus constans, terrena, & cœlesti. Quid multa opus est ex Ireneo adducere? ea res profectò documento esse debet omnibus, Ireneum credidisse, in sacra Eucharistia uerum corpus, & uerum sanguinem Christi realiter contineri, quòd omnibus locis, corpora nostra ali, augeri, carneque, & sanguine Domini subsistere, & per hoc hominem in spe resurrectionis confirmari affirmat. Ait enim, sicut paulò ante incipiebamus dicere, Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, idest, Verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, & dat primùm quidem fœnum, post spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere uitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Hæc ille. Et paulò post, Ergo, aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo, quæ prædicta sunt. Nostra autem est con sonans sententia, Eucharistiæ; & Eucharistia rursus confirmat nostram sententiam. Offerimus enim quæ sunt eius, congruenter communicationem prædicantes carnis, ac Spiritus. Hæc ille. Docet igitur non occultè sed manifestè, quòd sicut per incarnationem Filij Dei, carni diuinitas est unita; sic per benedictionem, & consecrationem, in sacra Eucharistia res terrena cum cœlesti cohæreat.

IVSTINVS Martyr.

Apologia 2. Præclarus Christi Martyr Iustinus, in sua Apologia pro Christianis, De Missæ celebrandæ ritu, & ad nostrum propositum præsens dicit inter alia, Atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur, qua nemini alij participare licet, nisi ei, qui & uera esse credidit, quæ nos docemus, & expiatus est lauacro, quod in remissionem peccatorum regenerationemque datur, & ita uiuit, ut Christus tradidit. Neque enim hæc ut communem usitatumque panem, usita-

tamque potionem capimus: sed quemadmodum per Dei uerbum homo factus IESVS Christus conseruator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit; sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecutus est, ex quo sanguis carnesque nostræ commutatione aluntur, IESV Christi eius, qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus. Apostoli enim in commentariis suis, quæ Euangelia dicuntur; ita sibi IESVM præcepisse tradiderunt, eum accepto pane, cùm gratias egisset, dixisse, Hoc facite in memoriam mei. Hoc est corpus meum. Dixisse etiam, accepto poculo, cum egisset gratias, Hic est sanguis meus. sibiq; solis dedisse. Hæc ille. Ecce inquit, luce ipsa meridiana clarius, cibũ, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, ex quo sanguis carnesque nostræ commutatione aluntur, accepimus IESV Christi eius, qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse. Quomodo? Quẽadmodum, inquit, per Dei uerbum homo factus IESVS Christus conseruator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit.

HILARIVS.

Hilarius in de Trinitate, fidem, modum esse docet obtinẽdæ naturaliter uitæ; sed Eucharistiam ipsius uitæ substantiam habere fatetur; idque ita probat, Non pro eis tantùm rogo, sed pro eis, qui credituri sunt in me. Honorem, quem dedisti mihi, eis dedi, ut unum sint, sicut & nos unum sumus: ego in eis, tu in me, ut sint omnes consummati in unum. Intelligit enim Hilarius sacramenti manducatione, hunc Apostolis honorem datum fuisse, ut unum carne essent cum ipso naturaliter: tanquàm doceat carnis communionem, reuera nobis non dari, sine carnis manducatione, quamuis baptismo, Spiritum sanctum, uimque resurrectionis, Spiritus infusione susceperimus. Verba eius sunt, Si enim uerè Verbum caro factum est, & nos uerè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, lib. 8.

qui & naturam carnis nostræ iã inseparabilem, sibi homo natus assumpsit, & naturã carnis suæ, ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis cõmunicandæ carnis, admiscui? Quis quis ergo naturaliter Patrẽ in Christo negabit, neget prius non naturaliter uel se in Christo, uel Christũ sibi inesse; quia in Christo Pater, & Christus in nobis unũ in his esse nos faciunt. Si uerè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & uerè homo ille, qui ex Maria uirg. natus fuit, Christus est, nosque uerè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis; quomodo uoluntatis unitas asseritur, quin naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis? Hæc ille. Ecce sacra Eucharistia, est sacramentum perfectæ unitatis: ita etiam sicut declarat, ut communicantes de illa, uniantur Christo non solùm uoluntate, nec sola fide aut gratia alia tali, sed etiã per naturam: ob id uidelicet quòd ueram Christi naturam humanam sumunt sub sacramento, & cum illo.

Idem auctor Hilarius eadem ueritate defixus, subiungit paulò post, De naturali enim in nobis Christi ueritate, quæ dicimus, stultè atque impiè dicimus, nisi ab eo didicimus. Ipse enim ait, Caro mea, uerè est esca, & sanguis meus, uerè est potus: qui edit carnem meam, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et hæc accepta, & hæc hausta, id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Ecce quàm grauiter, quàm attentè, quãq; egregiè loquitur in hac re; ea ipsa grauitate uerborum, declarans hanc ueritatem. De naturali enim, inquit, in nobis Christi ueritate, quæ dicimus, stultè atque impiè dicimus, nisi ab eo didicimus.

Idem auctor Hilarius paulò post ait, Quòd autem in eo per sacramẽtum communicatæ carnis, & sanguinis simus, ipse testatur, dicens, Et hic mundus iam me non uidet, uos autem me uidetis: quoniam ego uiuo, & uos uiuetis; quoniam ego in Patre, & uos in me, & ego in uobis. Deinde, Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Non enim in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, eius tantùm in se assumptam habens carnem,

qui suam sumpserit. Hæc ille. Et paulò pòst, Perfectæ autem huius unitatis sacramentum superius iam docuerat, dicens. Sicut me misit Pater uiuens, & ego uiuo per Patrem; & qui me manducat, uiuit per me. Viuit ergo per Patrem, & quo modo per Patrem uiuit, eodem modo per carnem eius uiuemus. Omnis enim comparatio, ad intelligentiæ formam præsumitur, ut id de quo agitur, secundum propositum exemplum assequamur. Hæc ergò uitæ nostræ causa est, quòd in nobis carnalibus, manentem per carnem Christum habemus, uicturis nobis per eum, ea conditione, qua uiuit ille per Patrem. Hæc ille. Quibus non potuit ipse Hilarius dicere clariora pro ista ueritate; uidelicet de uera existentia Christi in sacramento Eucharistiæ, atque per illud in nobis secundum naturam suam humanam.

Eadem conclusio secunda, magis magisque, ex Cypriano, Cyrillo, Basilio, Eusebio Emis. Gregorio Nysseno, Damasceno, Chrysostomo, Gregorio Neoc. Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, Theophylato, & Bernardo fulcitur atque probatur. CAP. IIII.



Yprianus Martyr ueritatem eandem adstruit in Sermone De cœna Domini, ostendens uerum Christi corpus esse sub specie panis post cõsecrationem, Cœna, inquit, disposita inter sacramentales epulas, obuiauerunt sibi instituta antiqua, & noua: & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, in consumptibilem cibũ Magister apponit discipulis: nec iam ad elaborata impensis, & arte conuiuia, populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens: corporalis substantiæ speciem retinens, sed uirtutis diuinæ, inuisibili efficacia, probans adesse præsentiam. Et paulò post inquit, Significata olim tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius, summus Sacerdos panem profert & uinum, Hoc est, inquit, corpus meum. Et paulò post, Manducauerant, & *In sermone de cœna Domini.*

biberant de eodem pane ſecundum formam uiſibilem : Sed ante uerba illa, cibus ille communis, tantùm nutriendo corpori commodus erat, & uitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem. Hæc eſt caro mea. Hic eſt ſanguis meus. quotieſcunque his uerbis, & hac fide actum eſt, panis ille ſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis uitam, ſalutemq; proficit: ſimul medicamentum, & holocauſtum, ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens. Ecce fatetur, quòd ſacra Euchariſtia non eſt cibus communis, ſed eſt immortalitatis alimonia; & retinens ſpeciem corporalis ſubſtantiæ, uirtutis diuinæ, inuiſibili efficacia, probat adeſſe præſentiam: ad totiusque hominis uitam & ſalutem proficit, exiſtens ſimul medicamentum, & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates. Idem auctor, Quandiu cibi illi, qui ad diem feſtum erant parati, à conueſcẽtibus Apoſtolis ſumebantur, ueteris Paſchæ agebatur memoria. Nec dum Iudas ad ueterem uitam pertinens, diabolo inuadente, & occupante animam eius, egredi cogebatur. Sed ubi ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os, panis ſanctificatus intrauit, parricidalis animus, uim tanti ſacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exufflatus eſt. Et paulò poſt, Hoc ſacramentum aliquando corpus, aliquando carnem, & ſanguinem, aliquando panem Chriſtus appellat, portionem uitæ æternæ, cuius ſecundum hæc uiſibilia, corporali communicauit naturæ. Et paulò poſt, Panis iſte communis, in carnem, & ſanguinem mutatus, procurat uitam, & incrementum corporibus. Ideoq; ex conſueto rerum effectu, fidei noſtræ adiuta infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt, uiſibilibus ſacramentis, in eſſe uitæ æternæ effectum. Ecce panis iſte communis ante conſecrationem, in carnem, & ſanguinem mutatus per conſecrationem uerbo Chriſti, procurat uitam, atque incrementum corporibus; & uiſibili ſacramento ineſt uitæ æternæ effectus.

Matt. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 6.

Idem auctor manifeſtè paulò poſt, Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mu-

tatus, omnipotentia Verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas uidebatur, latebat diuinitas; ita sacramento uisibili, ineffabiliter diuina se infundit essentia: ut esset circa sacramenta religio, & ad ueritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus. Ecce panis, quem Dominus discipulis porrigebat, natura mutatus fuit, non effigie, & omnipotentia uerbi, factus est caro. Non potuit Cyprianus loqui magis clarè, aut magis exactè. Quibus non minus manifestè, nec minus gloriosè adiecit, quòd sacramento uisibili, ineffabiliter diuina se infundit essentia: sicut in persona Christi humanitas uidebatur, latebat diuinitas.

Idem auctor Cyprianus probans, seu indicans iuxta fidem, uerum Christi sanguinem contineri realiter, realiterque bibi sub speciebus uini consecrati, dicit, Noua est huius sacramenti doctrina, & scholæ Euangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & doctrinæ Christi primùm hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christi, cuius esum legis antiquæ auctoritas districtissimè interdicit. Lex quippe potum sangunis prohibet, Euangelium percipit, ut bibatur. Ecce in sacramento bibimus uerum, ac proprium sanguinem, qualem olim lex prohibebat bibi, aut edi; bibimus, inquam, per talem potationem, qualem olim prohibebat lex. Idest, non per spiritualem potationem solùm, de qua non ita curabat lex, sed per realem, & corporalem, per diuinum nostrum sacramentum: in quo realiter, & corporaliter Christum sumimus; hoc est, uerum eius corpus uerumque eius sanguinem: licet ipse Christus non sit in sacramento localiter, sed sacramentaliter, realiter, & præsentialiter. Addit Cyprianus in progressu orationis, In quibus mandatis hoc discernere debet Christiana religio, quòd sanguis animalium à sanguine Christi per omnia differens, temporalis tantùm habet uiuificationis effectum, ideoque ad obtinendam æternitatem non potest perficere, quod semel obrutum non surgit ulterius: Bibimus autē de sanguine Christi, ipso iubente; uitæ æternæ cum ipso, & per ipsum participes. Ecce sanguis animalium non habet effectum spi-

S. Tho. par. 3. quæst. 76. art. 5. Cyprian.

ritalem aut perpetuum, sed corporalem & temporalem: sanguis autem Christi habet effectum æternum. Vnde præcipimur de illo bibere, ut cum Christo & per Christum uitam æternam participemus.

CYRILLVS.

Ioan.15. Cyrillus in hac etiam est ueritate, qui pertractans ea Domini uerba, Ego sum uitis uera: clarissimè dicit, per communionem corporis, & sanguinis Domini, corporaliter Christum in nobis habitare, & participatione naturali in nobis esse, & non solùm per charitatem; quodque natura corporis nostri fieri nequit incorruptibilis, nisi Christus ei coniungatur. Quemadmodum, inquit, si quis igne liquefactam ceram, alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum uideatur: sic communicatione corporis, & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter natura hæc corruptibilis corporis ad incorruptibilitatem, & uitam traduci, nisi naturalis uitæ corpus ei coniungeretur. Idem

Idē auct. lib. 4. cap. 13. Ioan. 6. Cyrillus super Ioannem, ostendit quòd non sine magna impietate clamabant, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? docens quòd operum Dei ratio mentem nostram effugiat; & quòd Iudaicum uerbum est, Quomodo potest hic nobis, &c. Idem auctor in capite sequenti, asserit, corpus Christi uiuificare, Christumq; in miraculis edendis, sua carne usum esse, ut ostenderet corpus quoque suum uiuificare posse. Dicit enim, Quòd si solo tactu suo, corrupta redintegrantur, quomodo non uiuemus, qui carnem illam & gustamus & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatē suam, participes sui. Nec uelis Iudaicè, Quomodo, quærere, sed recordare quamuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis, frigiditatis suæ oblita æstuat. Hoc sanè modo etiam nos, quamuis propter naturam carnis corruptibiles sumus, participatione tamen uitæ, ab imbecillitate

Epist. ad Calosiriū Episc. nostra reuocati ad proprietatem illius, ad uitam reformamur. Idem, Nec dubites, an hoc uerum sit, eo manifestè dicente,

dicente, Hoc eſt corpus meum: ſed potius ſuſcipe uerba Saluatoris in fide; cum enim ſit ueritas, non mentitur.

BASILIVS.

Baſilius in ſua Liturgia manifeſtè ait, Attende Domine IESV Chriſte, Deus noſter, de ſancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & ueni ad nos ſanctificandos, qui ſupra cum Patre ſedes, & hîc inuiſibiliter uerſaris; & dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & precioſum ſanguinẽ, & per nos toti populo. Fac panem quidem iſtum, ipſum honorificum corpus Domini Dei, & Seruatoris noſtris IESV Chriſti. quod autem in calice iſto, ipſum ſanguinem Domini Dei IESV Chriſti, qui effuſus eſt pro mundi uita. Hæc ille. Quæ etiam in ſua Liturgia, quæ apud nos eſt, ita habemus, Ideo Domine ſanctiſsimè & nos peccatores, & indigni ſerui tui, qui conſtituti ſumus miniſtrare ſancto altari tuo, non propter iuſtitias noſtras (non enim fecimus quid boni in terra) ſed propter miſericordias, & miſerationes tuas, quos effudiſti ditaliter ſuper nos, confidentes appropinquamus ſancto altari tuo, & proponentes configuralia ſancti corporis, & ſanguinis Chriſti tui, te obſecramus, & te poſtulamus ſancte ſanctorum, beneplacita tua benignitate, uenire Spiritum ſanctum tuum ſuper nos, & ſuper propoſita munera iſta, & benedicere ea, & ſanctificare, & oſtendere panem quidem iſtum, ipſum honorificum corpus Domini, Dei & Saluatoris noſtri IESV Chriſti: quod autem eſt in calice iſto, ipſum ſanguinem. Domini Dei, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti, qui effuſus eſt pro mũdi uita. Hæc ille. Qui auctor in ſuis Moralibus docet ex multis illum locũ, Niſi mãducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c. de Euchariſtia intelligi. Vbi etiam in multis declarat, eum uerè, atque realiter manducare Chriſti corpus, qui ſacram Euchariſtiam ſumit. Petebat igitur Baſilius in ſuâ Liturgia, ad altare Domini ſtans, panéque, ac uinum offerens, ut Spiritus ſanctus adueniens ipſum panem, honorificum corpus Chriſti, & ipſum uinum, hono-

Lege ſanctum Amphil. de uita beati Baſilij.

Can. 32. 6. Synodi. tom. 3. Action. 6. Nicæn. Syno. 2.

Ioan. 6.

rificum sanguinem eius faceret; idque ita per consecrationem in uerbo Domini ipsius existimabat fieri, & firmiter credebat, ut qui post consecrationem de Eucharistia sacra sumeret, ipsum Christi corpus & sanguinem uerè atque realiter participaret. Quamobrem idem auctor mirabilem effectum consecrationis recognoscens, & realem præsentiam Christi in Eucharistia firmissimè credens, dicebat, O' miraculum, ò Dei nimia beneuolentia, qui sursum sedet ad dexteram Patris, sacrificij tamen tempore manibus hominum continetur. Similia uerba ponuntur infra ex Chrysostomo in De sacerdotio.

Refert Gabr. super cano. lect 39. litera K. lib. 3.

EVSEBIVS Emissenus.

Eusebius Emiss. etiam manifestè dicit, Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necessarium erat, ut in die cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret: ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in precium: ut quia quotidiana, & indefessa currebat pro omnium salute redemptio, perpetua esset redemptionis oblatio: & perennis uictima illa uiueret in memoria, & semper præsens esset gratia. Et sequitur, Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui auctor est muneris, ipse etiā testis est ueritatis. Nam inuisibilis sacerdos, uisibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui uerbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et sequitur, Nouum tibi & impossibile esse non debet, quòd in Christi substantiam terrena, & mortalia conuertuntur.

De consecratione distinct. 2. Quia corpus.

Euseb. de corpore et sanguine Domini.

Emissenus itaque in sermone De Corpore Domini ait, Quanta itaque & quàm celebranda uis diuinæ benedictionis operetur, quomodo tibi nouum & impossibile uideri non debeat, quòd in Christi substantiam, terrena & mortalia commutantur, teipsum qui iam in Christo es regeneratus interroga. Item quando benedicendæ uerbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequàm inuocatione sui nominis consecretur substantia,

illhic est panis, & uinum; post uerba autem, corpus & sanguis.

Ecce inuisibilis sacerdos, Saluator utique noster, nobis in hoc sæculo uiuentibus inuisibilis, uisibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui uerbo suo, secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum; Ecceque terrena & mortalia, in Christi substantiam commutantur. Nihil Emiss. potuit dicere magis apertè.

Gregorius Nyssenus.

Grego. Nyssenus, uir & doctrina, & uitæ sanctitate excellens, in Cathechetico suo sermone De diuinis sacramentis, ita dicit pro hac ueritate. Rectè igitur & nunc panem diuino uerbo sanctificatũ, in corpus Dei uerbi transmutari credimus. Nam & illud corpus (intelligit autem corpus assumptum ex Virgine) panis potentia erat, sanctificatus uerò fuit habitatione uerbi in carne habitantis, à quo ita panis, qui in illo corpore erat, transsubstantiatus fuit in diuinam potentiam; per eum nunc quoque æqualiter fit: & ibi enim gratia Verbi sanctum fecerat illud corpus, quod ex pane consistebat. Et illud quodãmodo etiam panis erat, & hic similiter panis, quẽadmodum Apost. ait. sanctificatur per uerbum Dei, & orationem, non comestionem, ad hoc procedens, ut corpus Verbi fiat, sed mox ad corpus per uerbum transmutatur, quemadmodum ab ipso Verbo dictum est, Hoc est corpus meum. Ecce manifestè dicit, corpus Christi sanctificari per uerbi inhabitationem, & panem ad corpus Christi per uerbum Dei trãsmutari. De proprio corpore Christi dicit quòd, potentia, panis erat, quia pane constabat. Videlicet iuxta Arist. doctrinam, secundum quem magistrum, Alimentum primò quidem dissimile, postea uerò simile fit eius cuius est alimentum. Nec possumus ullo modo dubitare de mente huius doctoris, cùm ipse manifestè asserat, Saluatorem nostrum in cœna, uerè, atque realiter obtulisse seipsum sub speciebus panis, & uini, quasi in eo suos aduersarios præ-

ueniret, per quorum manus seipsum sequenti die in propria specie obtulit. Hanc ueritatem ponit etiam idem auctor in lib. de Mistica uita Mosis, ubi ait, Is igitur mirabilis sine agricultura panis, uarietate qualitatis ad suscipientium habitudinem, uirtutem suam commutat; nam cum sit panis, ignorat labefieri, sic in carnem uertitur, &c.

DAMASCENVS.

cap. 23. Damasc. in suo lib. Sententiarum, ad hanc eadem ueritatem dicit, Non est panis figura corporis, & sanguinis Christi. Absit, sed ipsum corpus Christi Deificatum. Hoc habemus ab ipso Domino dicente, non, Hoc est figura corporis, sed Ipsum corpus meum: & non figura sanguinis, sed ipse sanguis meus. Hæc ille. Quæ ipse non ita asserit, quasi neget sacramentum Eucharistiæ significare corpus Christi uerum; nec quasi neget, corpus Christi uerũ, significare etiam aliquo modo corpus Christi mysticum: sed ut explicaret in hoc diuino sacramento nõ esse solùm Christi figuram uel imaginem, immo esse etiam ipsum propriũ Christum secundum realem existentiam, suum proprium corpus, suumque proprium sanguinem. Idem auctor, Carbonem, inquit, uidit Esaias. Carbo autem simplex non est, sed unitus igni: sic panis communionis, non panis simplex est, sed unitus diuinitati. Carbo hic combusit peccata nostra, & illuminat corda, ut participatione diuini ignis igniantur & deificentur. Subleuat & spei nostræ fiduciam tam familiari sua ad nos coniunctione, & aduentu.

lib. 4. cap. 14. Damasce. etiã lib. 4. de Orthodoxa fide. cap. 19.

CHRYSOSTOMVS.

Ioannes Chrysost. in multis locis hanc ueritatem & expressè & satis latè suffulcit, ex quibus placet nonnulla huc eius dicta transferre. Is auctor gloriosus ostendens, in sacramento altaris esse uerum Christi corpus secundum realem existentiam, illud uidelicet, quod ex Virgine natum est, à Iudæis neci traditum, in cœlum euectum, & quod

ab Angelis adoratur, dicit, Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & uiri impij & Barbari; tu non in præsepi, sed in altari: non mulierem, quæ in fasciis teneat, sed sacerdotem præsentem, & Spiritum super proposito sacrificio abundè diffusum uide. Dum in hac uita sumus, facit ut terra nobis cœlum sit, hoc mysterium. In cœlis regium corpus, quod nunc tibi in terra uidendum proponitur. Non Angelos, non Archangelos, non cœlos cœlorum, sed ipsum omnium dominum ostendo. Animaduertis quod omnium maximum est, atque præcipuum, in terra non conspicaris solùm, sed tangis: neque solùm tangis, sed comedis, & eo accepto domum redis. Idem auctor, Hæc mensa uicem explet præsepis, in quo natus est Christus. Nam & hîc ponitur corpus dominicum, non quidem fasciis inuolutum, sicuti tunc, sed undique Spiritu sancto conuestitum; qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur. Idem auctor, Quando mysterium propositum fuerit, dic tecum, Hoc corpus, Sol crucifixum uidens, radios auertit: propter hoc, uelum templi scissum est, & petræ, ac terra uniuersa tremuit. Hoc idem corpus cruentatum, lancea uulneratum, fontes sanguinis uniuerso Orbi salutares scaturiuit: & ipsum corpus in supremum thronũ extulit, quod etiam nobis exhibuit: & ut teneremus, & ut manducaremus, quod maximum signum dilectionis est. Idem auctor in De sacerdotio, O miraculum, ò Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium (seu alias hominum) manibus pertractatur: ac se tradit uolentibus illum accipere, & complecti: fit autem nullis præstigiis, sed apertis & intuentibus omnium circunstantium oculis. Idem auctor, Recolite quia illius corpus est & sanguis, qui supra cœlos residet, qui ab Angelis suppliciter adoratur. Illius, inquam, qui proximè assistit immortali Dei potétiæ: huius delibamus sanguinem, & proprium corpus nobis sumendum tradidit. Idem auctor ad populum Antiochenum, Helias Meloten discipulo, Filius autem Dei ascendens, suam nobis carnem reliquit; sed Helias quidem exutus, Christus autem ascendens, & eam nobis reliquit, & ipsam habens ascen-

Hom. 24. 1. Corin.

Homilia de S. Philogonio.

Idem ferè homil. 7. in Matth.

lib. 3. tom. 5.

Homil. 3. ad Ephe.

Homil. 2. tom. 5.

Homil. de diuitiis, & paupert. dit. Idem alibi, Helias uestem ouillam dimisit discipulo, Filius uerò hominis ascendens, suam ipsius carnem nobis
Homil 83. reliquit. Et super Matth. Veniat in mentem tibi, quò honore honoratus sis, qua mensa fruaris. ea nanque re nos
Homil.60. alimur, quam Angeli uidentes tremunt: nec absque pauore propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt. Idem iterum ad populum Antioch. Quod Angeli uidentes horrescunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi corpus & anima. Idem ad eundem populum Antioch. Quotquot huius corporis participes efficimur, quotquot sanguinem degustamus, cogitemus quòd illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, degustemus.

Homil.83. Idem auctor super Matthæum, Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensu nostro, & cogitationi absurdum esse uideatur, quod dicit. In omnibus, & præcipuè in mysteriis ita faciamus: non illa, quæ ante nos iacet solum modò aspicientes, sed uerba quoque eius teneamus. Nam uerbis eius defraudari non possumus, sensus uerò noster deceptu facilis est; illa falsa esse non possunt, hic sæpius ac sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum. nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Idem ad
Homil.60. populum Antiochænum, Non solùm præ oculis posita respiciamus, sed ipsius uerba contineamus, Ipsius sermo infallibilis est, sensus autem noster seduci facilis: ille nunquam decidit, hic autem ut plurimum errat. Quoniam igitur uerbum dicit, Hoc est corpus meum, & pareamus, & credamus, & oculis intellectualibus ipsum intueamur.
Homil.51. Idem super Matthæum, Qui dixit, Hoc est corpus meum. & rem simul cum uerbo confecit. Et ad populum Antio-
Homil.61. chænum, Vnum corpus sumus, & membra ex carne, & ossibus eius. Sequamur autem initiati quæ dicuntur. Vt ergo non tantùm per charitatem hoc simus, uerùm & ipsa re in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur, quam largitus est: nobis uolens ostendere, desiderium, quod erga nos habet, &c. Vide cap. 2. Volui frater esse uester,

carnem & sanguinem propter uos assumpsi, uicissim carnem uestram, & sanguinem per quæ cognatus uester factus sum, trado. Idem auctor super Ioannem, Vt autem non solùm per dilectionem, sed re ipsa in unam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis elargitus est. Et ad populum Antiochænum, Non satis fuit homo fieri, colaphis cædi & iugulari, uerùm & semetipsum nobis cōmiscet, & non fide tantùm, uerùm & ipsa re nos suum efficit corpus, &c. Idemque docet super Matthæum. *Homil.45.* *Homil.60.* *Homil.83.*

Præcedente uerò Homilia, Non sunt, inquit, humanæ potentiæ opera, quæ proposita sunt: qui tunc ea fecit in cœna, ipse nunc ea quoque operatur: nos ministrorum locum tenemus, qui uerò sanctificat, & ea mutat, ipse est. Et super epistolam ad Corinthios, Quomodo Paulus à Domino accepit? non enim aderat tunc, sed unus erat ex persecutoribus. Vt intelligas nihil plus illam mensam habuisse, quàm habeant hæ posteriores. Nam & hodie ipse est, qui operatur, & tradit, quemadmodum & tunc. In Homilia uerò De Proditione traditoris, & Sacramentorum traditione. Adest nunc quoque Christus, qui illam mensam fecit, ille ipse nunc etiam ornat. Non enim est homo, qui hæc munera facit corpus & sanguinem Christi: sed qui crucifixus est pro nobis Christus. Figuram quidem adimplens astat sacerdos, uerba illa pronuncians; potestas uerò, & gratia, tota Christi est. Hoc est corpus meum. ait. Hoc uerbum, res propositas transmutat. *Homil.82.* *Homil.27.* *1.Corin.*

Ecce nullo modo dubitare quispiam potest de sententia diui Ioannis Chrysostomi. Manifestè enim tradidit, & uerbo Domini probat, proprium Christi corpus quod fuit in præsepi olim, & modò est in cœlo, esse in sacramento altaris nostri. Quibus addit, quòd dum sacramentum huiusmodi sumimus, Christo incorporamur, atque unimur, non solùm modo communi omnium iustorum etiam paruulorum, uidelicet per fidem & charitatem: sed etiam modo speciali, idest, secundum rem ipsam; scilicet proprium Christi corpus in nobis recipientes, sicut discipulus Heliæ recepit meloten. Vnde pulchrè dicit, Helias meloten discipulo, Filius autem Dei ascendens, suam nobis

carnem reliquit: sed Helias quidem exutus, Christus autem ascendens, & eam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Quæ ut firmiter credamus, nobis proponit uerbum Dei dicentis, Hoc est corpus meum, atque eius infinitam potestatem.

Gregorius Neocæs.

Spectant eò Neocæsariensis Gregorij dicta, qui de hac re minus manifestè locutus est, ita tamen disseruit, Hoc enim, inquit, Dominus Christus tractauit, ut sicuti carnem, quam assumpsit, propria secundum naturam sanctificatione, ex sua unitione sanctificauit. Similiter etiam panem Eucharistiæ, ueluti ueram imaginem naturalis carnis, per sancti Spiritus aggressionem sanctificatum, diuinum corpus esse uoluit, illique sic placuit. Venit autem medius sacerdos, qui ex communi, sanctum id facit, sacra illa anaphora. Ecce non respuit preces consecrationis, nec negat uirtute uerbi pronuntiati, panem sanctificari ac mutari: immo asserit quòd Saluator noster, panem Eucharistiæ, ueluti ueram imaginem naturalis carnis, per sancti Spritus aggressionem sanctificatum, diuinum corpus esse uoluit. Vt non solùm imago sit diuini corporis, sed etiam Spiritus sancti aggressionem ipsum diuinum corpus contineat. Quam rem etiam ab exemplo manifesto declarat, ut sicut Christus ex sua unitione Deificauit carnem, quam assumpsit, uniendo illam diuinitati: simili modo præsentiam suam exhibendo pani Eucharistiæ, mirabili illa consecratione, eum suum corpus efficiat. His addit, dicens, Illique sic placuit. Hæc uerba Gregorij referens Nicolaus Villagagn. eques Rhodius in suo opere aduersus Richeri articulos Caluinianæ traditionis, contra ipsum Caluinum aut Richerum nihil posse manifestius dici, contendit.

Secūda synodi Nicænæ Sessione 9.

Nicolaus Villag. lib. 1. cap. 69.

Avgvstinvs.

Augustinus etiam multa admodum dicit in uariis locis, & ualde notanda, quæ ad hanc eandem sententiam longè

uerissimam, obfirmandam maximè pertinent; In libro enim sententiarum Prosperi ita habetur, Nos autem in specie panis & uini, quam uidemus, res inuisibiles, idest, carnem, & sanguinem honoramus. Nec similiter comprehendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem appræhendebamus. Cùm fideliter fateamur ante consecrationem esse panem & uinum, quod natura formauit; post consecrationem uerò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. In eodem libro. Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, uisibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri IESV Christi carne & sanguine: & sacramento & re sacramenti, idest, corpore Christi. Item, caro eius est, quam forma panis opertam in sacramento accipimus; & sanguis eius, quem sub uini specie & sapore potamus. Idem in De Trinitate, Quia morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando carnem; & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus. Idem, Vtrùm sub figura, an sub ueritate hoc mysticum calicis sacramentum fiat, ueritas ait. Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Alioquin, quomodo magnum erit, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita, nisi uera sit caro? Sed quia phas non est uorare dentibus, uoluit Dominus hunc panem, & uinum in mysterio, uerè carnem suam, & sanguinem suum consecratione Spiritus sancti potenter creari, & quotidie pro mundi uita mysticè immolari; ut sicut de Virgine per Spiritum sanctum uera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis & uini mysticè idem corpus Christi consecretur. Corpus Christi & ueritas & figura est. Veritas, dum corpus Christi, & sanguis uirtute Spiritus sancti in uirtute ipsius, ex panis, & uini substantia efficitur. Figura uerò est, id quod exterius sentitur. Et sequitur, Credendum est, quòd in uerbis Christi, sacramenta conficiantur. Cuius enim potentia creantur prius, eius utique uerbo ad melius procreantur. Idem in epistola ad Hirineum, Corporeum illud manna nunc est tanti res miraculi,

In lib sent. Prosperi. De cōsecr. dist. 2.

Idem auctor.

quia uenit quod perfectum est. Perfectus autem panis de
Psal. 33. cœlo, corpus est ex Virgine. Idem super Psalmos accesse-
Homil. 2. runt ad IESVM Iudæi, ut crucifigerent; nos accedamus,
ut corpus eius, & sanguinem accipiamus. Item, Verè magnus Deus & magna misericordia eius, qui dedit nobis manducare corpus suum, in quo tantà perpessus est, & san-
Psal 28. guinem bibere. Idem super Psalm. ad Iudæos: Iam & se-
curi bibite sanguinem, quem fudistis. Alibi, De carne
Psal. 27. Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit. Idem, De carne Mariæ carnem
Psal. 98. accepit; Et quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Verba integra Augustini sunt in eo loco, Fluctuans coniecto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc; & inuenio quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est, quomodo adoretur scabellum pedum eius: & non solùm non peccamus adorando, sed peccamus non adorando.

lib. 4. Idem in De Trinitate, Nec linguam quippe eius, nec
cap. 4. membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus; sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mysticia consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis diuinæ passionis. Quod cum per manus hominum ad uisibilem speciem perducitur, non sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei. Hæc ille. Ecce quod de fructibus terræ acceptum est, prece mystica consecratum & sanctificatum,
lib. 2. operante Spiritu sancto, corpus Domini esse dicit Augu-
cap. 9. stinus. Idem contra aduersarium legis, Sicut mediatorem Dei, & hominum hominem IESVM Christum, carnem suam nobis dantem manducandam, sanguinemque

bibendum, fideli corde atque ore suscepimus, quanuis horribilius uideatur humanam carnem manducare quàm perimere hominem, & sanguinem humanũ potare, quàm fundere. Ecce fatetur quòd quanuis horribilis uideatur humanam carnem manducare quàm perimere hominem, & sanguinem humanum potare quàm sumere; fideli tamen corde, atque ore suscipimus mediatorem Dei & hominum hominem IESVM Christum, carnem suam nobis dantem manducandam, sanguinemque bibendum. Quidem non potuit hic gloriosus doctor nostram hanc ueritatem expresѕius proferre, aut magis palàm confiteri. Manifestè enim dicit, nos corde atq; ore suscipere Christum, carnem eius manducare, & sanguinem eius bibere. Idem auctor, ipsum quidem, & non ipsum corpus, quod uidebatur, manducatur: ipsum quidem inuisibiliter, non ipsum uisibiliter. Videatur etiam in epistola ad Hireneum. *Ioan. 6. De cõsecr. dist. 2.*

AMBROSIVS.

Ambrosius lib. De sacrament. Panis est in altari usitatus ante uerba sacramentorum. ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Infrà, Quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat: & sic ex pane fit corpus Christi, & uinum cũm aqua in calice mistum fit sanguis, consecratione uerbi cœlestis. Et sequitur, Christus testificatur, quòd corpus suum & sanguinem accipimus de cuius fide & testificatione dubitare non debemus. Idem auctor, Rè uerà mirabile est, quod Deus manna pluerit patribus, & quotidiano cœli pascebantur alimento, unde dictum est, Panem angelorum manducauit homo: sed tamen panem illum qui manducauerunt, omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca, quam accipitis, iste panis uiuus, qui de cœlo descendit, uitæ æternæ substantiam administrat. Et quicunque hunc panem manducauerit, non morietur in æternum. Considera, Vtrùm præstantior nunc sit panis Angelorum, an caro Christi? quæ utique panis est uitæ. Manna illud de cœlo, hoc super cœlum. Illud cœli, *Ibid.*

hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum seruaretur; hoc alienum ab omni corruptione. Quicunque religiosè gustauerit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis ex Christo. Illos ad horam satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum. Iudæus bibit, & sitit; tu cum biberis, sitire non poteris. Illud in umbra, hoc in ueritate. Et post pauca. Potior est lux quàm umbra, ueritas quàm figura, corpus creatoris quàm manna de cœlo. Idem auctor in eodem loco post multa miracula recitata, quibus manifestè ostendit possibilitatem conuersionis substantiarum panis, & uini in uerum corpus Christi, subdit, Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis incarnationis, astruamus mysterij ueritatem. Nunquid naturæ usus præsensit eum, dum IESVS ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, uiro mista fœmina generare cõsueuerat. Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem Virgo generat. Et hoc quod conficimus, corpus ex Virgine est. Quid hîc naturæ ordinem quæris in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus IESVS partus ex Virgine? Vera utique caro Christi est, quæ crucifixa est, quæ sepulta est. Ipse clamat Dominus IESVS, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem uerborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem Christi corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis, Amen, hoc est, uerum est. Quod sermo sonat, affectus sentiat.

De cõsecr. dist. 2. Omnia quæcũque.

Idem Ambrosius, Omnia quæcunque uoluit Dominus, fecit in cælo & in terra. Et quia uoluit sic, factum est ita. Licèt figura panis & uini uideatur, nihil tamen aliud quàm caro Christi, & sanguis post consecrationem credendum est. Vnde ipsa ueritas ait ad discipulos, Hæc, inquit, caro mea est pro mundi uita. Et ut mirabilius loquar, non alia planè quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro. hæc, inquam, ipsa est: Et ideo Christi caro est, quæ pro mundi uita adhuc hodie offertur. Et cùm dignè accipitur, uitam utique æternam in nobis

operatur. Panem quidem iſtum, quem ſumimus; in myſterio, illum utique intelligo panem, qui manu ſancti Spiritus formatus eſt in utero Virginis, & igne paſsionis decoctus in ara crucis. Panis enim Angelorum factus eſt cibus hominum, Vnde ipſe ait, Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi. Et item, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi uita. Ex his nanque duabus ſententiis, apertè datur intelligi, quia panis iſtæ & ille non duo, ſed unus panis & una caro, proculdubio unum corpus efficitur. Illud uerè, illud ſanè, quod ſumptum eſt de Virgine, quod paſſum eſt & ſepultum, quod ſurrexit & in cœlum aſcendit, & ſedet ad dexteram Dei patris, & quod eſt uenturum iudicare uiuos & mortuos. Idem in De ſacramentis, Sicut eſt uerus Dei filius Dominus noſter IESVS Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed Filius ex ſubſtantia Patris: ita uera eſt Chriſti caro, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & uerus ſanguis eius potus. Ego ſum, inquit, panis uiuus, qui de cœlo deſcendi. Et reſpõdens lectori qui replicare poſſet, addit, Sed caro non deſcendit de cœlo, quomodo ergo deſcendit de cœlo panis uiuus? Ait, Quia idem Dominus IESVS conſors eſt diuinitatis & corporis; & tu qui accipis carnem diuinæ eius ſubſtantiæ, in illo participas alimento. Idem in lib. De myſteriis. In illo ſacramento Chriſtus eſt, quia caro eſt Chriſti. Non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritualis. Vnde & Apoſtolus de typo eius ait, Quia Patres noſtri eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt. Corpus enim Dei, corpus eſt ſpirituale; corpus Chriſti, corpus diuini Spiritus eſt. Ad eandem ueritatem dicit etiam idem auctor multa alia, quæ recitantur in capite, In calice. De conſecra. diſtin. 2. Idem itaque in ſermone De Sacramentis ita inquit, Quomodo enim panis poteſt eſſe corpus Chriſti? Quibus uerbis, aut quorum uerbis hæc ſacramenta perficiuntur? Et addit, Ipſius Domini noſtri IESV Chriſti. Et infrà, Cum autem hoc ſacramentum perficit, non propriis uerbis Sacerdos, ſed ipſius Chriſti utitur. Verba enim Chriſti, hoc ſacramentum conficiunt. Et poſt pauca. Ante conſecrationem panis eſt, uerbis autem Chriſti dictis, mox corpus

lib. 7.

De cõſecr. diſt. 2. Sicut eſt.

De cõſecr. diſt. 2. In illo.

Christi est. Accipite enim, inquit, comedite ex eo omnes. Hoc est corpus meum. Similiter in calice ante uerba Domini, uinum est aqua mistum, Christi uerbis operantibus sanguis efficitur. Ad hanc ueritatem nostram catholicam nihil apertius his diui Ambrosij uerbis desiderare possumus.

HIERONYMVS.

Matt. 26. Hierony. etiam in eadem ueritate est, qui super Matth. ita scribit, Postquàm typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad uerum Paschæ transgreditur sacramentum: ut quomodo in eius præfiguratione Melchisedech summi Dei sacerdos, panem & uinum offerens fecerat, ipse quoque ueritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret. Ecce in cœna sub hoc sacramento ueritatẽ sui corporis & sanguinis repræsentauit Dominus, quod Melchisedech præfigurauit olim, offerens panem, & uinũ. Si autem eius rei, quæ à Melchisedech præfigurata fuerat, ueritatem repræsentauit Dominus; quidem hæc ueritatis repræsentatio, sola figuta dici non potest, nec solum signũ, nec sola imago, secundum Hierony. Erat enim Hieronymus Ciceronianus, ut constat de ipso, & apud ipsum. Cicero autem cùm rei emptæ precium repræsentatum esse dixit; præsenti pecunia solutionem ostendebat, non eius rei figuram. Et qui se nobis ad concionem repræsentant, non figuram solam producunt, sed seipsos sistunt. Vnde & Grammatici repræsentare interpretati sunt, præsentem sistere. Ergo cùm ueritatem sui corporis Dominum repræsentasse dixit Hierony. non figuram stitisse, sed ipsissimum corpus exhibuisse intellexit. Accedit his quòd Saluator noster non compleuit, aut perfecit figuras antiquas, quæ de se erant, solis figuris aut imaginibus: sed profectò potius rebus ipsis, quæ adumbratæ fuerant. Idem auctor

Cap. 5. super epist. ad Gala. Opus quippe ibi magis uini quàm Dei à nobis creatura damnata est, & licentiam tulimus uirgini, proprio ætatis calore feruenti, ne sub occasione parum

bibendi plus biberet: alioquin sciebamus & in Christi sanguinem uinum consecrari, & Timotheo uinum ut biberet, imperatum. Idem super epist. ad Titum. Sic est castitas *cap. 1.* propria, & ut ita dixerim, pudicitia sacerdotalis, ut non solum ab opere immundo se abstineat, sed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore: mens Christi corpus confectura, sit libera. Ecce uinum in Christi sanguinem consecratur, & à sacerdote corpus Christi conficitur. Idem super Abdiam, Nos autem audiamus, panem, quem fregit *quæst. 2.* Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini Saluatoris, ipso dicente ad eos, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Idem super Oseam. Et arbitrati sunt iugũ *cap. 2.* meum leue, esse grauissimum, & declinaui ad eos, deserens regna cœlorum, ut cum eis uescerer assumpta forma hominis, siue dedi eis esum corporis mei, ipse & cibus & conuiua. Idem in Heliodorum. An de his aliquid audeã *Epist. 1.* dicere, qui certè in suis urbibus commorantur. Absit ut de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacrũ, ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus. Hæc ille. Ecce Christus è cœlo descendens, manducauit cum hominibus assumptam formam hominis, & dedit eis esum corporis sui, ipse cibus & conuiua: atque successores Apostolorum Christi corpus sacrum, ore conficiunt. S. Thomas ita refert ex Hiero- *S. Tho.* nymo ad Lesbiam, Dominus IESVS Christus ipse conuiua *par. 3.* & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur. Gabriel *quæst. 81.* *art. 1.* super Canonem ita refert ex Hierony. ad Heluidium, Nec *Gabriel.* Moyses dedit uobis panem uerum, Sed Dominus IESVS *lect. 39.* ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui come- *litera F.* ditur. Ipse Gabriel in eodem loco ita refert ex Hierony. in sermone Dominicæ quintæ post Epiphaniam, Singuli autem totum accipiunt Christum Dominum; & singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed se in singulis præbet.

GREGORIVS.

Gregorius in Homilia Paschæ pro ista eadem ueritate

dicit, Quid sit sanguis Agni non iam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sanguis sub utrunque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Hæc salutaris uictima, illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licèt resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur: tamen in seipso immortaliter, & incorruptibiliter uiuens, iterum in hoc mysterio moritur. Eius quoque ubique corpus sumitur, eius caro in salutem populi patitur, eius sanguis non iam per manus infidelium, sed fidelium in ara perfunditur. Et sequitur, Vno eodemque tempore, ac momento in cœlo rapitur ministerio Angelorũ corpori Christi sociandus, & ante oculos sacerdotis in altari uidetur. Tanta est Ecclesiæ unitas in Christo, ut unus ubique sit panis corporis Christi, & unus sit calix sanguinis eius. Calix enim, quem sacerdos catholicus sacrificat, non alius nisi ipse, quẽ Dominus Apostolis tradidit; quia sicut Diuinitas Verbi Dei est uita, quæ totum implet mundum; ita licèt in multis locis, & innumerabilibus diebus illhic consecretur corpus, non sunt tamen multa corpora Christi, nec multi calices: sed unum corpus Christi, & unus sanguis cum illo, quod sumpsit in utero Virginis, & quod dedit Apostolis. Diuinitas enim Verbi, replet id quod ubique est, & coniungit, & facit. ut sicut ipsa uita est, ita & unum corpus eius sit in ueritate. Vnde aduertendum est, quòd siue plus, siue minus quis inde percipiat, omnes æqualiter corpus Christi integerrimè sumunt: & generaliter omnes, & specialiter unusquisque. Idem, Quotidie ipse comeditur, & bibitur in ueritate. Sed integer & uiuus atque immaculatus manet.

De cõsecr. dist. 2. Quid sit.

THEOPHYLACTVS.

Mar. 14.

Theophylactus etiam super Marcum circa illud, Et edentibus illis, &c. dicit, hanc ueritatem catholicam confitendo, cùm benedixisset, hoc est, gratias egisset, fregit panem: id quod etiam nos facimus preces adiungendo. Hoc est corpus meum. hoc, inquam, quod sumitis. Non enim


figura

figura tantùm & exemplar quoddam domini corporis panis est, sed in illum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit, Panis, quem ego dabo, caro mea est. Non dixit, Figura est carnis meæ. sed, Caro mea est. Et iterum, Nisi ederitis carnem Filij hominis. Et quomodo, inquis, caro non uidetur? O' homo, propter nostram infirmitatem istud fit. Quia enim panis quidem, & uinum ex his sunt, quibus assueuimus, ea non abhorremus. Sanguinem uerò propositum & carnem uidentes, non ferremus, sed abhorreremus. Idcirco misericors Deus nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis, & uini seruat, in uirtutem autem carnis & sanguinis transelementat. Hæc ille. Ecce fatetur ingenuè, dicens, quod nos dicimus, Non enim figura tantùm & exemplar quoddam domini corporis panis est, sed in illum conuertitur corpus Christi, &c.

Bernardus.

Bernardus circa illud uerbum, seu ex illo uerbo, Panem Angelorum manducauit homo. habuit sermonem, cuius titulus est, Sermo in cœna Domini, In eo sic ait, cum adhuc cœnaretur, à cœna surrexit, discipulorum Dominus uniuersorũ pedes lauit; dehinc ad mensam regressus ordinat sacrificium corporis & sanguinis sui, seorsum panem, seorsum tradens & uinum. De pane ita dicens, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. De uino etiam sic, Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et post pauca. Christus in cœna illa munerans, & munus, cibans, & cibus, conuiua, & conuiuium, offerens, & oblatio, &c. Ecce in hoc diuino sacramento realiter Christus est; quia in cœna ipse idem fuit conuiua & conuiuium, cibans & cibus: realiter hoc, & realiter illud. Idem auctor manifestè in uita sancti Malachiæ, ut infrà ponitur. *psal. 77. tom. 2.*

Petrum Longobardum, uniuersamq; Christianam Scholam eandem sententiam amplecti, & fouere. CAP. V.



Tota etiam Schola Christiana ueritatem eandem catholicam absque ulla differentia amplexatur, fouetque; quamobrem libuit Petri Longobardi aliorumque Doctorum sententiam hoc loco ponere. Ille igitur in hæc uerba loquitur, Vnde excellenter Eucharistia dicitur, idest, bona gratia; quia in hoc sacramento non modò est augmentum uirtutis & gratiæ, sed ille totus sumitur, qui est fons, & origo totius gratiæ. Idem paulò pòst ait, Hic etiam alia consideranda occurrunt quatuor, scilicet sacramentum, institutio, forma, & res. Explicando autem primum, & secundum horum, inquit, Sacramentum Dominus instituit, quando post typicum Agnum, corpus, & sanguinem suum discipulis in cœna porrexit. Vnde Eusebius Emissenus, Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat ut die cœnæ sacramentum nobis corporis, & sanguinis consecraret; ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in precium. Explicando tertium horum dicit, Forma uerò est, quam ipse ibidem edidit dicens, Hoc est corpus meũ. & pòst. Hic est sanguis meus. Cùm enim hæc uerba proferuntur, conuersio fit panis, & uini in substantiam corporis, & sanguinis Christi. reliqua ad laudem Dei dicũtur. Vnde Ambrosius, Sermone Christi, hoc conficitur sacramentum, quia sermo Christi, creaturam mutat: & sic ex pane fit corpus Christi, & uinum cum aqua in calice missum, fit sanguis consecratione uerbi cœlestis. Consecratio quibus fit uerbis? Attende quæ sunt uerba, Accipite & comedite ex eo omnes. Hoc est corpus meum. Et iterum, Accipite & bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus. Explicando autem quartum, ait, Nunc quid ibi sacramentum sit, & quid res, uideamus. Sacramentum est inuisibilis gratiæ uisibilis forma. Forma ergo panis, & uini, quæ ibi uidetur, est sacramentum: idest, si-

Magister senten. lib. 4. dist. 8.

Ibid.

Ibid.

Ibid. Quid sacramẽtum Eucharist.

gnum sacræ rei, quia præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem uenire. Tenent ergo species uocabula rerum, quæ ante fuerunt, scilicet panis & uini. Huius autem sacramenti gemina est res: una scilicet contenta, & significata; altera significata, & non contenta. Res contenta, & significata, est caro Christi, quam de Virgine traxit, & sanguis, quem pro nobis fudit. Res autem significata, & non contenta, est unitas Ecclesiæ in prædestinatis, uocatis, iustificatis, & glorificatis. Hæc est duplex caro Christi, & sanguis. Vnde Hierony. Dupliciter, inquit, itelligitur caro Christi, & sanguis eius. uel illa quæ crucifixa est, & sepulta, & sanguis, qui militis lancea effusus est; uel illa spiritualis, ac diuina, de qua ipse ait, caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus, &c.

Duplex res huius sacramẽti.

Res cõtẽta, & significata.

Res significata & non contenta.

Idem in eodẽ loco nonnullis interpositis, fatetur quòd corpus Christi uerum, quod in hoc sacramento significatur, & continetur, est sacramentum, idest, signum, corporis Christi mystici, quod in hoc sacramento non continetur, sed significatur. Vnde de corpore Christi mystico agens, dicit, Cuius etiam sacramentum est, corpus Christi proprium de Virgine sumptum; quia ut corpus Christi ex multis membris purissimis, & immaculatis constat, ita societas ecclesiastica, ex multis personis à criminali macula liberis consistit, &c. Idem auctor firmiter credens uerum corpus Christi in hoc sacramento contineri, docet quòd etiam malus homo communicans, proprium Christi corpus uerum sumit: rem uerò aliam, idest, spiritualem Christi carnem, non sumit: Adhæc asserit quòd bonus, utranque Christi carnem accipit simul, suscipiens sacramentum. postea eos refert, impugnat, & relinquit, qui, ut Berengarius, asserebant, in altari non esse corpus Christi, uel sanguinem, nec substantiam panis, uel uini in substantiam carnis, & sanguinis conuerti: sed ita Christum dixisse, Hoc est corpus meum. sicut Apostolus dixit, Petra autem erat Christus. quasi ibi esset corpus Christi tantùm in sacramento, idest, in signo, & tantùm in signo manducaretur à nobis. Referens enim Magister, & refellens

lib. eod. dist. 9.

hunc errorem, confirmat & probat uerum Christi corpus, in sacramento altaris realiter existere, ac realiter contineri: pariterque & optimè, & latè satis argumenta aduersariorum soluit, atque ex proposito probat, uerum corpus Christi esse in altari, & in id panem conuerti.

D. Thomas.

par. 3. quæst. 75. art. 1. S. Thomas manifestè asserit, quòd in hoc sacramento sit corpus Christi secundum ueritatem, & realem existentiam; non autem solùm secundum figuram, nec solùm tanquam in signo. Probat hoc primùm auctoritatibus Hilarij, 8. de Trinitate; Ambr. 8. de Sacramentis, & Cyrilli super illud Domini apud Lucam, Hoc est corpus meum. Deinde ostendens latius hoc maximè conuenire multis de causis manifestis satis, dicit, Hoc autem conueniens est, Primò quidem perfectioni nouæ legis; sacramenta enim ueteris legis, illud uerum sacrificium passionis Christi con *Hebr. 10.* tinebant, solum in figura, secundum illud, Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem. Et ideo oportuit, ut aliquid plus haberet sacramentum nouæ legis à Christo institutum; ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solùm in significatione, uel figura, sed etiam in rei ueritate. Et ideo hoc sacramentum, quod *De cæle. Hierarc. cap. 4.* ipsum Christum realiter continet, ut Dionysius dicit, est perfectiuum omnium aliorum sacramentorum, in quibus uirtus Christi participatur. Secundò competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus uerum nostræ naturæ assumpsit. Et quia maximè proprium amicitiæ est, *Ethic. 9.* conuiuere amicis, ut Philos. ait, sui præsentiam corpora- *Matt. 24.* lem nobis repromittit in præmium, dicens, Vbi fuerit corpus, illhic congregabuntur & Aquilæ. Interim tamen nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit sed per ueritatem corporis, & sanguinis sui, nos sibi con- *Ioan. 6.* iungit in hoc sacramento. Vnde ipse dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde hoc sacramentum est maximæ charitatis signum, & nostræ spei subleuamentum, ex tam

familiari coniunctione Christi ad nos. Tertiò hoc competit perfectioni fidei, quæ sicut est de diuinitate Christi, ita est de eius humanitate; secundum illud, Creditis in Deum & in me credite. Et quia fides est inuisibilium, sicut diuinitatem suam nobis exhibet Christus inuisibiliter, ita & in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet inuisibili modo. Quæ quidam non attendentes, posuerunt corpus & sanguinem Christi non esse in hoc sacramento, nisi sicut in signo. quod est tanquam hæreticum abiiciendum, ut pote uerbis Christi contrarium. Vnde Berengarius, qui primus huius erroris auctor fuerat, postea coactus est suum errorem reuocare, & ueritatem fidei confiteri. Hæc S. Thomas. Qui ubique fatetur, & docet hanc ueritatem, ut etiam est uidere in eadem parte, 3. quæst. 65. art. 3. cor. pri. & quæst. 76. per totum. & in suis scriptis, lib. 4. dist. 10. art. 1. & distinc. 11. prin. & contra Gentiles, lib. 4. cap. 61. & 1. Conrinth. 11. lect. 5.

HVGO.

Hugo Venerabilis, in De Sacramentis, per multa capitula, hanc fidei ueritatem & confitetur & probat. Dicit enim manifestè, quod uidemus, species panis est & uini; quòd autem sub specie illa credimus, uerum corpus Christi est, & uerus sanguis IESV Christi, quod pependit in cruce, & fluxit de latere: Nec per panem, & uinum, corpus, & sanguinem tantùm significari credimus: sed sub specie panis & uini, uerum corpus & uerum sanguinem consecrari; & speciem quidem uisibilem sacramentum esse ueri corporis, & ueri sanguinis, corpus autem & sanguinem, sacramentum esse gratiæ spritualis. Et quemadmodum species illhic cernitur, cuius res uel substantia ibi esse non creditur: sic res ibi ueraciter, & substantialiter præsens creditur, cuius species non cernitur. Videtur enim species panis & uini, & substantia panis & uini non creditur: creditur autem substantia corporis, & sanguinis Christi, & tamen species non uidetur. Quod ergo uidetur secundum speciem, sacramentum est, & imago illius, quod creditur

lib. 2. par. 8. cap. 7.

ſecundum corporis ueritatem; & quod creditur ſecundum corporis ueritatem, ſacramentum eſt illius, quod percipitur ſecundum gratiam ſpecialem. Sacramentum ergo altaris, & Euchariſtia diuina in uero corpore & ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti, imago eſt ſecundum ſpeciem panis, & uini in qua cernitur: & res eſt, ſecundum ſubſtantiæ ſuæ ueritatem in qua creditur illis atque percipitur. Et rurſum, Quod nunc uiſibiliter ſecundum ſacramenti ſpeciem, & corporaliter ſecundum carnis & ſanguinis ueritatem, Chriſtum in altari ſumimus, ſacramentum eſt, & imago, quod ipſum eundem inuiſibiliter & ſpiritualiter ſecundum gratiæ infuſionem, & Spiritus ſancti participationem in corde ſumere debemus. Ergo diuiniſsima Euchariſtia, quæ in altari ſecundum panis & uini ſpeciem, & ſecundum corporis & ſanguinis Chriſti ueritatem uiſibiliter & corporaliter tractatur, ſacramentum eſt & ſignum, & imago inuiſibilis & ſpiritualis participationis IESV, quæ intus in corde per fidem & dilectionẽ perficitur. Hæc ille.

S. BONAVENTVRA.

Lucæ 22. S. Bonauentura ſuper Lucam, circa illud, Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. dicit multa ad hanc ueritatem, Primùm quòd Dominus conſecrauit, & formam conſecrandi inſtituit, in his uerbis, Hoc eſt corpus meum. Secundò quòd, commutauit Dominus ſacramentum agni, in ſacramentum panis, quia iſte eſt cibus magis communis & naturalis, ſimul exprimens uim cibatiuam, & connexiuam in corpore Chriſti uero, & myſtico. Et poſt nonnulla dicta, adducit illud Gloſs. Verbo ſolo conuertit panem in corpus ſuum: additque, Eſt ergo ſententia uerbi iſta, Hoc eſt corpus meum, ideſt, ſignatum per hoc, conuertendum in corpus meum, eſt corpus meum. Vel, Hoc tranſit in corpus meum, quod eſt integrum & perfectum. Efficacia autem uerbi eſt, ut hoc dicto fiat. Vnde Ambr. Si tantum ualuit ſermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non ualebit tantum ſermo Chriſti, ut ſub-

ſtantias mutet? Et iterũ, Quid quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm ipſe præter naturam ſit corporatus de Virgine? Hæc ille. Dicit & multa alia pro hac ueritate in ſuis ſententiis, locis communibus, quæ ibi facilè uideri poſſunt.

GVILLELMVS Pariſienſis.

Guillelmus Pariſiẽ. in tractatu ſuo ſolenni, quem edidit de Sacramentis, etiam ad iſtam ueritatem catholicam multa dixit notanda. Probat enim illam, ex tribus officiis, quæ Chriſtus pro nobis ſuſcepit, ſcilicet presbyteri, ſeu ſacerdotis, aduocati, & medici. Vnde quia in Miſſa fit populi ſanctificatio, neceſſe eſt Chriſtum ut ſacerdotem fidelisſimum intereſſe pro expletione officij ſacerdotalis. Hoc enim exigit fidelitas ſacrificantis, ut adſit, cùm ad ſacrificium poſtulatur aduenire. Eſt autem officium ſacerdotale, ſacramentare, ſiue ſanctificare; quod certè non impletur, niſi per hoſtiam, qua gratia ſanctificationis populo impetratur. Nulla autem hoſtia eſt, qua poſsit ſanctificari populus, niſi illa, quam Chriſtus in cruce obtulit, quæ eſt ipſemet Chriſtus ſecundum quòd homo: ſicut dicit Apoſtolus ad Hebræos, Quòd ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtructionem peccatorum per hoſtiam apparuit. Et ibidem, Sanctificati ſumus per oblationem IESV Chriſti ſemel. Neceſſe eſt igitur hunc uenire, ex officio ſacerdotali ſuſcepto ad ſanctificandum populum per hoſtiam. Non eſt autem Chriſtus ſacerdos, niſi in forma humana, & in eo, quòd homo: igitur ut ſic, præſentem ſe facit in altaris ſacramento. Iuxta hunc modum, quia fidelis eſt noſter aduocatus, neceſſe habet intereſſe cauſæ, quam agendam ſuſcepit: quoties cauſa noſtra agitur, & præſentia eius deſideratur. Cauſa autem totius Eccleſiæ in Miſſa agitur, ſcilicet coram Deo Patre, per ſacerdotem tanquàm procuratorem. Neceſſe igitur habet intereſſe, & cauſam agere hic noſter aduocatus. Non eſt autem aduocatus, neque cauſam agit, niſi inquantum homo; ergo inquantum homo neceſſe habet aſsiſtere procuratori ſacerdoti. Maximè

In parte de ſacramento Eucharistiæ. c. Sine partitione.

Hebr. 9.

Hebr. 10.

quia causa ista non agitur nisi per interpellationem, si non nisi ex ore eius digna est suscipi, & per munus quod ipsemet est. Tertiò quia fidelis medicus, ægrum, quem curandum suscepit, habet uisitare quoties hoc requirit infirmitas: & hoc cum unguentis, & medicinis, quæ curationi eiusdem sunt necessaria. Quia igitur unusquisque de Ecclesia æger est, & medicatione indiget, siue ad curationem, siue ad conseruationem, siue ad præseruationem, siue ad confortationem: & unumquenque curandum mirabili miseratione suscipit, necesse habet ad curandum quoties opus erit, aduenire. Opus autem est, quoties de medicatione eius agitur, & sanatione eius intenditur. Quia ergo ad hoc Missa agitur, & quicquid in ea fit, fit ut huiusmodi ægro medicationis impendatur officium, & sanitatis beneficium: necesse habet Missæ officio interesse, & hoc in eo quòd medicus; hoc est, in forma humana cum corpore suo, quod est uelut antidotum solidissimum contra omnes humores noxios uitiorum: & cũ sanguine suo, qui est uelut syrupus mulcebris & dulcissimus, & medicina liquida ualens contra omnes animarum languores atq; uulnera. quorum duorum uirtutes in ipsa Dominica passione potissimùm claruerunt. Secudum hoc igitur, Quia uenerandum corpus Christi, medicina est saluberrima, qua curantur quotidie nostræ infirmitates, & sacramentũ eius est placabilissimum, quo lapsi Deo patri reconciliamur, & sanctificationis nostræ est sacramentum sacratissimum, quo Deo patri ut filij charissimi coniungimur & incorporamur: & cibus est nostræ refectionis, quo in uita spirituali subsistimus & solidamur: necesse est ipsius in Missarum solenniis, in quibus omnia ista peraguntur, sacratissimam & uerissimam adesse præsentiam.

Ibid. Idem auctor, Non enim sufficit designatio, siue figuratio corporis istius uiuifici, & sanguinis ad ista prædicta peragenda, sed necessariò requirunt istius uiuifici panis præsentissimam ueritatem. Neque enim figura, neque aliqua designatio medicinæ, præstare potest ullo modo salutem; sed sola ipsius præsens ueritas, salutem facit. Similiter impossibile est per solam, & inanem figuram, & designationem

ſignationem ſacrificij placari iratum, aut reconciliari offenſum, abſque ſacrificij ueritate: ſimiliter neque ſacrari, aut ſanctificari poſsibile eſt quęquam abſque ſacramenti ueritate, cum ſacramenti ſcilicet ſola figura. Eodem modo impoſsibile eſt aliquem refici, paſci, aut potari ſola figuratione panis & uini: alioquin ſufficerent nobis figuræ & picturæ ad iſta quatuor peragenda, & fruſtrà laboraretur circa Miſſarum ſolennia. Sufficerent, inquam, picturæ ſacrarum oblationum & ſacrificiorum, ad reconciliationem, & placationem: figuræ panis & uini, ad medicationem, & refectionem. Hæc autem inſania ad hoc deducit, ut pictura diluuij ſola, ſine ueritate, mundum ſubmergat: & pictura ignis, quo mundus inferior conflagrandus eſt, iam mundum exurat: atque pictura ſola panis paſcat, atque reficiat: ſic & pictura uini potet, & inebriet: quæ certè nemo admittit compos rationis. Venit autem in partem ſic loquentium dementia, ut omnino non diſtinguant quantum ad uirtutem & efficaciam inter ſigna & res, inter figuram & ueritatem: cùm eādem uirtutem attribuant ſignis, & ueritati. Nimium ergo deſipiunt hæretici atque falluntur, aſtruentes, corpus Chriſti non realiter uerè in ſacramento altaris contineri, ſed dumtaxat in quadam deſignatione & figura, contra Chriſti Euangelium & tot ſanctorum teſtimonia patrum, in quo elucet ipſorum deteſtanda temeritas, & præſumptio temeraria, qua ſenſui proprio proterui innituntur, ſententiam ſuam maiorum auctoritatibus præferendo, contra ſapientis exhortationem, Fili, ne innitaris prudentiæ tuæ, neque ſapiens ſis apud temetipſum.

Scotus.

Scotus etiam eandem ueritatem confitetur & probat cum aliis patribus, quos hactenus adduximus. Mouet enim quæſtionem, Vtrum poſsibile ſit, corpus Chriſti ſub ſpecie panis & uini realiter contineri? Reſpondet quòd ſic; iuxta illud, Hoc eſt corpus meum. & iuxta illud, Caro mea uerè eſt cibus. Ad quod multas auctoritates Au-

lib. 4. diſt. 10. quæſt. 1. Matt. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 6.

guſtini, & Ambroſij poni dicit, De conſecra. diſt. 2. ualde expreſſas, quarum aliquas adducit Magiſter in litera. Deinde particularius agendo ait, Hîc duo ſunt declaranda, ſicut circa alia credibilia. Primò, quid tenendum eſt, & propter quam au&oritatem. Secundò, declarandum eſt, qualiter illud eſt poſsibile, quod creditur. De primo dico, quòd corpus Chriſti eſſe ibi uerè realiter, eſt ſimpliciter de ſubſtantia fidei, eo modo quo ueritas alicuius ſacramenti pertinet ad articulos fidei. Iſta enim ueritas à principio fuit expreſsè tradita, ex quo Euchariſtia fuit inſtituta. Fundamentum autem au&oritatis eſt, Matth. 26. & Lucæ 22. ubi in cœna ait Chriſtus, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus. Et ſi hæretici uellent iſta exponere, dicentes quòd ſint figuratiuè di&a, ſicut illud quod ait, *Ioan.15.* Ego ſum uitis uera. & illud, Petra autem erat Chriſtus, *1.Cor.10.* iſtud omnino eſt contra intentionem Saluatoris. Quod patet ex Auguſtino 83. quæſtionum. quæſtione 69. Solet circunſtantia ſcripturarum illuminare ſententiam. Vniuerſaliter enim intelle&us uerborum Chriſti, an loquatur figuratiuè, an ne, colligi poteſt ex præcedentibus, uel conſequentibus ibidem, uel ex aliis ſcripturæ locis. Vnde cùm Chriſtus ait, Ego ſum uitis uera. ſubiunxit, Et uos palmites, Conſtat autem quòd diſcipuli non erant palmimites naturales, ſed tantùm figurales. Sed cùm dixit, Lucæ 22. Hoc eſt corpus meum. ſubdit, Quod pro uobis tradetur. Cum etiam dixiſſet, Hic eſt calix ſanguinis mei. ſubdit, Qui pro uobis fundetur. Hæc ille.

ALBERTVS.

par. 2. Albertus etiam in lib. De Sa. aduerſus eos, qui putarent in hoc diuino ſacramento eſſe corpus Chriſti ſolùm tanquàm in ſigno ac figura, & non ſecundnm realem exiſtentiam, dicit, Quid neceſſe eſt tantum facere apparatum pani & uino, niſi ſignificarent corpus, & ſanguinem Chriſti? Quid ad hoc ordinarentur ſacerdotes, conſecrantur altaria, templa ac cætera, quæ ad ritum & altaris cultum pertinent, ſi nihil in his fieret, niſi quod panis benedicere-

tur, qui corpus Christi tantùm significaret? Adhuc autem adoratio & ueneratio, quæ fit à populo, exhiberetur creaturæ. Sicq; in omni Missa, idolatria committeretur; quia cultus debitus Creatori, puræ exhiberetur creaturæ, quod nefarium est dicere.

DVRANDVS.

Durandus à Sancto Portiano hanc nostram ueritatem catholicam tenet omnino, ad quam loquitur latissimè, atque exactissimè. Mouet quæstionem, Vtrū corpus Christi natum de Virgine, sit realiter in sacramento Eucharistiæ? Respondet secundum partem affirmatiuam quæstionis, quòd uerum Christi corpus natum ex Virgine, sit in hoc diuino sacramento. Probat, Primùm ex illo, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Secundò ex illo, Ecce ego uobiscum sum, usque ad consummationem sæculi. Ex quo loco ipse ita deducit, Hoc autem non intelligitur de præsentia eius secundum diuinitatem, illam enim non oportuit promittere, quia illa communis est omnibus rebus; nec potest aliter (fortè aliàs, alicui) subtrahi, salua consistentia Dei. Intelligitur ergo de præsentia humanitatis, non in propria specie, illā enim subtraxit, secundum quod ipsemet dixit, Pauperes semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis. Relinquitur ergo, quòd hoc dixerit de præsentia suæ humanitatis sub specie sacramentali. Hæc ille. Idem postea in eodem loco, Dicendum est ergo quòd uerum corpus Christi sumptum de Virgine, & passum in cruce, est realiter in hoc sacramento. Et quamuis hoc probatum sit superius, maximè per secundam rationem adductam contra secundum articulum: tamen ad ampliorem declarationem sciendum est, quòd ut dicit beatus Augustinus, Circunstantia scripturæ exponit scripturā, an dicta in ea debeant accipi propriè, an figuratiuè. Verbi gratia, Christus dixit, Ego sum uitis uera. Si uolumus intelligere, an hoc sit dictum propriè, an figuratiuè, uideamus quod sequitur, Ego sum uitis, uos palmites. Sic igitur Christus fuit uitis,

lib. 4. dist. 10. quæst. 1.

1. Cor. 10.

Matt. 28.

August. lib. 83. quæst.

ut Apostoli fuerunt palmites. Constat autem quòd Apostoli non fuerunt palmites quoad naturam, quæ propriè per nomen palmitis importatur. Ergo nec Christus fuit uitis quantum ad naturam, quæ propriè per nomen uitis importatur. Vtrunque ergo horum dictum est figuratiuè, & non propriè. Ad propositum, Christus dicit, Hoc est corpus meum. Si ergo uolumus scire, Vtrum sit dictum secundum propriam significationem, uel secundum figuratiuam, uideamus sequentia uerba, quæ determinant præcedentia. Cum enim dixisset Christus, Hoc est corpus meum. subiunxit, Quod pro uobis tradetur. Constat autem quòd corpus traditum pro nobis, fuit corpus Christi uerum, natum de Virgine & passum in cruce: Ergo illud uerbum est dictum non secundum metaphoram, sed secundum propriam significationem.

Idem auctor ibi ita prosequitur, Propter quod à principio Ecclesiæ fuit articulus fidei ab omnibus cōcessus, quòd uerum corpus Christi, esset realiter in hoc sacramento, & non figuratiuè, nec sicut in signo tantùm, nec per solam communicationem idiomatum. Hæc ille.

Gabriel Biel.

Gabriel Biel super Canonem Missæ, simili modo tenet, atque latißimè & sufficientißimè probat hanc nostrā ueritatem. Postquam enim egit de his uerbis Domini, Hoc est corpus meum. ostendens de illis, quòd sunt forma consecrationis huius diuini sacramenti: cœpit statim in lectione sequenti agere de efficacia huius formæ: hoc est, quis sit huius formæ effectus: siue quid sequatur ad prolationem debitam horum uerborum. Et primùm quantum ad prædicamentum substantiæ proponit uidendum, Vtrum prolatis rite consecrationis uerbis, sub speciebus panis sit uerum corpus Christi? Deinde cum omnibus docto. catholicis à sancta Rom. Ecclesia approbatis, qui de Eucharistiæ sacramento scripserūt, imitatus in hoc clarißimum, ut inquit doctorem Guil. Ockam in tractatu suo glorioso de sacramento, ponit hanc conclusionem, Corpus Christi quod

lect. 38. *lect. 39.* *Guilel. Ockam.*

ſumptum eſt de Virgine Maria, quod paſſum eſt, & ſepultum, quódque reſurrexit, & ad cœlum aſcendit, ac ſedet ad Dexteram Dei Patris, in quo Filius Dei uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos, ſub ſpecie panis uerè & realiter continetur. His addit, Hæc concluſio per rationem naturalem oſtendi non poteſt; ſed ad huius ueritatis notitiam accedere oportet per fidem. Eſt enim ſimiliter de articulis fidei, eo modo, quo ueritas alicuius ſacramenti pertinet ad articulos fidei, ut dicit Scotus. De hoc itaq; articulo dubitare non licet, cũ conſtet ipſum per unigenitum Dei Filium fuiſſe Apoſtolis reuelatum, & à principio expreſsè traditum, ex quo Euchariſtiæ ſacramentum fuit à Domino inſtitutum. Teſtes ſunt Euangeliſtæ. Nam ſanctiſsimus Euangeliſta Matthæus, Accepit, inquit, panem & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. De quo & Marcus ait, Manducantibus illis, accepit IESVS panem, & benedicens, fregit, dedit eis, & dixit, Sumite, Hoc eſt corpus meum. Quibus conſentit Lucas, dicens, Accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Ioannes quoque Euangeliſta refert uerba Saluatoris, ſimul & ueritatem & utilitatem huius ſacramenti denotans, Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi uita. Et ſequitur, Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam. Similiter & Paulus, Dominus, inquit, IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit, Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Item, Panis quem frangimus, nonne cõmunicatio corporis Domini eſt. Ecce tot auctoritates canonicæ ſcripturæ concorditer affirmant, corpus Chriſti realiter, & ueraciter ſub ſpecie panis datum fuiſſe Apoſtolis, ac eiſdem fuiſſe à Saluatore præceptum, ut in memoriam paſsionis dominicæ corpus Chriſti ſub ſpecie panis offerent. Hoc facite, in-

Ibid. litera C.

Scotus lib. 4. diſt. 10. quæſt. 1.

Matth. 26.

Mar. 14.

Luca 22.

Ioan. 6.


1. Cor. 11.

1. Cor. 10.

quit, in meam commemorationem. Hæc Gabriel. Qui auctor in sequentibus multa, & præclara patrum adducit testimonia, quibus eandem probat ueritatem.

Verum Christi corpus & sanguinem, pani, & uino consecratis inesse, adhuc probatur ex his quæ, Nicolaus Episc. Methonensis, Samonas Marcus Episc. Ephesinus, Germanus Archiep. Constant. Nico. Cabasila, Bessarion, Innocentius, Io. Gerson, Cassiodorus, Origenes, & Iuuencus scripta reliquerunt. C A P. VI.

Habetur in lib. Liturgiarū.



Icolaus Episcopus Methon. ad eos, qui hæsitant, aiuntq; consecratum panem, & uinū non esse corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi; ostendēs eis quòd immo sub speciebus panis & uini post consecrationem est uerum corpus & uerus sanguis Domini, ait, Misticam hanc, & incruentam consecrationem, qua panem, & calicem consecratos in corpus, & sanguinem Domini trāsmutari credimus, à quo nam principium accepisse dicas? Nonne ab ipso Deo, & Seruatore nostrò IESV Christo, quemadmodum nos sacra docent Euangelia? Prorsus ab eo. Quis uerò ille est sermo, quo id traditur? Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Et diuus Paulus, Quotiescunq; enim comeditis panem hunc, & calicem hunc bibitis, mortem Domini annuntiatis. Quo modo, quoque ritu, ab ipso Seruatore didicimus, Accipiens enim, inquit, panem, & gratias agens, fregit, ac dedit discipulis, & ait, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. quod pro uobis frangitur, & traditur. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, &c. Infrà, carnem enim suam quasi escam homo circumponens, diuina sua uirtute, serpentem quidem deprimit, nos autem erigit. Papè, quam expauescendum, & tremendum mysterium. Qui hoc tradidit, Deus est; qui propter Clementiam, & benignitatem suam homo quoque factus est, & tanquam ouis ad mactationem, & mortem processit, ut obnoxium morti propter peccatum hominem morte exi-

meret. Causa huius traditionis est, magni huius beneficij recordatio. Corpus, & sanguis Christi ea sunt, quæ hoc ritu perficiũtur: ritus, finis, participatio Christi, & uita æterna: quod idem est, quasi diceres, participantium deificatio, ut diuus Paulus magna uoce proclamat, Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? &c.

Idem auctor paulò post, Si quis legem Mosis abroget, inquit Apostolus, sine misericordia ulla, sub duobus aut tribus testibus moritur: quanto dignus deteriori supplicio censendus erit, qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem testamenti prophanum existimarit, & Spiritum gratiæ iniuria affecerit? Verùm quis ille, qui conculcat Filium Dei, & aliorum quæ diximus reus censetur? Nonne qui sanguinem eius ingratus abrogat, nec admittit, & ueracis, ab omnique mendatio alieni, oris traditionem, & mandatum nihili facit? Hoc est corpus meum. dicentis, &, Hic est sanguis meus. &, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis uitam in uobis. Quid hæsitas? Quid omnipotenti impotẽtiam attribuis? Nonne ipse est, qui ex nihilo omnia ut essent, fecit? Vnus trium personarum Diuinitatis? Qui postremis temporibus incarnatus est, & panem in suum corpus transmutari iussit. Quid requiris causam & ordinẽ naturæ panis transmutationis in Christi corpus, & aquæ uinique in sanguinẽ? Cùm supra naturam, rationem, mentem, & cogitationem ex Virgine sit natus. Non credes itaq; nec mortuorum resurrectionem, nec in Cœlos eius assumptionem, & alia Christi miracula supra naturam, mentem, & cogitationem eminentia. Id tibi accidit, quòd Christum, non Deum uerum ac Filium Dei confiteris, sed Arrianismum, uel potius Iudaismum resipis. At fortassis dubitas, minimeque credis, quòd non uideas carnem & sanguinem, sed panem & uinum. Qua de re scias oportet, tu qui ingrato, iniquoque animo erga beneficium affectus es, Deum qui omnia nouit, cum humanissimus sit, prouide hoc fecisse, ad hominum imbecillitatem se demittentem, ne auersarentur multi arrabonem æternæ uitæ, & ægreferrent, carnem &

sanguinem intuentes. Itaque rebus naturæ consuetis hoc fieri uoluit, iis suam diuinitatem coniungens, cum dixit, Hoc est corpus meum. &, Hic est sanguis meus. &, Accipite, comedite, & bibite ex eo omnes, in remissionem peccatorum: & rursum, Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. &, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & bibatis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis. Hoc facite in meam commemorationem. Propterea ei credentes, ita offerimus panem perfectum, uiuum, siue corpus Christi, quod perfectum etiam post passionem permansit & integrum (neque enim os eius contritum est) & à diuina uita inseparabile: planè quale ipse primus noster ac magnus Pontifex, & sacrificus, uictimaque, suis ipsius discipulis tradidit: iique denuo, qui ab initio suis ipsi oculis Verbum intuiti sunt, eique ministrarunt, catholicæ Ecclesiæ ab extremis ad extremos usque Orbis terrarum limites tradiderunt: omnes quidem, Hierosolymitanæ, ubi & diuus Iacobus primi, magnique Pontificis frater ac successor, mysticam incruentamque liturgiam exposuit. Petrus autem & Paulus, Antiochensi; Paulus uerò peculiariter, Orbi uniuerso, Marcus, Alexandrinæ: Ioannes & Andreas, Asiæ & Europæ; omnesque uniuersæ Ecclesiæ ubicunque sit, per eam quam sanctus Clemens conscripsit liturgiam, tradiderunt.

Idem auctor inferius, Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans, hoc est, perpendens, & considerans corpus Domini. Et sequitur aduersus eos, qui negant in hoc sacro, realiter esse corpus Domini. Quòd si is, qui per se in aliquod humanorum uitiorum delapsus est, & indiscretè accessit, ut indignè communicans, tanta mulctatur condemnatione; qui in ipsam consecrationem peccat, & immediatè ipsum dominicum contumeliis afficit corpus, atque negat, traditionemque abrogat, & auctorem qui tradidit, conculcat, qua nam fuerit, & quanto magis deteriori, ac maiori dignus tum accusatione, tum supplicio? Horrore'ne plena sunt ea dicta? Reliquum'ne est ullum noui facinoris, præuaricationis, impietatis genus, quod ad hanc sceleris audaciam accedere

cedere posſit? Verùm libera, ò Domine, per tuam miſericordiam ab hac impoſtura, & dementia omnes eos, qui non rectè confitentur, quem conſecramus panem, & uinum, corpus perfectum & ſanguinem precioſum eſſe Chriſti tui. Hæc ille.

Samonas Arch. Gazæ.

Samonas Archepiſ. Gazæ ciuitatis, in ſua diſceptatione cum Achmed Sarraceno, perſpicuè docet, panem ac uinum per conſecrationem in corpus, & ſanguinem commutari: atque ſic in hoc diuino ſacramento uerum corpus, uerumq; ſanguinem Chriſti realiter, ac præſentialiter adeſſe. Dicit nãque, Sacerdos enim panem ſuper menſam ſanctam deponit, pariter & uinum, & comprecando, inuocatiõne ſancta, Spiritus ſanctus deſcendit, & ſuperuenit in ea, quæ ſunt propoſita, & igne ſuæ diuinitatis, in corpus & ſanguinem Chriſti, panem & uinum commutat. Et paulò pòſt, inquit, Hoc igitur corpus, & ſanguinem aſſumimus in remiſsionem peccatorum, & in uitam æternam, Domino noſtro ita dicente, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Hæc ille. Poſt multa, quærit Sarracenus, dicens, Hæccine communicatio & ſacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti, quod offertis ſacerdotes, uerum'ne eſt Chriſti corpus & ſanguis uerus, an exemplar corporis eius, perinde atque ſacrificium hirci, quod Iudæi offerunt? Huic autem interrogationi ita reſpondet Samonas, Abſit nos appellemus exemplar corporis Chriſti, ſanctam communionem, aut panem nudum, aut figurã, aut imaginem; quinimmo corpus ipſum re uera, & ſanguinem Chriſti Dei noſtri in Deum conuerſum aſſumimus, qui incarnatus, & genitus eſt ex ſancta Dei genitrice, ſemperque Virgine Maria. Sic enim credimus, & ita profitemur, iuxta uocem ipſius Chriſti, quam ad diſcipulos in cœna illa myſtica tradens eis panem uiuificantem, pronuntiabat, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum. Similiter & Calicem eis tradens, inquit, Hic eſt ſanguis meus. Nõ dixit, Hoc eſt exemplar mei corporis & ſangui-

Habetur in lib. Liturgiarũ.

nis, aut imago. Et in plerisque aliis locis constat Christum dixisse, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Cæterùm cùm ipsemet Christus testificetur, corpus suum esse re uera, & sanguinem, id quod nos fideles offerendo assumimus, quid amplius est opus de hac re dubitare, si Deum & Filium Dei ipsum esse credimus? Si enim ex nihilo mundum condidit, & uerbum eius uerum est, uiuum, efficax, atque omnipotens, & quæcunque uoluit Dominus, fecit omnia, non'ne potest panem in suum ipsius corpus mutare, & aquæ & uini commistionem in proprium sanguinem? Hæc ille.

MARCVS Epi. Ephesinus.

Habetur in lib. Liturgiarũ.

Marcus Episc. Ephesinus, hanc eandem ueritatem confitetur cum patribus omnibus præcedentibus, quòd panis, & uinum in uerum Christi corpus, atque in uerum Christi sanguinem permutantur. Adducitque Liturgiam Apostolorum à Clemente conscriptam, aliasque Liturgias, ut Iacobi, Basilij, Chrysostomi. Qui auctor quoad hanc ueritatem per omnia sentit cum aliis patribus nominatis, tum Latinis, tum Græcis, præter hoc unum, quòd putat non solum à uoce Dominicorum uerborum sanctificari diuina dona, uel perfici commutationem sacratissimam, uerùm consequente oratione & benedictione sacerdotis, uirtute sancti Spiritus. Sed hoc non est ad propositum. Bessarion probat bene contra ipsum, solis dominicis uerbis confici hoc diuinum mysterium, & adducit in hanc ueram sententiam doctores sanctos, Latinos & Græcos.

GERMANVS.

Habetur in lib. Liturgiarũ.

Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus hanc eandem ueritatem tenet, in sua consideratione, & mystica contemplatione rerum ecclesiasticarum. Ait enim, Deinde rursus Sacerdos recitat Deo & Patri, assumptionis humanitatis mysteria, ex sancta Virgine et Deipara ineffabilem generationem, conuersationem, & habitationem in

mundo, crucem, mortem, eius ad inferos descensionem, uinctorum illhic liberationem, &c. Infrà, Et rursus obsecrat, ut conficiatur mysterium Filii eius, & fiat, siue transmutetur ipse panis, & uinum in corpus, & sanguinem Christi & Dei, & impleatur hoc, Ego hodie genui te. Et sequitur, Vnde & sanctus Spiritus, beneplacito Patris, & uoluntate Filij inuisibiliter præsens, submonstrat diuinam confectionem, & manu Sacerdotis obsignat, & transinutat, & conficit proposita sancta dona in corpus, & sanguinem Domini nostri IESV Christi, qui dixit, Pro ipsis, Ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati. Quo pacto? Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et paulò pòst, Deus secundum imaginem suam formauit nos, quod est secundum sanctitatem, iustitiam, & potestatem: nos uerò transgresi, serui facti sumus Pharaonis asperi heri. Veniens itaq; Dominus noster IESVS Christus, redemit nos proprio sanguine, & induit nos nouo homine, ac preciosum suum corpus, & sanguinem nobis dedit, inquiens, Hoc facite in mei recordationem. Hæc ille. Infrà, Signare autem diuina dona, ut aduentu, & gloriosa Sancti Spiritus præsentia, transmutet, & faciat ex pane quidem, ipsum preciosum corpus Domini nostri IESV Christi; ex eo autem quod est in calice, ipsum preciosum sanguinem magni Dei, & Seruatoris nostri IESV Christi, qui effusus est pro mundi uita & salute: & ut participantibus ex eo, fiat in remissionem peccatorum, & uitam æternam. Hæc ille. Dicit & multa alia pro eadem ueritate facientia, & ad illam, sed ex eius dictis satis sit modò hæc pauca dixisse.

NIC. Cabasila.

Nico. Cabasila in sua compendiosa interpretatione in diuinum sacrificium, hanc ueritatem etiam tenet, & ad illam multa dicit. Ostendens enim, quid sibi uelit in summa uniuersum sacrificium, dicit statim in principio totius tractatus. Sanctæ sacrorum mysteriorum celebrationis opus, *cap. 1.* & effectus quidem est, donorum in diuinum corpus, &

ſanguinem mutatio. Finis autem, ut fideles per ipſa ſanctificentur, peccatorum remiſsione, & regni cœlorum hæreditate ſimul accepta. Præparatio autem, & quæ ad opus, & hunc finem conferunt, preces, pſalmodiæ, & ſacrarum literarum lectiones, & ut ſemel dicam, omnia, quæ ante donorum ſanctificationem ſacroſanctè dicuntur, & fiunt. Ecce opus & effectus celebrationis huius myſterij, eſt mutatio donorum in diuinum corpus, & ſanguinem. Idem auctor agens de ſanctificatione donorum, quæ in altari Domini ſanctificanda reponuntur, & quæ eam præcedit gratiarum actione, ait, Cùm uenerandam illam Cænam narrauit, & quomodo ipſam ante paſsionem dedit ſanctis ſuis diſcipulis, & quòd accepit calicem, & quòd accepit panem, & actis gratiis ſanctificauit, & quòd dixit ea per quæ ſignificauit myſterium, & cum ea ipſa uerba dixit, deinde procidit, & orat, & ſupplicat, diuinas illas uoces ipſius Vnigeniti Seruatoris noſtri etiam in donis propoſitis applicans, ut ſuſcepto eius ſanctiſsimo, & omnipotente ſpiritu, conuertatur quidem panis in ipſum precioſum, & ſanctum eius corpus, uinum autem in ipſum immaculatum & ſanctum eius ſanguinem.

cap. 27.

Idem auctor. ibid. cap. 27.

Sequitur, Hæc cum orauit, & dixit, uniuerſum ſacrificium peractum & perfectum eſt, & dona ſunt ſanctificata, & hoſtia integra, & perfecta effecta eſt, & magna hoſtia & uictima, quæ pro mundo mactata eſt, ſupra ſacram mēſam ſita cernitur. Panis enim non amplius figura Dominici corporis, neque donum ferens imaginem ueri doni, neque ferens aliquam deſcriptionem ipſius Seruatoris paſſionum tanquam in tabula; ſed ipſum uerum donum, ipſum ſanctiſsimum corpus Domini, quod omnia illa uerè ſuſcepit, probra, contumelias, uibices; quod crucifixum, quod interfectum, quod ſub Pontio Pilato pulchrum teſtimonium confeſſum eſt, quod colaphis appetitum, contumeliis affectum, ſputa paſſum eſt, & fel guſtauit. Similiter & uinum, ipſe ſanguis, qui exiliit occiſo corpore. Hoc corpus, & ſanguis, qui ex Spiritu ſancto conſtitutus eſt, natus ex Maria Virgine, qui ſepultus eſt, qui reſurrexit tertio die, qui aſcendit in cœlos & ſedet ad dexteram Pa-

tris. Hæc ille. Sequitur, Et quæ'nam est fides? Ipse dixit, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Ipse etiam iussit Apostolis, & per illos uniuersæ Ecclesiæ, hoc facere, Hoc enim, inquit, facite in meam recordationem. Hæc ille.

BESSARION.

Bessarion Episc. Tusculanus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Patriarcha Constantinopolitanus, in eo opere suo, in quo, De sacramento Eucharistiæ, & quibus uerbis Christi corpus conficitur, agit, hoc ipsum tenet, & pro ista ueritate adducit multa. Intentio erat sua, ut proponit, de ea quæstione agere, qua quærebatur, aut quæri poterat, Quibus potissimùm uerbis, intra solennes Missarum ritus, sacrosanctum Domini corpus, & sanguis conficiatur. Acturus autem de illa quæstione, supponit & declarat nonnulla, quorum hoc unum est, quo asserit, sacramentum istud diuinum Eucharistiæ, significare quidem duo, id est, corpus Christi uerum, & corpus Christi mysticum: Hac tamen lege, quòd corpus Christi uerum significat & continet, corpus uerò Christi mysticum non continet, sed significat. Infrà, nonnullis interpositis, Ex his sequi uidetur, Christi quoquè corpus duplex esse, uerum alterum, alterum mysticum. Et uerum quidem est, quod in hoc diuino Eucharistiæ sacramento consecratur, atque conficitur, sub uisibili specie panis & uini. Hoc idem est cum eo corpore, quod fuit ex Beata Virgine Spiritus sancti obumbratione conceptum. De quo ipse Dominus in exhibitione sacramenti, cùm nobis sensibilem panem, uinumq́ue ostendisset, ait, Hoc est corpus meum. &, Hic est sanguis meus. Deinde addidit, Qui pro uobis traditur, &, Qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Mysticum autem eius corpus est Ecclesia, & congregatio fidelium. Hæc ille. Deinde ostendit, diuinissimum corpus Christi & sanguinem, nullis aliis uerbis, aut sacerdotum precibus confici, quàm iis, quæ supra memorauit uerbis Domini, Hoc est corpus meum. &, Hic est sanguis meus. Et post nonnulla in eam uerissimam sententiam ad-

Habetur in lib. Liturg.

ducta, inquit, Ipsum certè consecrationis opus, & per consecrationem efficitur sacrum mysterium in extrema prolatione uerborum conficientium, quæcunque illa sint, & in instanti fit. Siquidem panis & uini substantia, in sua permanet natura, donec omnia illa, quæcunque sunt, quæ sacramentum perficiunt, uerba dicuntur. Quibus dictis mox consecratio fit, transsubstantialitas perficitur, consummatur sacramentum. Hæc ille.

INNOCENTIVS.

De officio Missæ. Innocentius in De officio Missæ, dicit etiam ad hanc catholicam ueritatem, Cùm Sacerdos illa Christi uerba pronunciat, Hoc est corpus meum. Hic est calix meus, panis & uinum in corpus, & sanguinem conuertuntur: illa uerbi uirtute, qua, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, qua dixit, & facta sunt: & mandauit, & creata sunt uniuersa. Ego igitur, qui uitam æternam habere desidero, carnem Christi ueraciter comedo, & sanguinem eius ueraciter bibo. Illam utique carnem, quam traxit ex Virgine, & sanguinem, quem effudit in cruce. Ego corde & ore confiteor, ipsum Dominum IESVM Christum in hoc sacramento manduco, fretus auctoritate ipsius Domini.

LANFRANCVS.

Lanfrancus Archiepisc. Cantuariensis, uir quidem & pietate & eruditione præditus, hanc eandem ueritatem, agnouit, tenuit & commendauit, quemadmodum uidere est in epistola, quam scripsit ad Berengarium, ut eum ad sanam mentem reuocaret. Nam post plurima ueterum testimonia ibi citata, concludit, Si uerum est, quod de corpore Christi tu credis, & astruis, falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur, & astruitur. Omnes enim, qui Christianos se & esse & dici lætantur, ueram Christi carnem, uerumque eius sanguinem, uera utraque sumpta de Virgine in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga uniuersos, qui Latinæ linguæ, no-

ſtrarumque linguarum notitiam perceperunt; interroga Græcos, Armenos, ſeu cuiuslibet nationis quoſque Chriſtianos homines, uno ore hanc fidem ſe habere teſtabuntur. Hæc ille. Quibus addit ſtatim, non potuiſſe unquam fidem hanc uniuerſalis Eccleſiæ eſſe falſam.

Ioan. Gerſon.

Ioan. Gerſon, Cancellarius Pariſiē. eadem hanc ueritatem uſquequaque tuetur, & teſtatur de Berengario, quòd cùm extremo decumbens morbo, mortem aduentantem ſentiret, in die Epiphaniæ Domini dixerit, alludens ad Latinam eiuſdem ſolennitatis appellationem, Hodie mihi apparebit Dominus Iesvs Chriſtus, uel ad gloriam ſicut ſpero, propter pœnitentiam meam, uel ad damnationem ſicut formido, propter aliorum corruptionem, quos ad uiam ueritatis reducere non potuit. *par. 4. alph. 64. e & par. 2. alph. 41. k*

Cassiodorvs.

Caſsiodorus exponendo illud Pſalmi, Tu es ſacerdos in æternum, dicit ad eandem ueritatem, Cui enim poteſt ueraciter & euidenter aptari, niſi Domino Saluatori, qui corpus & ſanguinem ſuum in panis ac uini erogatione ſalutariter conſecrauit? Sicut in Euangelio dicit, Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam æternam. Sed in iſta carne ac ſanguine nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat: ne ſicut dicit Apoſtolus, corpus Domini indignè manducet: ſed uiuificatricem ſubſtantiam, atque ſalutarem, & ipſius Verbi propriam factam, per quam peccatorum remiſsio, & æternæ uitæ dona præſtantur. Hæc ille. Ecce ſub ſpeciebus panis & uini, concipimus, credimus, accipimus, & manducamus uiuificatricem, & ſalutarem ſubſtantiam ipſius Verbi propriam factam, ſub ipſis ſpeciebus contentam: quam Saluator noſter in panis ac uini erogatione ſalutariter conſecrauit. *pſal. 109. Ioan. 6.*

Origenes.

Origenes super librum Numerorum, hanc ueritatẽ etiam docet manifestè. Comparans enim ea, quæ fuerunt in testamento ueteri, his nostris, quæ habemus in testamento nouo, dicit, Et quæ prius ænigmate designabantur, nunc in specie & ueritate complentur. Hæc ille. Qui in eodem loco, continuato sermone, explicans exemplis, & probans auctoritate, quod dixerat, ait, Et ideò ille, qui species figurarum & ænigmatum differebat, dicit, Scimus autem quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari: Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra; petra autem erat Christus. Vides quomodo ænigmata legis Paulus absoluit, & species ænigmatum docet, & dicit quia petra in ænigmate erat apud Mosem antequàm iũgeretur huic nostræ Aethiopissæ. Nunc in specie petra Christus est. Nunc enim os ad os loquitur per legem Deus. Antea in ænigmate fuit baptismus in nube, & in mari; nunc autem in specie regeneratio est in aqua & in Spiritu sancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei est uerus cibus: sicut ipse dicit, quia, caro mea, uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Hæc ille.

Homil. 7.

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

Iuvencus Presbyter.

Iuuencus etiam, Presbyter quidam, Hieronymo antiquior, qui carmine hexametro Euangelicam descripsit historiam, de hac ueritate & pro ea, metricè ita dixit.


Hæc ubi dicta dedit, palmis sibi frangere panem,
Diuisumque dehinc tradit, sanctumque precatus,
Discipulos docuit, proprium se tradere corpus,
Hinc calicem sumit Dominus, uinoque repletum
Sanctificat gratis uerbis, potumque ministrat.

Edocuitque

Edocuitque suum se diuisisse cruorem.
Atque ait, Hic sanguis populi delicta remittet,
Hunc potate meum; iam ueris credite dictis.

Hæc ille, in quibus fatetur expresse, Dominum nostrum, proprium corpus suum tradidisse discipulis in cœna. Proprium dicit, quod uerbum, omne amouet ambiguitatem.

De hoc eodem sacramento corporis, & sanguinis Christi, quid existimauerint, intrepideq; credendum statuerint sacra Concilia. CAP. VII.



Ed iam nunc sacra Concilia de hac catholica ueritate loquentia audiamus, in quibus proculdubio est diuina auctoritas; sicut Apostoli & seniores collecti in unum, scripserunt his, qui erant Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus, dicentes inter alia, Visum est enim Spiritui sancto & nobis, &c. Sicut etiam in multis locis aliis diuinarum scripturarum declaratur satis, & omnes sancti patres semper intellexerunt.

Diuina autoritas est in conciliis.

Act. 15.

Synodus Nicæna.

Nicæna Synodus de hoc sacramento corporis & sanguinis Christi Saluatoris nostri, ita loquitur, Iterum etiam hic in diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum, & preciosum ipsius corpus & sanguinem nos uerè sumentes, credere hæc esse nostræ redemptionis symbola. Propter hoc enim neque multum accepimus, (aliàs fortè, accipimus) sed parum: ut sciamus quòd non satietati, sed sanctimoniæ sumimus. Hæc ibi in eo sacro concilio, nunquam satis uenerando. Ecce igitur in sacra mensa altaris situs est Agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi, & preciosum ipsius corpus & sanguinem uerè sumimus: secun-

dum quam fidem locuta fuere semper omnia sacra concilia subsequentia, quoties opus fuit de hac ueritate agere, ut constabit ex sequentibus. Sunt etiam & hæc diuina sacramenta, symbola nostræ redemptionis: sed hoc nullo modo prohibet, aut impedit, quominus sub illis situs sit Christus ipse redemptor noster. Quinimmo ea, Christum quidem continent, ut ipse ait, Hoc est corpus meum. & mortem Christi repræsentant, ut Apostolus declarat, Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat. Vt etiam Saluator dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Per mortem autem Saluatoris nostri redempti sumus. quemadmodum tota diuina scriptura & noui & ueteris testamenti declarat. Et de hac re infra dicuntur multa, ubi contra obiectiones aduersariorum responsiones afferuntur.

1.Cor.11. Matth.26. Mar.14. Luca 22.

Synodus Ephesina.

Ephesina Synodus prima, quæ tertia est illarum quatuor, quas beatus Gregorius fatetur se uenerari tanquam quatuor Euangelia, hanc ueritatem declarauit, & determinauit omnino. Ea namque tempestate fuerunt quidam dicentes, in hoc diuino sacramento esse quidem carnem alicuius hominis, siue iustus ille fuerit, siue peccator, non esse curandum: in quam carnem, panis ibi præexistens conuerteretur: quæ caro, ut asserebant, proficiebat in remissionem peccatorum. Fuerunt rursus ea tempestate alij, qui dicebant panem illum conuerti in carnem hominis, non tamen cuiuslibet sine discrimine; sed in carnem hominis iusti, ac sanctificati, qui templum esset Dei, qui diuinam in se habitationem possideret, & hunc errorem apparet inuasisse Nestorium. Contra illos duos errores & pro hac nostra ueritate catholica, sancta illa Synodus ducentorum Episcoporum, cui præfuit, summi Pontificis uicem gerens, Cyrillus Alexandrinus Episc. in epistola quodam a toto concilio missa Nestorio hæretico, Constantinopolitano Episc. de cuius dogmate agebatur, quo duas di-

cebat in Christo personas, alteram Dei, alteram hominis, ita dicit, Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis & preciosi sanguinis Christi omnium nostrûm redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit, neque ut uiri sanctificati, & uerbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem: sed uerè uiuificatricem, & ipsius uerbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriè carne unitus est, uiuificatricem eam esse professus est. Et ideò quamuis dicat ad nos, Amen amen dico uobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem. non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam suam uiuificatrix esse caro poterit hominis? Sed ut uerè propriam eius factam, qui propter nos Filius hominis est factus, & uocatus. Hæc sancta illa Synodus. Ita ibi determinatum est, in hoc diuino sacramento esse, & à nobis participari uiuificatricem Christi carnem: non solùm per significationem, quinetiam & per continentiam, atque conuersionem panis in ipsam. De hoc enim sermo erat, non de carne solùm significata, sed & de carne contenta. *Ioan. 6.*

Synodus Lateranensis.

Lateranense Concilium celeberrimum sub Innocentio tertio, hanc eandem ueritatem definiuit, in his uerbis, Vna est fidelium uniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur: in qua idē ipse sacerdos est sacrificium, IESVS Christus; cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & uini ueraciter continentur: transsubstantiatis pane in corpus, & uino in sanguinem, potestate diuina.

Synodus Viennensis.

Viēnense concilium generale, tempore Clementis quinti, ita dicit apertè secundum hanc ueritatem catholicam,

In hac ſacramentali Chriſti cõmemoratione, IESVS Chriſtus eſt, ſub alia quidem forma, in propria uerò ſubſtantia. Aſcenſurus enim in cœlum dixit Apoſtolis, & eorum ſequacibus, Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. benigna eos promiſsione confortans, quòd ſcilicet permaneret & eſſet cum eis, etiam præſentia corporali.

Synodus Conſtantienſis.

Conſtantienſe concilium uniuerſale, eandem etiam decreuit ueritatem. Recẽſens enim errores Ioan. Vuitcleff, tertio loco collocat quendam eius errorem, his uerbis, Chriſtus non eſt in eodem ſacramento identicè & realiter in propria præſentia corporali. Illum autem errorem Vuitcleff, cum aliis omnibus eiuſdem auctoris, una ſuper omnes lata ſententia damnat idẽ ſacrum concilium. Damnando autem eum errorem, quo quis dicit, Chriſtum non eſſe in eodem ſacramento identicè, & realiter in propria præſentia corporali ſatis manifeſtè ponit, & probat hanc noſtram ueritatem de qua agimus, illi errori contrariam.

Synodus Baſileenſis,

Seſsio.30. Baſileenſe Concilium etiam pro hac ueritate ita habet, Nec ullatenus ambigendum eſt, quod non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie uini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integrè totus Chriſtus.

Synodus Florentina.

Florentinum Concilium œcumenicũ ſub Eugenio quarto, in epiſtola Synodotica, approbante toto concilio, ſecundum iſtam ueritatem dicit, quòd non ſolùm corpus & ſanguis Chriſti, ſed totus Chriſtus eſt uerè reali præſentia in Euchariſtia.

Synodus Auguſtenſis.

Synodus Diœceſana Auguſtenſis, iuxta prædicta uniuerſalia concilia, præſentiam Chriſti in diuino ſacramento Euchariſtiæ recognoſcens, dicit, ſub eleuatione ſacræ hoſtiæ, Antiphonæ ad hoc ſacrificium tantùm pertinentes cantentur: quanquàm melius & ueteri Eccleſiæ cõuenientius eſſet, præſentiam Dominici corporis in altiſsimo ſilentio proſtratos contemplari. cap. 17.

Synodus Tridentina.

Tridentinum Concilium, ſacroſanctum & œcumenicũ, eodem modo determinauit hanc ueritatem iuxta diuinas ſcripturas, & ſacroſancta concilia præcedentia. Ita enim habet, Principiò docet ſancta Synodus, & apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo ſanctæ Euchariſtiæ ſacramento, poſt panis & uini conſecrationem, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum uerum Deum, atque hominem, uerè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri, &c. Et ne aliquis nimium audax huic doctrinæ impunè ſe contradicere poſſe putaret, Canonem latæ ſententiæ contra eiuſmodi contradictores protulit, in forma ſequenti.

Siquis negauerit in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento contineri uerè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem unà cum animâ, & Diuinitate Domini noſtri IESV Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantum modò eſſe in eo, ut in ſigno, uel figura, aut uirtute, Anathema ſit.

Error, quo impiè, sacræ Eucharistiæ uerum Christi corpus & sanguinem inesse negatur, quando primùm & à quo originem habuerit. Quibus Conciliis, quibusque ab auctoribus idem reiectus sit: quis eundem à suo olim auctore palàm reiectum, abolitumque, ab inferis reuocauerit, & qui auctores nouißimè eiusmodi errorem scriptis suis confoderint. CAP. VIII.



IN pace habuit sancta Mater Ecclesia hanc ueritatem catholicam, de qua agimus, usque ad annum quinquagesimum primum supra millesimum: ut omnes fideles Christiani firmiter crederent, & nullo modo dubitarent, uerum Christi corpus, & uerum Christi sanguinem, ac tandem totum Christum uerum, uerè, realiter, & substantialiter in sanctissimo Eucharistiæ sacramento contineri: non solùm significatiuè, aut effectiuè, seu operatiuè, sed etiam præsentialiter. Eo autem tempore quidam Berengarius nomine, Gallus natione, Clericus Diaconus, seu, ut alij uolunt, Archidiaconus ecclesiæ sancti Mauricij Andegauensis, homo parum eruditus, ut Gidmundus testatur, sed dialecticis quibusdam captiunculis prorsus deditus, primus fuit, qui contra hanc ueritatem sentire, atque dogmatizare cœpit: asserens, nullam prorsus carnem in hoc diuino sacramẽto Eucharistiæ contineri realiter: addensque, quòd caro Filij Dei, Christi Saluatoris nostri, ibi est nòn uerè & realiter, sed tantùm in signo & figura, quemadmodum continebatur in aliis rebus, quæ in ueteri testamento Christum repræsentauerunt, ut fuit agnus Paschalis, Vacca extra portam ciuitatis pro peccatis populi immolata, & petra, quæ uirga percussa, sitienti populo aquam ministrauit: in quibus omnibus Christus continebatur non realiter, sed significatiuè, eo quòd signa erant ipsum Christum repræsentãtia. Vt Guido refert, primi duces huius erroris fuerunt Armeni: sed de ea re non extant auctores alij, qui ita referant, nec certum est, quos auctores ipse Guido secutus fuit in illa narratione. De his autem, quæ tunc contra

Error contra diuinũ sacramen. Eucharistiæ. Quãdo inceperit, & quis eius auctor fuerit.

Guido.

istum errorem Berengarij facta fuerunt, ita refert Alfonsus à Castro Archiepiscopus Compostellanus in suo opere aduersus hæreses. Hac occasione motus Leo nonus, tunc summus Ecclesiæ Pontifex, uir omnium historicorum testimonio, uitæ sanctitate clarus, Vercellis concilium congregauit, quo Berengarium ascitum, minimeque uenire uolentem, ut Lanfrancus ait, cum suis complicibus, nisi citissimè resipiscerent, perpetuo damnauit anathemate. Leo tamen pauco post modum interiecto spatio moritur, atque Berengarius in sua obstinatione persistens, uenenum suæ hæresis per totas diffudit Gallias. Qua de re Victor secundus, qui Leoni nono successit, concilium Turonis per Hildebrandum Ecclesiæ Romanæ tunc Cardinalem, ac illius uice Concilio præsidentem celebrauit: in quo Berengarius per quosdam eruditissimos uiros, & præcipuè per Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopū conuictus, sed minimè emendatus est: nam inde exiens, ad uomitum, uelut canis, rediit. Quam ob causam Nicolaus secundus, qui Victori in Ecclesiæ administratione successit, Romæ concilium centum & tredecim Episcoporum congregat, in quo adsistens Berengarius, aut emendatus, aut emendatum se pœnæ timore simulans, palinodiam cantauit, quæ in uolumine decretorum recitatur. Ita Alfonsus à Castro refert. Eodem modo narrat Ruardus Tapper in Explicatione Articulorum facultatis Theologicæ uniuersalitatis Louanien. Addit tamen de eodem Berengario, Hinc iterum ad uomitum est reuersus, & primum illud dogma, quod bis solenniter abiurauerat, non destitit per ecclesias & diuersa loca seminare. Propter quod à Gregorio septimo ad Concilium Romæ celebratum uocatus circa annum millesimum septuagesimum nonum, ob eandem impietatem tertiò iam damnatur, qui grauissimè errasse confessus coram frequenti illa Synodo, tertiò abiurauit antiquum suum errorem, ueniamque ab Apostolica benignitate est assecutus. Hæc Ruardus. In hac autem sua abiuratione, pœnitentia, & confessione perdurauit Berengarius usque ad mortem; ut constare potest ex dictis Ioannis Gersonis paulò ante positis. Refert nanque Gerson de Be-

Alfonsus à Castro. lib. 6.

De consecratione dist. 2. c. Ego Berēgarius.

Ruardus art. 13. tom. 2.

Gerson de pœnitẽtia Berẽg. rengario, ut iam posuimus, quòd cùm extremo decumbens morbo, mortis horam sentiret uicinam, in die Epiphaniæ Domini dixerit, alludens ad Latinam eiusdem solennitatis appellationem, Hodie mihi apparebit Dominus IESVS Christus, uel ad gloriam, sicut spero, propter pœnitentiam meam, uel ad damnationem, sicut formido, propter aliorum corruptionem, quos ad uiam ueritatis reducere non potui. Hæc Gerson.

Adduximus hæc in præsentia eo maximè, ut uideamus omnes, quanto tempore permanserit sancta mater Ecclesia pacificè in ista nostra ueritate catholica, quando cœpit primùm hic error contra illam, quis fuerit auctor huius erroris, quomodo ipse erroris auctor Berengarius pœnitentia ductus, suum errorem reuocauerit, & tandem in pœnitentia perdurauerit, & in illa obierit. Eò etiam hæc retulimus deinde, ut dicamus alia, quæ contra ipsum Berengarij errorem & pro nostra ueritate hac catholica habemus: uidelicet ipsa concilia, in quibus error Berengarij damnatus est, atque ipsam propriam Berengarij abiurationem & confessionem.

Synodus Vercellensis, item Turonensis & Rom.

Vercellense igitur concilium sub Leone nono. Turonense concilium sub Victore secundo, Romanum concilium sub Nicolao secundo, Romanum concilium sub Gregorio septimo, & denique ipsa Berengarij confessio, & abiuratio declarant, & probant hanc nostram ueritatem. Forma enim confessionis & abiurationis Berengarij est, quæ sequitur.

Forma confeßionis & abiurationis Berengarij.

EGO BERENG. corde credo, & ore confiteor, panem & uinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & uerba nostri redemptoris, substantialiter conuerti in ueram, ac propriam, & uiuificatricem carnem, & san-

& sanguinem Domini nostri Iesv Christi: & post consecrationem esse uerum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum, in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram patris: & uerum sanguinem Domini nostri Iesv Christi, qui de latere eius fluxit; non tantùm per signum & uirtutem sacramenti, sed etiam in proprietate naturæ, & ueritate substantiæ: sicut in hoc breui continetur, & ego lego, & uos intelligitis. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

Bernardvs.

Bernardus in uita S. Malachiæ Episc. inter alia miracula manifesta, quæ Deus Opt. Max. eo tempore operari dignatus est, ita narrat de quodam Clerico, qui de hoc diuino sacramento malè sentiebat secundum errorem Berengarij prædicti, & postea potenti Dei uirtute correpti, ad hanc nostram ueritatem catholicam reuersus fuit. Fuit quidam Clericus, inquit diuus Bernard. in Lesmor probabilis, ut fertur, uitæ, sed fidei non ita. Is sciolus in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantum modò sacramentum, & non rem sacramenti, id est, solam sanctificationem, & non corporis ueritatem. Super quo à Malachia secretò, & sæpe conuentus sed in cassum, uocatus ad medicum est; seorsum tamen à laicis, ut si fieri posset sanaretur, & non confunderetur. Itaque in conuentu clericorum data facultas homini est, pro sua sententia respódendi. Cumq; totis ingenij uiribus, quo non mediocriter callebat, asserere & defendere conaretur errorem, Malachia contra disputante & conuincente, iudicio omnium superatus, de conuentu confusus quidem exiit, sed non correctus. Dicebat autem se non ratione uictum, sed Episcopi pressum auctoritate. Et tu, inquit, ò Malachia, sine causa me hodie confudisti, aduersus profectò ueritatem locutus, & contra tuam ipsius conscientiam. Mœstus Malachias pro homine sic indurato, sed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum, Ecclesiam conuocat, errantem publicè arguit, publicè monet, ut resipiscat. Suadentibus tom. 2.

hoc ipsum Episc. & uniuerso Clero, cum non acquiesceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum protestantes. Nec sic euigilans, omnes, inquit, fauetis homini potius, quàm ueritati. Ego personam non accipio, ut deseram ueritatem. Adhoc uerbum substomachans sanctus, Dominus, inquit, fateri te ueritatem faciat, uel ex necessitate. Quo respondente, Amen. Soluitur conuentus. Tali ille inustus cauterio fugam meditatur, infamis atque in honoratus fore non sustinens. Et continuò sua tollens, exibat: cum ecce subita correptus infirmitate, sistit gradum, uiribusq; deficiens, eodem loco iactat se super solum anhelus & fessus. Fortè incidens in id loci uagabundus insanus offendit hominem; quidnam ibi agat, percunctatur. Respondet, graui se infirmitate teneri, & neq; procedere, neq; redire ualentē. Et ille, Infirmitas ista, haud alia, inquit, quàm ipsa mors est. Hoc autem non dixit à semetipso, sed pulchrè Dominus per insanum corripuit eum, qui sanis acquiescere noluit consiliis sensatorum. Et addit, Reuertere domum, ego te iuuabo. Denique ipso duce, reuertitur in ciuitatem, redit ad cor, & ad misericordiam Domini. Eadem hora accitur Episc. agnoscitur ueritas, abiicitur error, confessus reatum, absoluitur, petit uiaticum, datur reconciliatio, & uno pene momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mirantibus cunctis sub omni celeritate completus est sermo Malachiæ, & scripturæ pariter dicentis, quia, Vexatio dat intellectum auditui. Hæc diuus Bernardus. Idem in De præcepto & dispensatione, Nunquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium, cum ira & disceptatione contigere sacramentum, in quo Deus indubitanter est, mundum reconcilians sibi.

Patres, qui contra Berengarij errorem scripserunt.

ADVERSVS prædictum errorem Berengarij olim cum illum ipse Berengarius tutaretur primus, scripsit primùm

Lanfrancus Cantuarien. Archiepiſcopus: poſt eum, ſcripſit Guidmundus ex monacho Auerſanus Epiſc. Eodem tempore ſcripſit Algerius, è Scholaſtico monachus Corbienſis, in Saxonia. Scripſit etiam aduerſus eum, teſte Ioan. Tritemio, quidam Adelmanus, ex Clerico Leodienſi Epiſcopus Brixienſis, qui eiuſdem Berengarij fuerat condiſcipulus. Scripſit etiam aduerſus eum Hildebertus quidam Epiſc. Cenomanenſis, ac poſtea Epiſc. Turonenſis, ut teſtatur idē Tritemius in libro de eccleſiaſticis ſcriptoribus. Lanfranc. Gudmūd. Algerius. Adelman. Epiſc. Brixien. Hildeber.

Lapſis poſt Berengarium ducentis annis, & eo amplius, Ioan. Vuitcleff, eundem amplexatus eſt errorem: eamque ob rem error ille tanquam palingeneſia quadam rediuiuus, denuo damnatus fuit in Concilio Conſtantienſi; ut ex iam dictis conſtat ſatis. Demum hoc noſtro tempore, Ioannes Oecolampadius, hanc hæreſim iam diu damnatam ſepultamq; reduxit ab inferis, eamque quoad potuit, ſcripturis tam ex ſacro inſtrumento quàm ex dictis ſanctorum communiuit, aliquibus malè adductis, quibuſdam detruncatis, omnibus tamen perperam intellectis. Atque ita exiſtimat Alfonſus à Caſtro primum huius erroris, noſtra ætate ſuſcitatorem fuiſſe Ioannem Oecolampadium. Sed Philippus Melāchthon, qui licèt in hac re nobis aſſentiatur, in aliis tamen aduerſarius noſter fuit, annis ſuperioribus, ſic procedit in tract. ſuo de cœna Domini contra Anabapt. ut exiſtimet, Caroloſtadium primum excitaſſe hunc tumultum. Verba eius ſunt hæc in eo tractatu, quibus ab eo errore diſſentit, Ego nouum dogma, quod maximam ruinam rerum maximarum ſecum trahit, ſine firmioribus teſtimoniis non uelim profiteri. Caroloſtadius primùm excitauit hunc tumultum, homo ferus, ſine ingenio, ſine doctrina, ſine ſenſu cōmuni, quem nullum unquam humanitatis officiū aut intelligere aut facere animaduertimus, tantùm abeſt, ut eo ſignificatio aliqua Spiritus ſancti animaduerſa ſit, immo extant manifeſta ſigna impietatis. In tota doctrina ſolebat Iudaizare & diſſentire: damnabat omnes leges ab Ethinicis conditas, contendebat in foro ius ex Moſe dicendum eſſe, totam illam Phanaticam Anabaptiſtarum doctrinā ſtatim initio ambabus manibus am- Io. Vuitcl. Io. Oecol. Phil. Melanc. Caroloſt. Melanch. uerba.

plectebatur, cum cœpisset eam in Germania serere Nicolaus Storck. Hæc ille. Quisquis autem fuerit, qui illum prædictum errorem olim ex Berengario prognatum, & ab eodem postea reiectũ, modò primus suscitauit, siue Oecolampadius, siue Carolostadius, non refert: ambo enim, sibi malè consulentes, tenuerunt illum: quibus se asseclam præbet nunc Ioan. Caluinus ex huius farinæ uiris sapiens, non ex scripturis diuinis, non ex doctoribus sanctis.

Quemadmodum autem error ille nunc denuò suscitatus fuit, ita etiam & nunc recenter damnatus est in hoc sacrosancto Tridentino Concilio, ut iam supra posuimus. Denuo insuper multi patres sanctissimi, atque eruditissimi scripserunt contra ipsum Oecolampadij errorem. Veritatem enim nostram catholicam, idest, realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Sacrosancta Eucharistia, multis modis probat Ioannes Roffensis, in præfatione libri tertij. Idem auctor in diuino suo & eruditissimo opere, quod fecit contra blasphemum & omnibus modis execrabilem libellum Ioannis Oecolampadij de expositione uerborum cœnæ Domini, Hoc est corpus meum. ostendit clarissimè, hanc nostram ueritatẽ à temporibus Apostolorum concorditer docuisse uniuesos Orthodoxos patres, tam priscos, quam recentiores, & horum hanc doctrinam atque institutionem semper secutum esse populum Christianum. Scripsit etiam contra Oecolampadium Iodocus Clitoueus. Et scripsit contra eundem errorem Alfonsus à Castro in suo opere aduersus hæreses. Scripsit Constallus Episcopus Dunelmensis, & Reuerendus pater Ioannes Hoefmestærus. Scripserunt etiam nonnulli alij, quos non est opus modò referre. Quos hactenus adduximus, sufficere arbitramur, hoc enim qui non audierit, nec alios audiet, in quouis numero adducantur. Scripserunt de hac etiam ueritate & pro ea Ioannes Driedonius in De dogmat. uariis, & lib. apocry. Ruardus Tapper in explicatione Articulorũ facultatis Theologicæ uniuersitatis Louaniensis, atque Stanislaus Osius Episcopus Varmiensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & in hoc sacrosancto uniuersali Tridentino Concilio Legatus meri-

Patres qui de nouo scripserunt cōtra errorem Bereng.

Io. Roff.

Iod. Clito.

Alfonsus à Castro. lib. 6.

Cōstallus lib. 2. de ueritate corpo. &c.


Io. Hoef.

Driedon. lib. 4. par. 4. & 5. tom.

Ruardus art. 13. tom. 2.

tissimus, uir quidem eruditione, uitæ sanctitate, præclarus, quem sibi multi ad imitandum proponunt. Scripserunt, inquam, etiam ij patres doctissimi, proque hac ueritate multa dixerunt, multaq; aliorū patrum adduxerunt, quibus res tota, satis manifesta atque aperta reddita est. *Varmi. in explic. fidei catholicæ. cap. 39*

Facultates Parisiensem, & Louaniensem, atque adeo Lutherum ipsum, & Melanchthonem prænotatam ueritatem approbasse. De Buceri, Lutherique in ea dissidio, eorumque in concilio Vuittembergæ conciliatione, in qua Lutheri opinioni error adnatus est. Paschasii dictis orthodoxa fides confirmatur, catalogusq; apponitur eorum, qui corpus, & sanguinem Christi, ueré Eucharistiæ inesse existimarunt. C A P. IX.



Arisiensis facultas Theologica in suis articulis declarantibus fidem, & religionem Christianam, ita determinauit pro hac ueritate catholica, Quilibet Christianus tenetur firmiter credere, in cōsecratione Eucharistiæ, panem & uinum conuerti in uerum Christi corpus & sanguinem, remanentibus tamen panis & uini speciebus, sub quibus realiter uerum Christi corpus continetur, quod ex Virgine natum est, & in cruce passum. Hæc illa facultas. *art. 5.*

Louaniensis facultas Theol.

Louaniensis facultas Theologica, eodem modo pro hac ueritate catholica ita determinauit, In Eucharistiæ sacramento est re ipsa uerum corpus Domini nostri IESV Christi, illud ipsum quod de Virgine natum, & in cruce passum est. Hæc ille. Et addit, In Eucharistia non manent panis & uinum, sed hæc in corpus & sanguinem Christi admirabili potentia uerbi ipsius sunt conuersa, manentibus tantùm panis uinique speciebus: unde certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sanctè à nobis adorari, siue in Missa, siue extra Missam, ubicunque reposita fuerit: aut quoties in supplicationibus publicis à Sacerdote circumfertur. Hæc illa facultas. *art. 13.* *art. 14.*

TERTVLLIANVS.

Tertullianus in lib. De carnis resurrectione postquàm carnem nostram, substantiam friuolam & sordidam, multis extulit præconiis, addit, Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima cõsecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione obumbratur, ut anima Spiritu illuminetur: caro corpore, & sanguine Christi uescitur, ut anima de Deo sanetur. Idem auctor lib. 2. ad uxorem, de muliere loquens, que gentili nupta sit, planè indicat alium hunc panem esse, quàm gentiles credant. Idem in libro De corona militis, de sacramentis loquitur: & de sacramento Eucharistiæ agens, fatetur quòd calicis aut panis nostri aliquid decuti in terram
lib. 4. anxiè patimur. Idem aduersus Marcionem ait, Christus, qui desiderauit desiderio edere pascha, acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum fecit illum, dicendo, Hoc est corpus meum, &c. Sed quia hunc Tertulliani locum aduersus Marcionem, quidam nostri aduersarij perperam intelligunt, & ad suam ipsorum falsitatem detorquent, inferius de illo latior erit sermo, ubi obiectionibus respondebitur.

Quidam etiam bene metricè dixerunt,

Refert S. Tho. par. 3. quæst. 81. art. 1. ad primũ arg.

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena.
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibis.

Quid multa? Si licet in hac causa huius catholicæ ueritatis tuenda, ab aduersariis nostris accipere testimonia, habemus & nos huius ueræ doctrinæ testes, Martinum Lutherum, Philippumque Melachthonem, & alios, qui eos sequuntur. Ij enim uerè docent, facta consecratione in hoc diuino sacramento Eucharistiæ realiter, substantialiter, atque uerè præsens addesse corpus Christi Domini nostri, & præsentem eius sanguinem: in eo solo errantes quoad hoc sacramentum in hoc articulo, quòd negantes transsubstantiationem, dicunt cum corpore & sanguine

Domini in hoc ſacramento, manere ſimul panis & uini ſubſtantias. Sed hoc aliud eſt, contra quod directè agit tertia concluſio noſtra, quæ paulò ante in hoc articulo poſita eſt, & paulò poſt probabitur.

Lutheri teſtimonium.

LVTHERVS igitur tanquam à manifeſta ueritate uictus, fatetur in hoc ſacramento poſt conſecrationem, eſſe realiter uerum corpus Chriſti, non ſolùm tanquam in ſigno aut figura, ſed uerè præſentia ipſa. propter illud manifeſtum uerbum Domini, Hoc eſt corpus meum. Agit de hoc in multis locis, ut in libro ſuorum articulorum; in epiſtola quã ſcripſit chariſsimis Argentinæ; & in epiſtola ad Ioannem Heruagium Argentinenſem. Etenim in epiſtola ad chariſsimos Argentinæ, dicit, Hoc diffiteri non poſſum, nec uolo; Si Caroloſtadius, aut alius quiſpiam ante quinquennium mihi perſuadere potuiſſet, in ſacramentò præter panem, & uinum eſſe nihil, magno ille me beneficio deuinxiſſet, grauibus enim curis anxius in hac excutienda materia, multum deſiderabam omnibus neruis extenſis me extricare, & expedire conatus ſum; probè perſpiciebam hac in re Papatui cum primis me ualde incommodare poſſe. Verùm ego me captiuum uideo, nulla elabendi uia relicta. Textus enim Euangelij nimis apertus eſt & potens, qui facilè cõuelli non poteſt, multo minus uerbis aut gloſsis ex capite uertiginoſo confictis ſubuerti. Sum enim (proh dolor) plus æquo in hanc partem propenſus, quantum Adami mei naturam aduertere poſſum. Hæc ille.

Melanchthonis teſtimonium.

MELANCHTHON etiam eodẽ modo ſenſit cum Luthero; Vnde in tractatu De Cœna Domini contra Anabaptiſtas, fidem ſuam de hac ueritate oſtendens, & eos notans, qui dominicam cœnam dicunt ſolùm eſſe figuratiuam, umbra-

ticam, aut metaphoricam, dicit, Quibusdam ualde hebetes uidemur, quòd in uerbis Euangelij, Hoc est corpus meum. non uideamus metaphoram, nec intelligamus nos ab infinitis quæstionibus unius beneficio methaphoræ liberari. Videtur insania esse, sententiam longè omnium absurdissimam mordicus tenere, cùm aliam commodissimam offerat metaphora. Hi desiderabunt in me iudicium: hîc etiam quòd in his testimoniis hyperbolas & allegorias non depræhenderim. Ego uerò non ignoro hæc medicamina utilia & exquisita, ut quibus medicantur has sententias alij. Verùm, quid non poterit eludi hac arte, si licebit allegorias comminisci nostro arbitrio? Quidam enim callidi homines totam religionis doctrinam hoc modo transformarunt in philosophiam. Quomodo Origenes totam historiam, quam describit Genesis de Paradiso, traxit ad allegoriam & spiritum, negans corporalem huiusmodi hortum à Domino plantatum, & arbores esse corporales, quarum meminit Genesis, ut dicit de eo beatus Augustinus. Pergit Philippus, Et uniuersam Ecclesiam catholicam semper docuisse corpus, & sanguinem Domini uerè adesse in cœna dominica, perspicua & clarissima docent ueterum scriptorum testimonia. Et quanquàm fides non pendeat ab humana auctoritate, sed à uerbo Dei, tamen cùm scripturam imbecilles à fortioribus confirmari uelit, iuuat habere Ecclesiæ testimonia in omnigenere tentationum. Vt enim uiuos libenter consulimus, quos iudicamus usum aliquem habere spiritualium rerum, ita & ueteres quorum scripta probantur, censeo consulendos esse. Sunt & aliæ causæ, cur ueterum testimonia non contemnam, Existimo enim hoc communiter sensisse Ecclesiam, quod isti scripserunt. Neque uerò tantum est à communi sententia ueterum discedere. Ego nouum dogma, quod maximam ruinam rerum maximarum secum trahit, sine firmioribus testimoniis non uelim profiteri. Caroloftadius primùm excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animaduertimus, tantum abest ut in eo significatio aliqua

Caroloſta. uir peßimus.

Spiritus

Spiritus sancti animaduersa sit: immo extant manifesta signa impietatis. In tota doctrina solebat Iudaizare & dissentire, &c.

Itaque postquàm annis superioribus cœperunt quidam excutere iugum Domini de ceruicibus suis, & seipsos ab obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ subtraxerunt, capite Ecclesiastico destituti, in sectas uarias diuisi sunt, ut unus quisque pro libito diceret, quæ uoluisset. Retinuit Martinus Lutherus hanc ueritatem catholicam de existentia corporis Christi uera atque reali in sacramento Eucharistiæ, cum quo etiam in ea erant Ioannes Bugenhagius, Pomeranus, Philippusq; Melanchthon, tanquam ex una parte. Ex alia parte erant Vuolfangus Capito, Martinus Bucerus, & Vuolfangus Musculus, qui è contra negabant realem existentiam corporis & sanguinis Domini in sacra Eucharistia, asserentes ea ibi esse solùm tanquam in signo. Cum ergo Bucerus & alij eius asseclæ docerent, non realiter nec substantialiter, sed figuratiuè tãtùm Christum esse in sacra Euchatist. quomodo erat in mãna & agno paschali, reclamante Luthero cum tota sua schola, nec sine mutua partium iniuria, grauem animis molestiam atque indignationem Principes Germaniæ, & totus populus, ex dissidio in grauissimo isto nostræ religionis articulo concœperunt. Coactum est igitur concilium pro pace & concordia ineunda inter coryphæos sectarũ, quæ conuenerunt Vuitembergam ad ædes Martini Lutheri, anno. 1537. Tunc Bucerus excogitauit medium concordiæ, quod & proposuit, prout in eiusdem congregationis eorum actis reperitur, quæ sic habent, Audiuimus D. Bucerum explicantem suam & aliorum, qui unà adfuerunt sententiam de sacramento corporis & sanguinis Domini. Confitentur, sentiunt, & docent cum pane & uino uerè & substantialiter adesse & exhiberi corpus Christi & sanguinem, &c. Vnde coacta est pars Buceri in hoc saltem uenire, confiteri & docere, quòd porrecto sacramento simul adest & exhibetur corpus Christi. A' qua parte si quæratur, unde hoc habet? manifestum est se non posse alio modo respondere, nisi asserat quòd propter illud uerbum Domini, ex quo agimus,

Io Bugēh. Pomeran. Vuolfang. Capito. Bucerus. Vuolf. Musculus.

Refert Ruardus Tapper. art. 13. tom 2. Io Cocl. tract. 8. lib. 3. Miscellaneorum.

Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Et sic habemus non solùm ab scripturis sacris, nec solùm ab amicis, quinetiam & ab inimicis, istud uerbum diuinum, Hoc est corpus meum: esse positiuum corporis Christi in sacramento Eucharistiæ.

In hac illorum concordia partim obtinuit contra falsitatem ueritas, partim autem obtinuit contra ueritatem falsitas. Obtinuit ueritas contra falsitatem, quòd Bucerus omnesque eius asseclæ fatentur saltem eo tempore, quo hoc diuinum sacramentum porrigitur, aut sumitur, præsentem adesse Saluatorem nostrum, & cum eo simul porrigi aut sumi: namque ante istam concordiam, etiam hoc negabat Bucerus, & ad hanc confessionem uictus est atq; superatus à Luthero. Obtinuit tamen falsitas contra ueritatem, quòd Lutherus & omnes, qui ab eo stabant, dixerũt postea Saluatorem nostrum, præsentem adesse realiter in hoc diuino sacramento, solùm in tempore usus illius, non autem antea: cum tamen prius non dixissent hoc, sed simpliciter assererent, Saluatorem nostrum in hoc sacramento esse realiter præsentem: uidelicet statim post consecrationem, quandiu durat sacramentum. Quod omnes dixerunt per concordiam, Christum Saluatorem nostrũ tempore, quo hoc sacramentum alicui ministratur, adesse realiter præsentem, & cum sacramento præstari aut sumi, utique est uerum, & in hoc concordia ipsa neutiquam improbanda fuit. Quod autem per concordiam illi dixerunt, Christum non esse realiter præsentem in sacramento nisi tempore communionis, porrectionis, aut sumptionis sacramenti, falsum est omnino: & in hoc concordia fuit mala. Mala namque est concordia, super falsum confitendum, credendum, aut prædicandum. Etenim quòd uerum corpus Christi realiter sit præsens in hoc sacramento, nos non aliunde habemus quàm ex illo uerbo ipsius Christi, Hoc Est Corpus Meum. quia in hoc uerbo ipse primus corpus suum in hoc sacramento posuit, & hoc uerbum nobis reliquit, in quo nos idem corpus suum in hoc sacramento consecremus. Tanquàm hoc uerbum in persona Christi à sacerdote prolatum, diuina uirtute id agente, sit consecra-

Lutheri opinio quo pacto errorem admiserit.

tiuum corporis Christi, & illius in hoc sacramento positiuum. Christus enim Dei Patris naturalis Filius, eidem consubstantialis natura, æqualis uirtute & potentia, sua diuina potestate potuit corpus suum in hoc sacramento ponere, absque uerborum quorumlibet prolatione; sola sua potentissima diuina uoluntate, qua cœlum & terram, & uniuersa ex nihilo creauit. Vsus tamen est in hac re altissima, his diuinis uerbis suis, quibus dixit, Hoc est corpus meum. In his tunc consecrauit, & in his uoluit atque præcepit nos deinceps consecrare. Sic semper notum fuit apud omnes patres antiquissimos, Latinos atque Græcos, ut satis probauit Bessarion: & sic iam determinatum est in sancto uniuersali concilio Florentino: sicque habet Schola Christiana in libris sententiarum. Refert Bessarion, Augustinum, Ambrosium, Chrysost. Damascenum, sed præter hos patres, sunt alij etiam penè infiniti. In hoc igitur uerbo consecramus; quod cùm sit uerum atque enuntiatiuum de præsenti, statim ponit in re, quod significat in uoce. Aliàs, quomodo erit uerum? Absit autem, ut dicamus sacramentorum formas uocales, esse falsas. Merè igitur gratis dictum est, hoc uerbum Domini, Hoc est corpus meum, non habere aut non ponere suum significatum in re, statim atque est prolatum, sed postea quando sacramentum sumitur. Neque solùm est merè gratis dictum, sed etiam simul est impium. Est gratis dictum; quia sine auctoritate, sine causa, sine ratione. Quandoquidem, si in uirtute huius uerbi ponitur corpus Christi in hoc sacramento, profectò maior ratio est, quòd hoc fiat, dum hoc uerbum profertur, aut statim simul atque prolatum est. Est etiam impium, quia qui dicit corpus Christi non esse in hoc sacramento, nisi dum sacramentum sumitur; ille in toto tempore intermedio, inter uerbi prolationem & sacramenti sumptionem, illud uerbum falsitate obruit. Verum est, quòd hoc sacramentum institutum fuit propter usum: sed hoc non obstante, hoc sacramentum sine dubio conficitur, quando uerbum consecrationis super debitam materiam, & cum recta intentione à sacerdote profertur.

Bessarion. Est in lib. Liturg.

Concilium Floren. lib. 4. dist. 8. quæst. 10.

Formæ sacramentorum, sunt ueræ.

GABRIEL BIEL.

Placuit igitur Deo Optimo Maximo uerbum instituere in Ecclesia sua, quam acquisiuit sanguine suo, ad cuius prolationem legitimam ipse uirtute sua infinita poneret corpus suum realiter, ut nostri aiunt, atque præsentialiter in hoc diuino sacramento Eucharistiæ: eo tempore, ea hora, eo instanti. Vnde sicut iam superius posuimus, Basilius & Chrysostomus optimè dixerunt, O miraculum, ò Dei nimia beneuolentia, quæ sursum sedet ad dexteram Patris, sacrificij tamen tempore manibus hominum continetur. Quod est illud uerbum? Hoc est corpus meum. Hæc, enim enuntiatio est, per quam Deus ipse exercet negotium, positionis realis sui corporis in sacramento: non prout hæc enunciatio est in libro scripta, nec prout est tantùm in mente concepta: sed prout est super debitam materiam, & cum recta intentione à sacerdote uocaliter seu in uoce prolata. Quia uerò hæc enunciatio prout sic, idest, prout est uocalis, est oratio uocalis, & est quædam quantitas discreta succesiua, ut constat omnibus ex doctrina prædicamentorum: possunt esse de illa quæstiones, quæ de omni alia oratione seu enuntiatione uocali moueri solent. Vicelicet, Quando sit; Et quando significet. Et quando sit uera. ut autem hæ quæstiones tollerentur atque omnino uitarentur, bene notauit Gabr. super Cano. Missæ, dicens, Hoc tenendum est, quòd hæc oratio non est forma sacramentalis, ut uera; sed ut tale signum præcedens forte tempore uel ad minus natura, suam ueritatem, idest, conuersionem, per quam propositio est uera. Et nec ut uera, nec ut falsa est conuersiua; sed ut sic, tanquam dispositio præuia à Deo instituta, ad effectum sacramentalem: cui Dominus ex pacto assistit ad causandum talem effectũ in termino suæ prolationis, siue significet hoc, siue aliud: siue uera, siue falsa. Non itaque necesse est ministro, de eius ueritate disputare: sufficit ei, intendere proferre hanc orationem eo modo & fine, quo Christus instituit eam proferendam. Et hæc est intentio debita, quam habere

Gabriel. lect. 48. litera S.

debet actualiter uel habitualiter, ut declaratum est: qua existente, & ipso orationem uocaliter distinctè proferente, assistit Deus ad perficiendum effectum. Hæc ille. Et profectò, quàm optimè. Ita igitur theologizandum est nobis omnibus de hac forma sacramenralis consecrationis, ut dicamus & firmiter credamus, eam ex diuina pactione esse quasi quandam præuiam & proximam & immediatam dispositionem ad realem positionem corporis Christi in hoc sacramento altissimo. De dispositione autem præuia & proxima & immediata, nemo est, qui non sciat, eam statim habere effectum, ad quem ordinatur. *lect. 6. ubi supra.*

S. BONAVENTVRA.

S. Bonauentura satis bene notauit post Alexandrum de Ales, & Gabrielem super Canonem Missæ, quòd hæc oratio singulariter significatiua est, inter omnes orationes. Nam aliæ orariones tantùm sunt indicatiuæ ueritatis, uel existentiæ eius quod significant: hæc autem quod significat, efficit, & operatur. Nec solùm est oratio hæc singularius, comparando ad alias communes locutiones: sed etiam singularis, comparando ad alias formas sacramentales. Sicut & hoc sacramentum non solùm omnium aliorum dignissimum est, sed & super mirabile, & singulare. Vnde sicut sex notantur in hoc uenerabili sacramento singularia: ita eadem singulariter oportuit per eius formam designari. Primum est, mirabilis illa conuersio panis in corpus Christi. cuius conuersionis mira singularitas in superioribus exposita est. Ideò oratio, quæ dicitur forma huius sacramenti, nedum est significatiua, sed operatiua: Efficit enim quod significat, tanquàm causa sine qua non, ut supra dictum est. Secundum, quòd operatio illa siue conuersio ad successiuam orationis prolationem facta, nō est successiua, sed instantanea. Tertium, quòd non est operatio siue productio alicuius rei nouæ uel non existentis, sed terminus eius est ens actu completum, substantialiter non mutatum. Quartum, quòd conuersio illa terminatur ad illud ens, scilicet corpus Christi, ut est signum al-

lib. 4. sent. dist. 8. quæst 7. Potest uideri Alex. de Ales. par. 4. quæst. 33. memb. 3. art. 2. Gabriel lect. 48. littera V.

terius, uidelicet corporis Christi mystici, Ecclesiæ scilicet fidelium, quæ est corpus capitis Christi secundum Apostolum, Dedit illum caput super omnem, quæ est corpus eius. Quintum, quòd hæc conuersio fit uirtute Verbi increati, non tamen sine ministro sacerdote, uerba certa super materiam certam cum intentione debita proferēte. Sextum, quòd sacerdos nullam operationem habet præter uerborum prolationem circa materiam conuertendam. Siquidem ad effectum conuersionis non requiritur quòd sacerdos materiam scilicet panem & species tangat, leuet, frangat, aut dispenset. Sine omnibus his, sola uerborum prolatione cum intentione consecrandi, fit conuersio: etiam si nec tangat, dispenset, frangat, aut sumat. Non sic in aliis sacramentis. In baptismate non sufficit prolatio uerborum super puerū & aquam; sed requiritur lotio in aqua, quæ est operatio sacerdotis baptizantis: & in confirmatione, unctio in fronte confirmandi, quæ similiter est operatio Episcopi confirmatoris: sine quibus nihil efficiunt uerba. Hæc Gabriel. Ex quo multa alia possemus adducere. Sed hæc sufficiunt. Hoc igitur modo semper intellexerunt omnes patres & sancti doctores, qui ante nos fuerunt, hæc uerba Domini, Hoc est corpus meum. ut firmiter crederent illa statim esse effectiua, seu operatiua eius rei quam significant: idest, sic quod ad rectam prolationem eorum à Sacerdote super debitam materiam, statim ponatur ibi uerum corpus Saluatoris nostri. Ita ij prædicti patres expressè tanquàm rem notissimam, & cognitam ueritatem, proposuerunt, Alexander de Ales, sanctus Bonauentura, & Gabriel, paulò ante relati: nec isti solùm, sed & S. Thomas, Scotus, & cuncti alij doctores Scholastici: ante quos omnes, immo & ante mille, ante mille centum, atque ante mille ducentos annos, eodē modo intellexerunt & crediderunt hanc ueritatem & hoc uerbum Domini, doctores sancti, catholici, & antiquissimi, ut palàm est in allegatis dictis eorum. Vnde mos fuit apud eos, ut post consecrationem, quæ prædictis uerbis fit, statim sacerdos diuinum sacramentum populo ostenderet, in quo populus Christum realiter præsentem adoraret, ut paulò post dum

de quarta conclusione sermo, erit, satis demonstrabitur. Malè igitur inita est pax factaq; est conciliatio inter Lutherum & Bucerum, ut dicerent, uerum Christi corpus solùm tempore porrectionis aut sumptionis, esse in hoc sacramento realiter, non ante. Quia immo statim per consecrationem ad prolationem uerborum est ibi, & manet, quandiu durat sacramentum. Non enim ponitur ibi per porrectionem, nec per sumptionem; sed per consecrationem, & uerborum Domini prolationem. Verbum Domini rectè prolatum hoc facit, quod statim habet effectum. Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum. Mira concordia hominum illorum illa fuit, quæ potentissimum & excellentissimum Dei uerbum, Hoc est corpus meum. suo effectu mirabili ac sua ueritate tanto tempore priuauit, quantum fuerit medium inter prolationem uerbi, & sumptionem sacramenti. Ita illi ergo & malè & falsè concordarunt. Sed profectò, Verbum Domini in æternum semper stat, semperq; est, quod est etiam si ab hominibus perperam concordantibus negetur esse. Non est concilium, non est prudentia contra Dominum. Cœlum & terra transibunt, uerba autem eius ullo pacto non transibunt. Omisso igitur eo in quo Lutherus & Bucerus errarunt, uel nimium seipsos amantes, uel uerbum Dei prorsus non intelligentes: in eo tamen bene dixerunt, quòd omnes confessi sunt, Christum realiter præsentem inesse sacramento tempore porrectionis, communionis, aut sumptionis, & cum sacramento porrigi. Hoc enim nobis uidetur sufficere in præsentia, quando de usu, seu sumptione huius diuini sacramenti, uel solùm, uel principaliter loquimur, ostendentes quòd communicantes, realiter atque substantialiter accipiunt Christum præsentem, nec plus de illo sub duabus speciebus, quàm sub altera tantùm: quia sub utraque totus est Christus.

PASCHASIVS.

Paschasius bene dixit ad propositum in tractatu De Sacramento. Nulli dubium, quòd sicut quando in nomine

Patris & Filij & Spiritus sancti, ter mergimur in fonte; utique baptizamur: non in uirtute & potestate illius qui hoc dicit, sed in uirtute Christi qui hoc præcepit, dicens, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Sic & hoc sacramentum non meritis, non uerbis humanis, idest, in persona hominis prolatis; sed procul-dubio diuinis efficitur, & consecratur mandatis. Idcirco æstimandum non est, quòd alteris uerbis, quòd ullis meritis, quòd potestate alicuius ista fiant: sed uerbo utique Creatoris. Et post pauca, Propterea ueniendum est ad uerba Christi, & credendum quòd in eisdem uerbis id conficiatur. Reliqua omnia, quæ sacerdos dicit, aut Clerus canit, nihil aliud quàm laudes & gratiarum actiones sunt, aut certè obsecrationes, fidelium postulationes & petitiones. Verba autem Christi sicut diuina sunt, ita & efficacia: ut hoc scilicet proueniat, quod iubet. Cœlum, inquit Christus, & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt: sed facient omnia, ad quæ Missa sunt. Cum igitur dixit Christus, Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hoc est corpus meum. illico ibi comparuit corpus suum. Et subdit Paschasius, Sanè fortè putares quòd de illo solo uno pane, & in illa hora hoc esse iusserit. Ad quod tollendum adiungit, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde fatendum quòd quicquid illud fuit, quod Apostoli à Christo perceperunt; hoc totum est istud quod sacerdotes & fideles percipiunt. Et si uelis audire quid est; Hoc est, inquit, corpus meum, quod pro uobis tradetur. In hoc ergo uerbo creatur illud corpus: quia diuinum uerbum, & omni potentia plenum est. Et quod dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. crede ô fili; quia ita est: quoniam ipse dixit, & factum dubitare non potes. Ipse mandauit, & creatum est. Præceptum ergo posuit, In meam commemorationem hoc facite. Et ideo quotiescunque fit catholicè, uerè hoc fit quod dictum est, Hoc est corpus meum. Hæc ille.

Nunc operæprecium est catalogum apponere doctorum sanctorum & catholicorum, atque uniuersitatum sacrorumque conciliorum, in quibus legimus corpus & sangui-

nem

nem Christi uerum esse in sacramento Eucharistiæ post consecrationem, panemque & uinum in altari oblatum per consecrationem, in uerum corpus & uerum sanguinem Christi mutari, diuina potentia, atque uirtute; ut uerè ex tunc ibi situs sit Christus dominus, uerè, realiter, præsentialiter (ita dixerim) & substantialiter.

IACOBVS Apostolus.
Clemens Martyr.
Dionysius Areopagita Martyr.
Irenus Martyr.
Iustinus Martyr.
Hilarius.
Cyprianus Martyr.
Cyrillus.
Basilius.
Eusebius Emissenus.
Gregorius Nicænus.
Damascenus.
Ioannes Chrysostomus.
Gregorius Neocæsariensis.
Augustinus.
Ambrosius.
Hieronymus.
Gregorius.
Theophylactus.
Bernardus.
Tota Schola Christiana.
Magister sententiarum.
Sanctus Thomas.
Alexander de Ales.
Hugo uenerabilis.
Sanctus Bonauentura.
Guilhelmus Parisiensis.
Scotus.
Albertus.
Durandus à Sancto Portiano.
Gabriel Biel.

Nicolaus Eiscopus Methonensis.
Samonas Archiepi scopus Gazæ.
Marcus Episcopus Ephesinus.
Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus.
Nicolaus Cabasila.
Bessarion Episcopus Tusculanus.
Innocentius Papa.
Ioannes Gerson Cancel. Parisien.
Casiodorus.
Origenes.
Iuuencus Poëta Christianus.
Nicæna Synodus.
Ephesina Synodus.
Lateranense Concilium.
Viennense Concilium.
Constantiense Concilium.
Basiliense Concilium.
Synodus Diœcesana Augustensis.
Tridentinum Concilium.
Vercellense concilium sub Leone nono.
Turonense Concilium sub Victore secundo.
Romanum Concilium sub Nicolao secundo.
Romanum Concilium sub Gregorio septimo.
Berengarius.
Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis.
Guidmundus Episcopus Auersanus.
Algerius.
Adelmanus Episcopus Brixiensis.
Hildebertus Episcopus Cenomanen.
Ioannes Episcopus Roffen.
Iodocus Clitoueus.
Alfonsus à Castro Archiepiscopus Compostellanus.
Constallus Episcopus Dunelmensis.
Ioannes Hoefmestærus.
Ioannes Driedonius.
Ruardus Tapper.
Stanislaus Osius Episcopus Varmien. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis amplissimus.

Parisien. facultas theologica.
Louaniensis facultas theologica.
Tertullianus.
Paschasius.

Demonstratione, quæ labefactari nequeat, rationibusque inconcussis, & Ambrosii substructione, ueritas eadem fulcitur. Christum se nobis in sacramento exhibere, & distribuere, quo pacto fateantur aduersarij, & in quibus nobis assentiantur, & aduersentur. Eorundem error eliditur, & quomodo re ipsa, uereque in sacramento manducetur Christus, demonstratur. CAP. X.



INgenuè fateor, uerba diuina superius allegata, simul & dicta horum patrum sanctorum & catholicorum, antiquissimorum & recentium, quos statim memorauimus, talia esse ut omnem mentem Christianam cogant credere, in sacramento Eucharistiæ uerè, realiter, substantialiter, atque præsentialiter esse uerum corpus uerumque sanguinem Christi Saluatoris nostri dicentis, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Hoc facite in meam commemorationem. Omnem, inquam, mentem Christianam nulla excepta. Nisi ea fortasse sola, quæ dixerit, aut impossibile esse Deo efficere ut corpus & sanguis Christi substantialiter & præsentialiter in hoc sacramento sint, aut hoc & si sit possibile Deo absolutè loquendo, fidei tamen aut charitati repugnare, ut fiat. Quæ mens aliquod horum trium in seipsa conceptum habuerit, illa durante tali conceptu, non cogetur credere corpus Christi in sacramento substantialiter ac præsentialiter esse: sed magis cogetur necessariò uerba alio modo interpretari, sciens Deum neque facere aliquod impossibile, nec quicquam contra fidem, aut contra charitatem. De omni enim alia humana mente, idest, de omni quæ credit hanc existentiam in sacramento esse Deo possibilem, nec fidei, aut charitati repugnare, dico quòd statim dixi, eam cogi uel potius necessitate trahi consequenter se ha-

bendo, ut credat & confiteatur uerum corpus, & uerum ſanguinem Chriſti, ſubſtantialiter ac præſentialiter in hoc ſacramento eſſe. Demonſtratio ad hoc eſt una & ſufficientiſsima, Quia uerba Domini ſemper intelligenda ſunt in ſenſu, qui ex ipſis eruitur, niſi aliunde conſtiterit id eſſe impoſsibile, aut fidei repugnare, uel charitati, aut alio modo intelligendum fore. Aliàs enim, ideſt, citra impoſsibilitatem rei, atque citra repugnantiam cum fide & charitate, nemini licet uerba Domini ad alium ſenſum trahere, niſi ad illum, quem ipſa præſeferunt, uel in quo à ſancta Eccleſia recipiuntur, per quam ipſas diuinas ſcripturas habemus. Hanc regulam obſeruauit & commendauit Auguſtinus in De doctrina Chriſtiana: qua, nulla alia in intelligendis diuinis eſt magis neceſſaria. Quandoquidem ſi citra rei impoſsibilitatem, & citra repugnantiā cum fide & charitate, liceret alicui diuinas ſcripturas interpretari in alio ſenſu ab eo, quem faciunt diuina eloquia; nihil erit certum in aliquo ſenſu è ſcripturis accipiendo, nullaq; firmitas. Ergo cùm Saluator noſter cibū porrigens Apoſtolis, dixerit, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. in uerbis expreſsis & diſertiſsimis, neceſſe habemus concedere aliquod horum quatuor, ideſt, aut quòd ille cibus erat uerè ac realiter corpus Chriſti uerum. aut quòd illum eſſe corpus Chriſti uerum, erat impoſsibile, aut quòd illum eſſe corpus Chriſti uerum, repugnabat fidei, aut quòd repugnabat charitati. Cum autem non poſsit dici quartum, nec poſsit dici tertium, nec dici poſsit ſecundum: fit neceſſariò conſequens euidenter; ut debeamus credere atque confiteri primum. Vt cùm Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus. accipite & comedite. firmiter ſuum proprium corpus Apoſtolis tradiderit.

Quia hæc demonſtratio mihi eſt inuictiſsima, & talem eam credo eſſe apud omnem intellectum bene affectum: placet ad illam, uel circa illam nonnulla dicere, probando hæc tria per ordinem. Primum, quòd non fuit impoſsibile Chriſto ponere proprium corpus ſuum uerè, realiter, ſubſtantialiter, præſentialiterque ſub ſpeciebus panis & uini, ut uerè realiter, ſubſtantialiter, ac præſentialiter eſſet

in ſacramento. Secundum, quòd Chriſtum ita feciſſe, aut nos credere ita eſſe factum, non repugnat fidei noſtræ Chriſtianæ. Tertium, quòd Chriſtum ita feciſſe in cœna nouiſsima, aut etiam ita facere modò, minimè repugnat charitati, Primum ſatis probat Chriſti potentia: qui cùm ſit uerus Deus ſecundum naturam diuinam, ſicut eſt uerus homo ſecundum naturam humanam, certum eſt conſequenter, potentiam ſuam eſſe infinitam. Per reſpectum ad cuius potentiam infinitam diuinam, dixit Angelus, Quia non eſt impoſsibile apud Deum omne uerbum. Quamobrem profectò potentiæ Chriſti diuinæ infinitæ, tum duratione, tum uigore, poſsibile fuit ponere corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis in ſacramento. Omnino ſicut illi potentiæ multa fuerunt poſsibilia, quæ nobis ſecundum ſenſum uidentur, & iuxta potentiam quancunque creatam ſunt impoſsibilia, ita poſsibile fuit illi potentiæ creare cœlum, terram, & angelos ex nihilo: poſsibile etiam formare corpus Chriſti ſanctiſsimum ex puriſsimis ſanguinibus ſanctiſsimæ Virginis; poſsibile, totam Chriſti humanitatem ex corpore & anima conſtantem unire diuinitati in unitate ſuppoſiti diui, ut non habeat ſuppoſitum proprium nec propriam perſonam humanam; ſed unum diuinum ſuppoſitum, ſiue una diuina perſona, Verbum æternum, Filius Dei naturalis, ſit in duabus naturis, diuina & humana. Sic poſsibile fuit illi, Virginem ſanctiſsimam concipere ac Virginem parere Saluatorem noſtrum, Deum & hominem, ipſa ſemper Virgine exiſtente ac Virgine remanente, poſsibile etiã Saluatori noſtro, inſanabiles infirmitates ſecundum naturam creatam, ſanare ſua potentia increata & infinita: poſsibileque ipſum ſuum corpus ianuis clauſis ad ſuos diſcipulos introducere: poſsibile, mortuos ſuſcitare, & infinita prout uolebat operari miracula. Cum his igitur non eſt dubium, poſsibile ei eſſe, poſsibileque fuiſſe, ponere corpus ſuum ſacratiſsimum ſubſtantialiter præſens in altiſsimo Euchariſtiæ ſacramento. Si autem quiſpiam dixerit hoc non eſſe Deo poſsibile, ſed prorſus impoſsibile: eum oportet oſtendere, quomodo hoc ſit Deo impoſsibile, cui poſsibilia ſunt omnia illa quæ memo-

Lucæ 1.

rauimus. Et quandiu hoc non oſtenderit, ego ei non credo; nec cum illo uolo habere ſermonem, ob id quòd audet negare hoc potentiæ diuinæ infinitæ, ei tantopere derogando. Secundum horum trium conſtat ex ipſa fide, nec melius aut facilius probari poteſt aliunde, quàm ex fide ipſa. Quia enim fides nullo loco, nec ex aliqua ratione, uel cauſa, tenet aut docet oppoſitum; ſequitur euidenter, hoc cum fide nullam habere repugnantiã. Aut oſtendat aliquis, hoc in re aliqua, fidei repugnare. Nos enim fidem noſtram Chriſtianam intelligimus, ſecundum omnes ueritates reuelatas nobis à Deo: in quibus nullam reperimus, quæ huic noſtræ aſſertioni de reali exiſtẽtia Chriſti in ſacramento, repugnet. Tertium autem horum trium conſtat maximè, & ſuper multa alia, ex natura rei: ex qua manifeſtò nouimus, hanc realem Chriſti exiſtentiam ſupra modum cum charitate ſua, quam habet erga nos, conuenire. Vt quemadmodum ea ipſius charitas in omnibus aliis fuit ſemper, & eſt, & erit ſumma: ita & in hac ſacra exiſtentia & præſentia, ſit per omnia admirabilis.

Gabriel lect. 39. litera A. Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ, poſtquàm eorum recitauit errorem, qui, ut Berengarius olim dixit, dicunt corpus Chriſti uel ſanguinem non eſſe ſubſtantialiter in hoc ſacramento, nec ſubſtantiam panis & uini in ſubſtantiam carnis & ſanguinis conuerti, ſed ibi eſſe corpus Chriſti ſolum tanquam in ſigno, & in ſigno ſolùm ibi manducari. Aduerſus eundem errorem ita dixit ſecundum tres ſtatim dictas conſiderationes, Periculoſiſsimus eſt error iſte, & pernicioſiſsimus contra fidei utilitatem, contra diuinæ charitatis magnitudinem, contra ſacramẽti dignitatem & excellentiam. Magna eſt enim utilitas fidei ex hoc, quòd ſub ſpecie panis continetur uerum corpus Chriſti. Ex illa enim continentia, multa accidunt circa hoc ſacramentum, quæ ſunt ſupra poteſtatẽ naturæ, quorum fides eſt fidelibus ualde utilis & meritoria. Hoc idem eſt etiam charitatis Chriſti maximum indicium, qui ſua præſentia corporali, uoluit nobis utiliſsimè prouidere: ut docent ſacramenti huius fructus, diligenter maſticati. Ex præſentia denique Chriſti, eo modo quo ibi eſt, declara-

tur multipliciter potentia Dei: ex quo sacramenti huius dignitas elucescit. Hæc ille.

Igitur cùm realis & substãtialis existentia corporis Christi in sacramento Eucharistiæ, non repugnet Dei omnipotentiæ, nec repugnet fidei, nec repugnet charitati, uel Christi erga nos, uel nostræ erga Christum: fit consequens, ut debeamus intelligere prædicta uerba Christi in suo proprio sensu, quem faciunt. Vt cùm ipse porrigens cibum suis Apostolis dixit, Hoc est corpus meum. intelligamus & firmiter credamus ibi fuisse corpus suum non solùm tanquàm in signo & per significationem, sed etiam per proprietatem, atque substantiam. Manet ergo domonstratio inuictissima.

Confirmari potest eadem ueritas, non minus euidenter ex eo, quòd quicquid sit de facto, si res esset factibilis, & Christus hoc fecisset, ut suum proprium corpus realiter ac substantialiter sub specie panis posuisset, & illud suis Apostolis manducandum tradidisset: profectò eam rem altissimam satis his uerbis explicasset, quibus eis diceret, Accipite & manducate, Hoc est corpus meum. Ergo ubi crediderimus potentiam, & uiderimus ea uerba dici, & nouerimus Christum ueracem, qui neque potuit nobis mentiri, nec potuit nos decipere: superest, ut firmiter credamus ita factum esse, & ita fieri. Modicæ fidei, quare dubitasti? Modica fides est, & magna dubitatio, immo & magna negatio est uerborum Christi, suæ potentiæ, & suæ ueritatis, ubi ad alias expositiones confugitur, cum Berengario antequam pœniteret, & cum Vuicleff. *Confirmatio.*

Alia ratio est ad eandem ueritatem nostram catholicã, & profectò potentissima, ex cõmuni modo loquendi omnium sanctorum Patrum, etiam uetustissimorum, quem conformiter obseruarunt, loquentes de hac mirabili existentia Christi in sacramento Eucharistiæ: quo luce clarius ostenditur eos intellexisse & credidisse, corpus & sanguinem Christi esse in hoc sacramento præsentia, non solùm tanquàm in signo, sed etiam tanquam in realiter continente: ut in hoc sacramento sint, non solùm quia per ipsum significantur, sed etiam quia ab ipso substantialiter *Ratio secunda.*

continentur. Modus loquendi semper fuit obseruatissimus à sanctis Patribus, ut agerent de existentia Christi in hoc sacramento tanquam de re altissima, miraculosa, & prorsus supernaturali, ad quam nulla potest potentia pertingere nisi sola increata & infinita: & quam superueniens Spiritus sanctus ad prolationem uerborum Christi per sacerdotem, facit sua diuina uirtute. Vnde hoc opus uocat miraculosum, immo etiam & miraculorum omniū à Christo factorum, maximum: & ad fidem huius rei, id est, huius existentiæ Chsisti in sacramento adstruendam, eamque probandam exemplis, nihil aliud adducunt nisi miracula, palàm dantes intelligi, eam rem esse miraculosam, quæ non nisi miraculis declarari aut probari ualeat. Demonstratio euidentissima, quòd existentia Christi in sacramento non est solùm tanquam in signo, sed uerè est etiam ibi tanquam in realiter continenti. Quare sic? Quia existentia Christi in sacramento solùm tanquam in signo, non est opus ita altissimum, neque ita miraculosum: sic enim tanquam in signo, fuit Christus in omnibus sacrificiis, quæ fuerunt in populo Dei, ab origine sæculi. Etiam absque miraculo. Ob quod ipse Saluator dicitur, Agnus, qui occisus est ab origine mundi, tum ex multis aliis causis, tum quia cùm in omnibus sacrificiis significaretur, in omnibus illis dum occidebantur, occidebatur: uidelicet in suis figuris. Sicuti quodam modo dicitur occidi figuratum, dum occiditur eius figura: & ad instar cuius etiam aduersarij dicunt, Christum manducari in sacramento, quia manducetur eius signum, idest, ipsum sacramentum. Itaque igitur quòd Christus sit in sacramento solùm tanquam in signo, non est magnum quid, nec est opus miraculosum: quia sic fuit in sacrificio Abel, in Sacrificio Melchisedech, in sacrificio Abrahæ, in omnibus sacrificiis Aaronis, & specialiter in agno Paschali, atque in sacrificio expiationis. Immo etiam & homines uel auctoritate publica, uel auctoritate priuata possunt sibi imponere signa ad significandum Christum in præsepi, in cruce, aut in sepulchro: quibus signis uisis, in memoriam Christi erigantur, & ad fidem spem, atque charitatem eius quodam modo excitentur.

tentur. Ergo non eſt illa ſola exiſtentia Chriſti in ſacramento, quam patres altiſsimam, ſingularem, & miraculoſam, cognoſcebant, credebant, commendabant, ſolique uirtuti ſeu potentiæ diuinæ poſsibilem prædicabant tota die. Alia igitur exiſtentia Chriſti in ſacramento huiuſmodi, eſt à nobis inquirenda, & credenda, ut cum ſanctis patribus antiquis ſapientes ſimus, & cum illis unam fidem habeamus, credendo eadem credibilia. Quæ alia exiſtentia talis? Quæ ſit altiſsima, miraculoſa, & ſoli Deo poſsibilis. Quæ eſt hæc? Quidem eſt, exiſtentia ſubſtantialis Chriſti, corporis eius & eius ſanguinis, in hoc ſacramento auguſtiſsimo, atque diuiniſsimo. Hanc intelligunt & hanc requirunt teſtimonia patrum, de mirabili exiſtentia Chriſti in hoc ſacramento loquentium. Summè precor lectorem, ut attentè legat dicta patrum ſuperius poſita de hac re, & quem modum loquendi habeant, & quam exiſtentiam diligenter animaduertat.

Ambroſius in libro de iis, qui myſteriis initiantur, multa dicit, quibus manifeſtat hanc ſuam mentē eſſe, & hanc mentem aliorum ſanctorum patrum fuiſſe continuò in Eccleſia, ut in hoc ſacramento ſit uera, atque realis Chriſti eiuſque corporis & ſanguinis exiſtentia, atque ſubſtantialis præſentia: non utcunque, ſed profectò per diuinam potentiam, & miraculosè. Primùm enim egit, De ſacroſancti corporis dominici communione, & in conuiuio cœleſti: oſtendens etiam antiquiora eſſe Eccleſiæ ſacramenta quàm Synagogæ, fuerint, & præſtantiora quàm fuerit manna. Antiquitatem probauit ex ſacrificio Melchiſedech. probando autem præſtantiam ſuper manna, inquit, Re uera mirabile eſt, quòd manna Deus pluerit patribus & quotidiano cœli paſcebantur alimento. Vnde dictum eſt, Panem Angelorum manducauit homo. Sed tamen panem illum qui manducauerunt, omnes in deſerto mortui ſunt. Illa autem eſca, quam accipis, iſte panis uiuus qui deſcendit de cœlo, uitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat: & quicunque hunc panem manducauerit, non morietur in æternum: & corpus eſt Chriſti. Hæc ille, Poſt hæc immediatè, agens De uirtute ſacramenti corporis & ſanguinis

Ambro.

cap. 8. tom. 4.

Christi, & comparatione per excessum ipsius ad Manna; & ad aquas petræ, & de per plurima exempla probatione, quòd corpus Christi, quod accipimus, non panis sit, sed caro, quæ ex Virgine nata, quæ crucifixa, quæ sepulta fuit. dicit ad propositum manifestè, Considera nunc utrũ præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est uitæ. Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione: quod quicunque religiosè gustauerit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad horã satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum. Iudæus bibit, & sitit: tu cũ biberis, sitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in ueritate. Si illud, quod miraris, umbra est: quantum illud est, cuius & umbram miraris? Audi, quia umbra est, quæ apud patres facta est. Bibebant, inquit, de consequenti petra, petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri. Cognouisti præstantiora? Potior etenim lux, quàm umbra: ueritas, quàm figura: corpus auctoris, quàm manna de cœlo.

Ibid. cap. 9.

1. Cor. 10.

Sequitur ex Ambrosio, Forte dicas, Aliud uideo, quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maiorémque uim esse benedictionis, quàm naturæ: quia benedictione, etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moses, proiecit eam, & facta est serpens. Rursus appræhendit caudam serpentis, & in uirgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatã esse naturam, & serpentis, & uirgæ. Currebant Aegypti flumina aquarum meatu, subitò de fontium uenis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluuiis. Rursus ad prophetæ preces cruor cessauit fluminum, aquarum natura remeauit. Circunclusus undique erat populus Hebræorũ, hinc Aegyptiis uallatus, inde mari clausus. Virgam leuauit Moses, separauit se

aqua, & in mutorum speciem congelauit: atque inter undas, uia pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus contra naturam, in sui fontis reuertitur exordium. Non ne claret naturam uel maritimorum fluctuum uel fluuialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non Exod.15. præter naturam operata est gratia, ut aquam uomeret petra, quam non habebat natura? Marath fluuius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset; Misit Moses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subitò gratia temperauit. Sub Helisæo Prophetæ uni ex filiis Prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim mersum est. Rogauit Helisæum qui 4. Reg.6. amiserat ferrum: misit etiam Helisæus lignum in aquam, & ferrum natauit. Vtique & hoc præter naturam factum esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris esse uirtutis gratiam, quàm naturam: & adhuc tamen Propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tantum ualuit humana benedictio, ut naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, ubi uerba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantùm ualuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret; non ualebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat; nō potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quam mutare naturas. Sed quoad argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus mysterij ueritatem. Nunquid naturæ usus præcessit, cum IESVS Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, uiro mixta fœmina generare consueuerat. Liquet igitur, quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc quod conficimus, corpus ex Virgine est. Quid hìc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus IESVS partus ex uirgine?

Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta
Matth. 26. est; uerè ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat
Marci 14. Dominus IESVS, Hoc est corpus meum.
Lucæ 22. Ecce manifestissimis disertissimisq; uerbis fatetur Ambrosius, nos in hoc sacramento carnem Christi accipere, & quòd in hoc sacramento, rerum naturæ mutantur diuina benedictione, & consecratione: confirmans diuinis exemplis & miraculosis argumentis mutationem panis in corpus Christi, & probans quòd aliud uidemus, aliud accipimus. Non potest igitur dubitari de sententia Ambrosij, propter suum modum loquendi, determinandi, atque probandi. Similiter nec dubitari potest de sententia aliorum patrum, proper easdem rationes. Si enim caro Christi esset in hoc sacramento solùm tanquam in signo: profectò nullo modo esset opus, id probare per miracula & exempla, quæ diuinam uirtutem & infinitam potentiam ostendunt. Sed sufficiebat allegare impositionem illorum signorum ad id significandum, siue esset facta impositio à Deo, siue ab Angelis, siue ab hominibus.

Ratio tertia. Ostenditur eadem ueritas tertiò principaliter, ex communi confessione omnium Christianorum à principio nascentis Ecclesiæ usque ad hæc nostra tempora. Omnes namque semper confessi sunt, nos cum sacramento Eucharistiæ uerè atque realiter accipere corpus Christi, illud idem quod est in cœlo, & quod fuit in cruce. Aduersarij nostri temporis, dicunt sese cum sacramento uerè atque realiter accipere corpus Christi, etiam si ibi sit solùm tanquam in signo. Respondemus nos, O fraudulentā locutionem, artificio Satanæ inuentam, ad fugiendas patrum sententias, & illudendas animas pauperum ignorantium. Quomodo est possibile, ut in sacramento accipiamus Christum uerè atque realiter, si in sacramento non est Christus substantialiter? Consuetudo loquendi apud omnes homines, nedum apud omnes sapientes est, ut quicquid est in aliquo loco uerè atque realiter, sit in eo loco substantialiter: & quicquid non est in aliquo loco substantialiter, eo ipso non sit in eo loco uerè ac realiter. Omne quod est, alicubi est.
Physic. 3. uel 4. Et nunquam concessum est ab aliquo sapiente, aliquid esse

in aliquo loco uerè & secundum rem, in quo non esset secundum substantiam aut essentiam. Si ergo Christus est in sacramento uerè & realiter, ipse est in sacramento substantialiter. Si autem Christus non est in sacramento substantialiter, per consequens neque est in sacramento uerè & realiter. Quòd si Christus non est in sacramento uerè & realiter: ea ipsa ratione non accipitur Christus uerè & realiter in ipso sacramento, in quo non est uerè & realiter. Quid est esse in loco realiter? Est esse in loco secundum rem. Quid est esse in loco uerè? Est esse in loco secundum ueritatem. Quid est esse in loco substantialiter? Est esse in loco secundum substantiam. Quid est esse in loco essentialiter? Est esse in loco secundum essentiam. Secundũ has Philosophias uerissimas, communissimas, & antiquissimas debuissent Philosophari, qui de rebus altissimis rectè sapere, aut rectè tradere uolunt: ut non traherent patrum sententias grauissimas, ad sensus alienos & leuissimos. Non dicimus hîc quid sit esse in loco localiter, quia paulò post de ea re, specialis sermo, donante Deo, est habendus. Hîc, neque plura, neque alia dicimus, quàm quæ ad propositum pertinent; alia omittimus.

Itaque sic ordine procedamus, Christus non sumitur nec manducatur uerè & realiter; nisi ubi ipse est uerè, & realiter. Sicut in uniuersum, nihil uerè & realiter tangitur, nisi ubi uerè & realiter est. Rursus, Christus non est uerè & realiter, nisi ubi est substantialiter: quia in uniuersum sua res, quæ est ipse, est sua substantia; & non separantur loco. Ex his iam sequuntur alia duo. Alterum, quòd si Christus in sacramento uerè & realiter sumitur, Christus in sacramento uerè & realiter est. Alterum, quòd si Christus in sacramento est uerè & realiter, Christus in sacramento est substantialiter. Vnde quia nos catholici Christiani secundum nostram catholicam & antiquam fidem corde credimus ad iustitiam, & ore confitemur ad salutem, Christum in sacramento uerè atque realiter sumi; sicut Christus ipse dicit, Accipite & manducate, Hoc est corpus meũ: credimus & confitemur consequenter; Christum esse in sacramento uerè & realiter, atque Christum

Quomodo dicant aduersarij Christū se nobis in sacramento realiter exhibere & distribuere.

esse in sacramento substantialiter. Dicunt aduersarij, Christum se realiter exhibere nobis per communionē huius sacramēti, alendo nos proprio corpore, cuius participationē defluere in nos facit uirtute Spiritus sancti, in nobis adimplendo, quod figurat sacramentum: addentes, Christum se per hoc sacramentum nobis realiter distribuere, quia nos uitam è carne sua semel in sacrificium oblata haurire facit. In his duobis conuenimus, tum in eo quod dicunt, tum in eo quod addunt. Doctrina nostra hæc est; cognoscimus illam ubicunque sit, & à quocunque dicatur. In quo igitur est differentia? In eo, quod ultra asserunt, Christum non se corporaliter exhibere nobis per huius sacramenti communionem, nec se nobis in sacramento corporaliter distribuere, nec suam corporalem præsentiam in hoc sacramento contineri, sed in solo cœlo ubi ipse Christus est circunscriptiuè, seu localiter. Hæc eorum assertio nos facit differentes. Nam ut ex dictis constat, nos credimus, totum Christum in hoc sacramento esse realiter, animam, corpus, diuinitatē; pariter & corporalem suam præsentiam ibi adesse, atque contineri. Vnde & consequenter credimus, Christum se etiam corporaliter exhibere nobis per communionem huius sacramenti diuini, & seipsum nobis in illo distribuere corporaliter: non quòd corpus eius diuidatur in partes, sed quia singulis sumentibus sacramentum, Christus se totum, & totum corpus suum præstat.

In quibus aduersarij conueniant nobiscum.

In quo sit inter nos maxima differētia.

Quō dicāt aduersarij Christū se nobis realiter exhibere, cum tamen negēt Christi corpus ibi esse.

Si quærimus ab aduersarijs, Quomodo Christus nobis se realiter exhibet per communionem sacramenti; si non se nobis exhibet corporaliter, nec est in sacramento sua realis præsentia, id est, sui corporis? Respondent, quantum possumus ex doctrina eorum accipere, quòd se nobis realiter exhibet; alendo nos suo corpore: hoc est, eius participationem influendo in nos uirtute Spiritus sancti; in nobis adimplendo, quod figurat sacramentum. Si autem iterum quærimus ab eis, Quomodo per hoc sacramentum se Christus realiter distribuit nobis: si non se nobis exhibet corporaliter? Respondent, Quia nos uitam è carne sua semel in sacrificium oblata haurire facit. Quid

ergo? Ex his suis realitatibus, dum dicunt Christum in sacramento hoc, se realiter nobis exhibere, & se realiter nobis distribuere, nullam aliam realitatem dant in hac Christi reali exhibitione & reali distributione, nisi solam realitatem effectus realis spiritalis. Idest, Dum dicunt Christum in hoc sacramento se nobis realiter exhibere ac se nobis realiter distribuere, nihil aliud intelligunt, nisi quòd Christus realiter nobis exhibet & realiter nobis distribuit spiritalia dona, quæ nobis meruit in carne sua, seipsum pro nobis offerendo semel in cruce, quibus donis corpori Christi incorporamur, & spiritaliter alimur. Quam doctrinam suam declarant aduersarij in exmplo Solis, qui dicitur se nobis realiter exhibere, atque se nobis realiter distribuere, eo solùm, quòd nobis realiter suos radios seu effectus reales communicat.

Quō realiter manducetur Christus in sacramento, secūdū aduersarios.

Error igitur aduersariorum est in hac doctrina, quòd negant Christum & corpus eius proprium realiter esse in hoc sacramento, aut realiter exhiberi, aut realiter distribui, quātum ad seipsum & in seipso: & asserunt quòd realiter ibi est Christus & corpus eius solùm quantum ad effectum seu effectus realem, seu reales, quos per sacramentum hoc, nobis realiter communicat Christus.

Error aduersariorum.

Contra hunc errorem aduersariorum nos iam egimus satis ex multis. Et contra hunc etiam agimus modò specialiter ex communi confessione omnium sanctorum patrum, qui nos præcesserunt. Omnes enim conformiter dixerunt Christum & proprium corpus eius in hoc sacramento esse, realiter exhiberi, realiter distribui, realiter sumi, ac realiter manducari: non solùm quantum ad effectum, uidelicet quia per sacramentum realiter operatur in nobis effectus spiritales: sed etiam quantum ad rem ipsam, Christum Saluatorem nostrum & eius corpus, fontem, radicem, & causam cunctorum ipsorum effectuum. Hæc fuit omnium patrum antiquissima & communissima confessio, ut constat ex iam allegatis dictis eorum, de reali existentia & manducatione Christi, & corporis eius poprij in hoc sacramento altissimo: & ab ista recedunt aduersarij nostri, fingentes non alio modo manducari Christum rea-

Impugnatio catholica, erroris prædicti.

Quō realiter manducetur Christus in sacramento, secundum catholicos.

liter per sacramentum, nisi quia per sacramentum hoc, nobis realiter præstat bona spiritalia, quibus spiritaliter uiuimus. Hoc enim quod aduersarij dicunt, non est manducare realiter Christum, nec est Christum se nobis realiter exhibere, nec est Christum se nobis realiter distribuere in sacramento, cum sacramento, aut per sacramentum: sed est, Christum in nobis realiter operari, effectiuè prout Deus est, aut meritoriè ut homo. Exemplumque aduersariorum de Sole, facit manifestè contra ipsos. nullo enim modo propiè dicitur Sol realiter esse nobiscum, aut realiter se nobis exhibere, aut realiter se nobis distribuere, aut à nobis realiter sumi, aut à nobis realiter tangi, dum in nos realiter diffundit suos reales radios, seu quosuis alios effectus: nisi secundum quendam modum loquendi, qui respicit præsentiam realiter causatiuã & uirtualem, actionem ab ipso egredientem, & quidem uirtualem contactum seu physicum, quo saltem necesse est ut agens tangat passum, si circa illud habet exercere actionem. Vnde si hoc modo solùm Christus nobiscum esset realiter, aut se nobis realiter exhiberet, aut se nobis realiter distribueret per sacramentum Eucharistiæ: sequeretur quòd Christus non alio modo realiter nobiscum esset, aut se nobis exhiberet, aut se nobis distribueret per hoc sacramentum, quàm per alia sacramenta. Per omnia enim sua sacramenta operatur Christus realiter in nobis, suos effectus reales spiritales: & omnibus tangit animas nostras tali contactu uirtuali, seu physico, quo necesse est agens tangere passum, seu obiectum in quo agit. Et sic non magis manducaretur Christus realiter in sacramento Eucharistiæ, nec se in eo nobis magis exhiberet realiter, nec se realiter in eo nobis magis distribueret, quàm in aliis sacramentis. Quæ omnia cum ex errore aduersariorum sequantur, & cum diuina scriptura atque cum patrum confessione catholica pugnent, fugienda sunt toto cursu, & cum ipso errore ex quo sequuntur, damnanda.

Contactus Physicus.


Nos igitur catholici Christiani, fidem retinentes antiquam & uniuersalem omnium sanctorum, qui fuerunt dicimus Christum Saluatorem nostrum, eiusque diuinitatem,

tem,

tem, humanitatem, animam & corpus, realiter esse in hoc diuino sacramento Eucharistiæ modo altissimo & miraculoso: sic ut præsentialiter ibi sit totus, & realiter per hoc sacramentum se nobis distribuat, & realiter per hoc sacramẽtum in nobis operetur suos effectus reales; nõ quasi nos tangendo solo contactu uirtuali seu physico, sed etiam contactu mathematico. Vt quidem ipse realiter ac præsentialiter in nobis existens totus sub speciebus alienis, tanquam nos mathematicè tangens, realiter in nobis operetur suos effectus reales: sicut ignis non solùm physicè, aut uirtualiter, sed etiam mathematicè tangit lignum, quod calefacit sibi contiguum. Ex qua re, satis constat, quomodo Christus ipse nos tangit, operando in nobis suos effectus per alia sacramenta, & quo modo nos tangat, operando in nobis suos effectus per hoc sacramentum: quia re uera, operando in nobis suos effectus per alia sacramenta, tangit nos quantum ad humanitatem suam, solo contactu uirtuali seu physico: sed operando in nobis suos effectus per hoc sacramentum, tangit nos quantum ad humanitatem suam, etiam contactu mathematico. Est enim in nobis totus Christus per hoc sacramentũ, non solùm operatiuè seu effectiuè; quinetiam præsentialiter substantialiter, ut ex dictis est notum.

Cõtractus Mathematicus.

De reali cœna dominica secundum fidem catholicam omnium sanctorum, qui unquam in Ecclesia Christiana fuerunt, & de reali cœna dominica secundum fictionem aduersariorum Neochristianorum. CAP. XI.



Ostra igitur cœna dominica secundum præcedentes diuinas scripturas & sanctorũ patrum præcedentia testimonia, per respectum ad corpus Christi uerum, est realis duobus modis: Altero, quia in ea recipimus reales effectus Christi spiritales, fidem, spem, charitatem, obedientiam, &c. quibus affecti, Christo spiritaliter incorporamur, & à suo corpore pro nobis oblato haurimus quodam modo nobis uitam & salutem

Cœna nostra dominica est realis, duobus modis.

Primus modus.

spiritalem, alimentum etiam & robus spiritale, unde animæ nostræ spiritaliter aluntur & roborantur Christi corpore, sic spiritaliter accepto. Altero, quia in ea Christus ipse realiter & substantialiter etiam in anima & corpore continetur, assistit, & est, cùm cœna ipsa seipsum nobis præsentialiter exhibet, & cùm cœna ipsa seipsum nobis præsentialiter distribuit: ita ut non solùm animæ accipiant corpus Christi spiritaliter, sed etiam nostra corpora per cœnam dominicam accipiant corpus Christi in seipso realiter præsens, & illud in se habeant realiter, quandiu in nobis durauerit sacramentum. Et hoc est, quod Ireneus, Cyrillus, Hilarius, Damascenus, & multi alij patres ex iam nominatis, tantopere clamarunt non solùm nostras animas, sed & nostra corpora uesci & ali corpore Christi in cœna, seu per cœnam, aut cum illa. Realis est igitur nostra cœna dominica per respectum ad corpus Christi uerum, duobus modis prædictis. Est insuper nostra cœna dominica per respectũ ad corpus Christi uerum, non quasi uana aut egena solùm significans, & non continens: sed quidem solida, ditissima, atque potentissima, significans Christum, & realiter continens significatum. Profectò autem è contra, cœna dominica aduersariorum secundũ eorum fictionem, non est realis sic duobus modis, sed uno: quia, ut ipsi dicunt, non est realis secundo modo prædicto, sed solo primo. Deinde cœna dominica aduersariorum per respectum ad corpus Christi uerum, non est solida nec potens, sed est infirma & egena: quia corpus Christi uerum significat, sed illud non continet. Quando igitur aduersarij suam cœnam dicunt realem per respectum ad corpus Christi uerum, sic eam realem constituunt, ut eam realiter destruant, & ad Iudaismum declinent. Vt enim suam cœnam constituant realem per respectum ad corpus Christi uerum, dicunt ut constat ex articulis à Petro Richero traditis in Francia Antarctica, quòd Christus se realiter exhibet per cœnæ communionem, & quòd per cœnam se Christus realiter distribuit. Sed his addunt, ut constat ex eisdem articulis, quòd Christus non est in cœna, hoc est, quòd corpus Christi non est præsens in cœna, nec Christus

Secundus modus.

Cœna nostra est solida, ditissima, & potentissima.

Cœna aduersariorũ non est realis, nisi uno modo tantùm.

Cœna aduersariorũ non est solida nec potens, sed egena & infirma.

Aduersarij destruunt suã cœnam realẽ, et declinãt ad Iudaismum.

Petrus Richerus.

corporaliter se exhibet per cœnam, nec per cœnam se corporaliter distribuit. Hæc autem sua additio destruit sine dubio suam realem cœnam per respectum ad corpus Christi uerum. Primùm, quia uidentur aduersarij includere repugnantia in dictis suis. Non enim uidetur morale, nec possibile, nec plenè intelligibile, quòd per cœnam seu per sacramentum cœnæ, uerè atque realiter manducemus carnem seu corpus Christi, ad quòd per cœnam se Christus realiter exhibeat nobis seu distribuat, si ibi in cœna non sit Christus realiter præsens, nec eius corpus. Secundò, quia dum aduersarij prædicantes, dicunt Christum se realiter per cœnam exhibere. Si ab eis quærimus, num etiam realem corporis Christi præsentiam admittant in ipsa cœna? id negant, quamuis realem exhibitionem ac realem distributionem Christi & corporis eius per cœnam concedant. Hoc autem ænigma quoddam uidetur; quod tamen ipsi his dissoluunt uerbis. Christus, inquiunt, se realiter distribuit, id est, hoc nos afficit beneficio, ut in mortem suam credentes, hac ipsa fide, uitam ex eius carne hauriamus, quæ pro nobis in sacrificium oblata est. Aduersus hanc responsionem, qua ipsi suam cœnam destruunt, nos dicimus, Si communicantes hoc nos afficit Christus beneficio, ut in mortem suam credentes, hac ipsa fide, uitam ex eius carne hauriamus: & hoc solum, id est, in mortem Christi credere, & hac fide, uitam ex eius carne haurire, est Christum aut eius corpus realiter manducare; profectò iam non per cœnā, sed per fidem fit realis manducatio carnis Christi. Non enim credimus, nisi per fidem, ut est certissimum: nec ex carne Christi uitam haurimus, ut ipsi aduersarij dicunt, nisi per fidem. Nihil ergo facit cœna, ad carnis Christi realem manducationem in hoc sæculo. Tertiò ad idem contra aduersarios est ipsa sua responsio. Quia si hoc modo solùm, carnem Christi in hoc sæculo realiter manducamus, quòd in mortem Christi credimus, & hac fide, uitam ex eius carne pro nobis in sacrificio oblata haurimus: sine dubio, ubicunque sic tali modo affecti fuerimus, siue in templo, siue in domo priuata, siue in platea, siue in agro, siue manducantes panem communem, siue manducantes

Ratio 1. Cōtra cœnam aduersariorum.

Ratio 2. Cōtra cœnam aduersariorum.

Ratio 3. Cōtra aduersarios.

carnes porcinas; siue bibentes uinũ, siue bibentes aquam, carnem Christi eodem modo realiter manducamus, quo eam realiter comedimus, cœnam edentes. Vbi est ergo prærogatiua cœnæ? Periit, periit, inquam, apud aduersarios. Sed non periit apud nos. nos enim præter realem manducationem spiritalem carnis Christi, quæ est communis omnibus credentibus iustis, in omnibus locis; ponimus & credimus aliam realem manducationem carnis Christi, quæ est illorum tantùm, qui sacram Eucharistiam sumunt, siue iusti, siue iniusti sint. Ergo quod aduersarij dicunt, nos in hoc sæculo non alio modo manducare realiter carnem Christi, nisi in mortem eius credentes, & hac fide, uitam ex eius carne haurientes: ex diametro repugnat eorum doctrinæ, qua dicunt, nos per cœnam realiter manducare carnem Christi, aut Christum per cœnam se nobis realiter exhibere. Si enim solùm per fidem, ergo non per cœnam. Patet hæc consequentia, quia fides non est cœna de qua loquimur, nec cœna est fides. Quandoquidem fides est, res quædam spiritalis animæ, & quædam eius spiritalis affectio, actus uel habitus, de qua in Quadripartita iustitia, multa diximus: cœna uerò de qua agimus, est res externa sensibilis, & quoddam fidei sacramentum. Quartò, quia dum aduersarij dicunt nos per cœnam realiter manducare carnẽ Christi, hoc ita declarant, ut manifestè doceant nos non per cœnam, sed in cœna manducare Christi carnem. De hoc tamen, statim plura.

par. 1. lib. 2. cap. 2.

Ratio 4. Cõtra aduersarios.

Declinant etiam aduersarij ita dicentes, ad Iudaismũ. Patet intellectui, & sensui communi omnium. Non enim ponunt in nostra religione Christiana alium modum realiter manducandi carnem Christi propriam, nisi eum solum, qui est per fidem: ut dum in mortem Christi credimus, hac ipsa fide, uitam ex carne Christi pro nobis oblata, haurimus. Hic autem modus manducandi realiter carnem Christi per fidem, fuit etiam olim in ueteri testamento apud Iudæos; ante aduentum Saluatoris nostri in mundum per carnis assumptionem: nisi quòd nos Christiani fide explicita credimus in carnem Christi pro nobis oblatam, Iudæi autem, eo tempore fide explicita uel implici-

Aduersarij declinant ad Iudaismum.

Modus mãducãdi realiter carnẽ Christi per fidem, fuit etiam olim in Iudaismo.

ta credebant in carnem Christi pro nobis offerendam. Immo etiam & iste modus manducandi realiter carnem Christi per fidem, fuit semper in uiris iustis ab initio mundi, saltem post peccatum. Sic Abraham exultauit ut uideret diem Christi, uidit, & gauisus est. Ad Iudaismum ergo fugiunt aduersarij, dum ita docent. Ad idem est contra aduersarios, quòd dicentes hunc tantùm modum manducandi realiter carnem Christi, esse in Ecclesia Christiana, simul dicunt eo ipso, nos Christianos non manducare realiter carnem Christi per cœnam, sed manducare carnem Christi realiter in cœna. Probatur, quia ut dicunt sese declarantes, non per cœnam sed per fidem, carnem Christi tangimus, & ab illa uitam haurimus: unde iam non per cœnam, sed in cœna, per fidẽ, carnem Christi secundum eos manducamus. Hoc autem ipsum contingebat Iudæis comedentibus agnũ paschalem, aut manna, de quibus non est dubium, quin agnum paschalem aut manna comedentes, & ad significatum earum rerum Christum, mentem eleuantes & in mortem eius futuram credentes, hac fide, ex carne Christi uitam haurirent, & carnem Christi isto modo per fidem realiter manducarent. Nunquid per agnum illum aut per Manna? Nunquid per manducationem illius agni aut Mannæ? Absit. Quomodo igitur? non per esum agni aut Mannæ, sed in illo esu, per fidem. Ad Iudaismum ergo declinant aduersarij eo quòd, quantum ad realem manducationem carnis Christi, æqualem faciunt nostram cœnam Christianam Eucharistiæ, cùm cœna Iudaica agni Paschalis typici.

Ioan. 8.

Repugnant ergo aduersarij sibi ipsis, quia dum dicunt nos per cœnam realiter carnem Christi manducare, aut per cœnam Christum se nobis realiter exhibere, aut per cœnam Christum se nobis realiter distribuere, id tali modo declarant, ut dicant nihil horum Christum facere realiter per cœnam, sed hæc ipsum realiter facere in cœnam, per fidem. Falsa docent, sibimetipsis repugnant, res & ueritates Christianas æquant figuris & umbris Iudaicis, ideo eos auersamur. Habemus nostram cœnam Christianam præstantem in infinitum supra cœnã Iudaicam, in qua &

per quam realiter manducamus carnem Christi, eam fide & ore percipientes, Abeant, qui aliud docent; anathema sint, uel potius conuertantur, & nobiscum ex sancto Euangelio, sanctisque patribus sapiant; quod ex corde optamus, & precamur ut Deus opt. max. faxit.

Conclusio tertia, qua Christum, eiusque proprium corpus, diuino Eucharistiæ sacramento inesse rectè affirmatur, probanda desumitur, scriptorumq; catholicorum dictis adstruitur. CAP. XII.



Ertia conclusio de existentia corporis Christi in Eucharistia sacratissima, quam superius posuimus, ita habet, Corpus Christi est in sacramento Eucharistiæ per conuersionē, seu transsubstātiationem substantiæ panis in ipsum. Hæc conclusio supra præcedentem conclusionem, addit modum quendam. Verbi gratia, Diximus & probauimus in præcedente conclusione & circa illam, quòd postquàm sacerdos cum intentione consecrandi, super panem & uinum, quod offert Deo in altari, dicit uerba consecrationis, statim eo instanti ponuntur uerè, realiter, atque substantialiter corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & uini. Hæc est ueritas & doctrina catholica præcedentis conclusionis. Hæc autem conclusio præsens addit super hoc, modum quendam, quia declarat corpus & sanguinem Christi per consecrationem poni sub speciebus panis & uini, sic uidelicet, non quasi substantia panis aut uini ibi remaneat simul cum corpore & sanguine Domini, sed quia simul tempore dum substantia corporis & sanguinis Christi sub accidentibus panis & uini ponitur, substantia panis & uini inde abiicitur, expellitur, aut remouetur, remanentibus panis & uini accidentibus sensibilibus. Vnde ista talis positio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & uini, dicitur & est transsubstantiatio: quia expellit substantiam panis & uini de sub suis accidentibus propriis, & constituit aut ponit sub illis substantiam corporis & sanguinis Christi. Neque refert, quòd hæc uox Transsubstantiatio, sit noua à trecentis uel qua-

De quo fuerit cōclusio præcedēs.

De quo sit conclusio præsens.

Modus quo ponitur substantia corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis & uini.

Positio corpo. & sangui. Christi sub speciebus panis et uini, cur dica-

dringentis annis exorta; cùm aliæ uoces æquiualentes sint antiquißimæ, ut constabit ex dicendis: & cùm etiam hæc uox licèt noua, maximè tamen conueniat ipsi rei.

tur transsubstantiatio.

De uocabulo, trãssubstantiatio.

Ad huius conclusionis præsentis probationem, facit primùm conclusio præcedens, & eius ueritas, simul cum uerbis diuinis in sancto Euangelio repertis, & modo loquendi quem seruauit Dominus, hoc diuinum sacramentum suis Apostolis tradens. Dum enim cœnaret Christus cum duodecim discipulis, accepit panem, benedixit, fregit, & cum discipulis tradidisset, dixit, Hoc est corpus meum. Ecce panem accepit de mensa, panemque benedixit; sed corpus suum dedit. Vnde non dubium, quin dum dedit, panem in corpus suum mutauit, aut mutauerit. Accedit his, quòd cibum hunc diuinum porrigens Apostolis, non dixit Christus, In hoc est corpus meum. tunc enim manifestè indicaret ibi simul esse & panem: Sed dixit, Hoc est corpus meum. significans substantiam panis iam abiisse, recessisse, & ibi non esse.

Probô. 1. Conclus. 3.

Matt. 26. Marci 14. Lucæ 22.

Ad idem secundò est, ea communis doctrina omnium sanctorum patrum etiam antiquißimorum, paulò ante, idest, ad conclusioné præcedentem in uerbis eorum posita, qua, ut uidimus, omnes dicunt, panem & uinum, quæ Domino in altari de suis donis offerimus, Domini uerbo per sacerdotem dicto, benedictione, prece, aut consecratione interposita, in corpus & sanguinem Christi commutari, aut conuerti. Qui sunt ij patres antiqui, ita dicentes? Ireneus, Cyprianus, Gregorius Nyssenus, Eusebius Emissenus, Damascenus, Chrysost. Theophylactus, Ambrosius, & alij, quos memorauimus, quorumque testimonia iam superius adduximus. In uniuersum autem, dum aliqua substantia mutatur, commutatur, aut conuertitur in aliã, uel dum ex aliqua substantia fit alia, illa ex qua fit mutatio, uel conuersio, non manet. Exempla sunt manifesta & penè infinita, in omnibus mutationibus, commutationibus, uel conuersionibus naturalibus substantialibus, elementorum aut elementatorum, simplicium aut mistorum. Quando enim aqua mutatur aut conuertitur in aërem, profectò non manet aqua; & quando alimentum conuerti-

Probô. 2. Conclus. 3.

tur in alitum, non manet illud alimentum in sua natura. Hanc philosophiam uerissimam & notissimam, profectò nouerunt illi patres, ex omni parte & in omni genere scientiarum doctissimi. Vnde quia constanter & conformiter dixerunt, panem & uinum, quæ in altari Domino offeruntur, per consecrationem sacerdotis uerbo, & uirtute Christi factam, mutari, commutari, conuerti, & transire in Christi corpus & sanguinem: eadem assertione dixerunt, substantiam panis & uini non manere.

Vt autem hæc patrum sententia nunc denuò in memoriam reuocetur, ecce & hîc nonnulla eorum dicta afferimus, ex illis multis, quæ superius posuimus.

IRENEVS.

lib. 4. cap. 34. Ireneus dixit, Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius; si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, idest, Verbum eius? Idem, Quando ergo & lib. 5. mistus calix & factus panis, percipit uerbum Dei, fit lib. 4. c. 34. Eucharistia sanguinis & corporis Christi. Idem, Quemadmodum enim qui à terra est panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis est panis, sed Eucharistia duabus rebus constâs, terrena & cœlesti: sic corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Ecce qui à terra est panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis est panis, sed Eucharistia duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Quibus uerbis suis manifestè addit, Vbi panis perceperit uerbum Dei, desinit esse panis communis. Dicamus igitur nos ex Ireneo, Ergo essentiæ diuinæ infusione ac perceptione, panis, quod erat, esse desiit, resque noua factus est. Mutatur ergo panis, tum in eo quòd esse desinit, tum in id quod esse cœpit: atque hoc modo à priori substantia, in diuinam transit. Panis enim ille communis in altari positus, non potest desinere esse panis communis per uerbum Dei superaduenіens, nisi aliquo modo in ipsa uocata desitione mutetur. Non mutatur autem in accidentibus,

dentibus, ut constat ad sensum omnium, infidelium, & fideliũ: qui omnes ibi sentiunt post consecrationem, cuncta, quæ antea sentiebant. Igitur mutatur in substantia. In substantia ergo mutatur ille panis communis, quando desinit esse panis communis: ut sit hæc mutatio ab esse panem communem, ad non esse panem communem: & fiat in substantia ut est ostensum. Sed quid incipit esse, aut quid est ille panis, qui fuit communis, dum desinit esse communis? Eucharistia, inquit Ireneus, duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Ecce alia mutatio panis communis in altari positi: uidelicet in id quod non erat: ut sit hæc alia mutatio à non esse Eucharistiam duabus rebus constantem, terrena & cœlesti, ad esse Eucharistiam duabus rebus constantem, terrena & cœlesti.

Quid ergo? Hæc terrena materia, qua post uerbi perceptionem panis consistit, ea'ne est, qua præditus erat ante ipsam uerbi perceptionem? ut additione, uerbique perceptione, nunc constet illa propria uetere natura, ei addita cœlesti? Absit. Si ita est, panis non desiit esse communis. Nihil enim accessione uerbi, ab eo detractum, aut immutatum est: sed communis existens, ea creuit accessione. Quòd si hac tantùm ratione, quòd uidelicet creuerit, hunc panem esse communem desiuisse aliquis putet, primùm expediat nobis quomodo fieri posit, ut res prophana, idest panis materia, diuinitatem ferre posit, ut communione ipsius diuinitatis, diuina non efficiatur, sicut caro, quæ ex Maria Virgine sanctisima, diuina facta est. Deinde ostendat, quomodo remanẽte toto pane communi quantum ad totam eius substantiam & quantum ad omnia sua accidentia, ille ipse panis desiit esse communis. Certè quando aliquid, retentis omnibus, quæ habebat, aliquid uel aliqua accipit denuò, non dicitur desinere esse quod erat; sed dicitur incipere esse quod non erat. Exemplum est manifestum in Verbo diuino, naturali Filio Dei: de quo dum factus est homo, accipiens nostram humanitatem, & retinens totam suam diuinitatem, non dicimus quòd desiit esse Deus, sed dicimus quòd incœpit esse homo. Quando igitur Ireneus dixit, quòd noster panis

communis percipiens uerbum Dei, desinit esse panis communis, & fit Eucharistia, &c. planè intellexit hanc mutationem non esse per solam acquisitionem rei nouæ, quin etiam per amissionem rei antiquæ.

Valde igitur notanda sunt illa duo uerba sancti uiri doctissimi & antiquissimi Irenei, Alterum quo ait, Quando ergo & mistus calix, & fractus panis percipit uerbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi. Alterum quo inquit, Vbi panis perceperit uerbum Dei, desinit esse panis communis. Atque ex his multisque aliis eius dictis deducat theologus Christianus Irenei sententiam, & mentem. Nos interim alios doctores audiamus antiquos, qui idem profectò, sed clarioribus uerbis dicunt.

CYPRIANVS.

Cyprianus ait, Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non est effigie sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi, humanitas uidebatur, & latebat diuinitas: ita sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia. Ecce panis omnipotentia Verbi mutatus est, non effigie sed natura, & factus est caro Christi. Non possumus hîc clariora uerba Martyris Cypriani desiderare: adeo sunt hæc perspicua, adeo manifesta. Non mutatur panis effigies, quia manent omnia accidentia, quæ sensibus patent. Mutatur autem panis natura.

GREGORIVS Nissenus.

Gregorius Nissenus in libro De mystica uita Mosis, ait, exponens rationem illius cibi mannæ in deserto dati patribus, Is igitur mirabilis sine agricultura panis, uarietate qualitatis ad suscipientium habitudinem, uirtutem suam commutat. Nam cùm sit panis, ignorat labe fieri: sic in carnem uertitur: noluit olus imitari. Quicquid denique assumenti conueniens & expetitum sit, ut Apostolus uult, qui hanc nobis mensam præparauit, in id commutatur.

Ecce panis hic noster in altari oblatus, in carnem uertitur, & omnem nobis affert utilitatem. Idem auctor in suo sermone catechetico de diuinis sacramentis, etiã aperto apertius, Rectè igitur & nunc panem diuino uerbo sanctificatum, in corpus Dei Verbi transmutari credimus. Hæc ille.

Evsebivs Emissenus.

Eusebius Emissenus ad idem dicit, Nam inuisibilis Sacerdos, uisibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui uerbo suo, secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Nouum tibi & impossibile esse non debet, quòd in Christi substantiam terrena & mortalia conuertuntur. Hæc ille.

Ambrosivs.

Ambrosius in libro de iis, qui mysteriis initiantur, multis admodum argumentis miraculosis & exemplis diuinis probat, in hoc diuino sacramento Eucharistiæ, post consecrationem, iam non hoc esse quod natura formauit, sed quòd benedictio consecrauit, maioremque uim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Dicit multa alia ad idem; uideantur quæ superius sunt posita. *cap. 9.*

Ioannes Chrysost.

Ioannes Chrysost. super Matthæum, credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui & cogitationi nostræ absurdum esse uidetur quod dicit: superet & sensum, & rationem nostram, quæso, ipsius uerbum. Quod in omnibus & præcipuè mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed uerba quoque eius tenentes. Nam uerbis eius defraudari non possumus, sensus uerò noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum. nulla teneamur ambigui- *Homil. 83.*

tate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Non sunt humanæ uirtutis hæc opera; que tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus, qui uerò hæc sanctificat & transmutat, ipse est. Ecce Saluator noster sanctificat & transmutat quæ in altari offerimus, & facit corpus suum, uerbo suo potentissimo; transmutat, inquam, remanentibus sensibilibus accidentibus, ut declarat.

CYRILLVS.

Cyrillus Episcopus ad Calosyrium Episcopum, Ne horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis uini uitæ, conuertens ea in ueritatem propriæ carnis. Ecce Christus conuertit oblata, in ueritatem propriæ suæ carnis: & propriam suam carnem sub alienis accidentibus nobis præstat, ne aliàs datam sub propriis horreremus. Fatetur ergo quòd conuertit oblata, in propriã suam carnẽ.

EVTHYMIVS.

cap. 64. in Math. Euthymius Eremita, etiam ex antiquis patribus, quia uixit, anno 448. dicit, Itaque sicut uetus testamentum hostias & sanguinem habebat, ita sanè & nouum: corpus uidelicet, & sanguinem Domini. Non dixit, Hæc sunt signa corporis mei & sanguinis mei: sed, hæc sunt corpus meum & sanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum, quæ proponuntur aspicere, sed ad uirtutem eorum. Quemadmodum enim supernaturaliter assumptam carnem deificauit, si ita loqui liceat, ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum uiuificum corpus suum, & in preciosum sanguinem. Ecce transmutat.

IOAN. Damascenus.

lib. 4. c. 14. Ioannes Damascenus in De fide Orthodoxa, inquit, Panis & uinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei.

Si autem modum requiris, quo'nam pacto fiat, sat sit tibi audire, quoniam per Spiritum sanctum. Ecce panis & uinum, per Spiritum sanctum transmutantur in corpus & sanguinem Christi.

AVGVSTINVS.

Augustinus ad idem, uoluit Dominus hunc panem & uinum in mysterio uerè carnem suam & sanguinem suum consecratione Spiritus sancti potentialiter creari. Ex substantia panis & uini, misticè corpus Christi consecratur. Infrà corpus Christi & sanguis in uirtute Spiritus sancti ex panis & uini substantia efficitur. Per Spiritum sanctum hanc, scilicet panis substantiam, suam efficit carnem, & transit uinum in sanguinem. Infrà, Credendum est, quòd in uerbis Christi sacramenta conficiantur: cuius enim potentia creantur prius, scilicet panis & uinum, eius utique uerbo ad melius procreantur. Ecce panis & uinum consecratione Spiritus sancti potentialiter creantur uerè in carnem & sanguinem Christi: atque corpus Christi & sanguis in uirtute Spiritus sancti, efficitur ex substantia panis & uini. Transit ergo substantia panis & uini, & nō est in seipsa. *De cōsecr. dist. 2. Vtrū sub figura.*

Idem Augustinus, Sicut per Spiritum sanctum uera Christi caro sine coitu creatur; ita per eundem ex substantia panis & uini idem corpus Christi & sanguis consecratur. Corpus Christi & ueritas est, & figura. Veritas, dum corpus Christi & sanguis uirtute Spiritus sancti ex panis uiniq; substantia efficitur. Figura uerò est id, quod exterius sentitur. Ecce non potuit Augustinus confiteri hanc ueritatem apertius. *Bene refert Magister sent. lib. 4. dist. 10.*

HVGO.

Hugo in De sacramentis ad eandem ueritatem inquit, sacramentum corporis & sanguinis sui, ipse Dominus IESVS Christus instituit, quando post cœnam ueteris Paschæ, panem & uinum in corpus & sanguinem suum potentia transmutans, Apostolis sumendum distribuit. Idē *lib. 2. par. 8. cap. 2.*

Ibid. cap. 9. auctor ex intentione declarans mysterium, ita docet, Per uerba sanctificationis, uera panis, & uera uini substantia in uerum corpus & sanguinem Christi conuertitur: sola specie panis & uini remanente, & substantia in substantiam transeunte. Conuersio autem ipsa non secundum unionem, sed secundum transitionem credenda est. Hæc ille. Dicit ibi & multa alia ad idem, sed hæc modò faciunt satis.

THEOPHYLACTVS.

Theophylactus. Mar. 14. Theophylactus super Marcum, Hoc est corpus meum. Hoc, inquam, quod sumitis. Non enim figura & exemplar quoddam Domini corporis panis est, sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi. Misericors Deus nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis & uini seruat, in uirtutem autem carnis & sanguinis transelementat. Ecce Deus transelementat panem & uinum in corpus & sanguinem Christi, seruans tamen panis & uini speciem, idest, similitudinem, effigiem, seu sensibilia accidentia. Idem auctor super Ioannem, Transformatur arcanis uerbis panis ille per mysticam benedictionem & accessionem sancti Spiritus, in carnem Domini. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Quoad Theophylacti autem antiquitatem quibusdam uidetur, uixisse circa annum, à Christo nato 750. *In cap. 6. Ioannis.*

Ita ergo crediderunt & nobis suis posteris per sua scripta tradiderunt sancti patres, Ireneus, Cyprianus, Gregorius Nissenus, Eusebius Emissenus, Ambrosius, Chrysost. Cyrillus, Euthymius, Damascenus, Theophylactus, & alij multi, ut panis & uinum quæ in altari Deo Optimo Maximo de suis donis offerimus, ministerio sacerdotis, uerbo Christi, & uirtute Spiritus sancti, in corpus Christi proprium mutentur, commutentur, conuertantur, transformentur, efficiantur, non effigie, sed natura. Hæc fuit conclusio eorum eorumque fides, ut ex dictis est manifestum. Qui patres sapientissimi cum essent, unde exactè nouerant significationes terminorum & modum loquendi omniũ sapientum, dicentes panem & uinum conuerti in corpus &

sanguinem Christi, ipsis eisdem uerbis dixerunt, panem & uinum desinere esse panem & uinum in ipsa conuersione. Illa enim regula generalis est, in omnibus conuersionibus rerum, ut iam diximus, & constat.

De qualitate huius conuersionis, qua panis & uinum per consecrationem in corpus & sanguinem Christi conuertuntur, atque de eius nomine, quod est, transsubstantiatio. Ponitur catalogus piorum auctorum patrumque, qui mutationem panis & uini, in substantiam corporis & sanguinis Christi uerè fieri fatentur. CAP. XIII.



Anc eandem conclusionem Patrum piorum & antiquorum, de conuersione panis & uini in corpus & sanguinem Christi, tenuerunt confirmiter omnes doctores recentiores, sancti & catholici; nihil prorsus addentes, nisi quòd speciales rationes huius conuersionis considerantes, quæ in aliis conuersionibus naturarũ non reperiuntur, ei nomen speciale dederunt, quo eam appellarunt, transsubstantiationem. Vt saltem ex nomine, aduertamus, hanc conuersionem esse altissimam, & alterius generis ab omnibus conuersionibus, quas nouit & facit natura creata. Naturales enim conuersiones quibus aliqua in alia conuertuntur, ut quædam elementa in alia elementa, uel elementa in mista, aut quædam mista in alia mista, tales sunt, ut accidentia sensibilia eorum, quæ conuertuntur in alia, aut semper aut propè semper corrumpantur, seu ad refractus gradus reducantur, uel omnia uel aliqua. Manifesta sunt exempla, & non pauca. Rursus, In omnibus conuersionibus naturalibus, quibus quædam conuertuntur in alia, generale est & sine instantia, quòd ea quæ conuertuntur in alia, desinunt esse quod erant: & è contra, ea in quæ alia conuertuntur incipiunt esse quod non erant. Verbi gratia, Dum aqua conuertitur in aerem, aqua, quæ cõuertitur, desinit esse aqua: aer uerò, in quem conuertitur aqua, incipit esse aër. Iterum, In omnibus conuersionibus naturalibus substantiarum in alias substan-

Cõditiones naturaliũ conuersionum.
Cõditio 1.
Cõditio 2.
Cõditio 3.

tias, hoc seruatur infallibiliter & necessariò, secundum ordinem naturalem & creatam potentiam, quòd substantia, quæ conuertitur in aliam, nunquam desinit esse tota, quia tunc esset annihilatio: & substantia in quam alia conuertitur, nunquam incipit esse tota seu secundum se totam, quia esset creatio: quorum duorum neutrum potest facere creata potentia. Et sic manet semper eadem materia, quæ est ingenerabilis & incorruptibilis per creatam potentiam.

In hac conuersione deficiũt cõditiones naturaliũ cõuersionum. Hæ sunt regulæ & conditiones, quæ necessariò sequuntur naturales conuersiones substantiarũ in substantias. Quia uerò omnes hæ conditiones deficiunt in hac mirabili conuersione, qua panis & uinum per consecrationem in corpus & sanguinem Christi conuertuntur: ideò absque dubio fuit conuenientissimum, ut theologi patres aliquod nomen inuenirent, quo hanc specialem conuersionem speciali, peculiarique suo nomine appellarent. An deficiunt omnes illæ conditiones conuersionum naturalium, in hac una conuersione? Ita profectò prima deficit, quia manent & durant omnia accidentia sensibilia panis & uini, ut fides uigeat, & ut nos sub illis corpus proprium Christi & proprium eius sanguinem absque horrore sumamus. Secunda deficit, quia & si in hac conuersione panis & uinum desinant esse quod erant: corpus tamen & sanguis Christi non incipiunt esse quod non erant: sed incipiunt esse ubi non erant, idest, sub speciebus panis & uini, atque modo, quo ante non erant: conseruato in cœlo tamen modo essendi, quem ibi habebant. Tertia deficit, quia tota panis & uini substantia, esse desinit, & quoad formam, & quoad materiam, totaque substantia corporis & sanguinis Christi, ibi esse incipit, forma & materia: non quia incipiat esse, sed quia incipit esse ibi, ut constat ex dictis. Etenim conuertuntur panis & uinum in corpus & sanguinem Christi. non secundum accidentia, quia accidentia manent, unde nos in specie panis & uini quam uidemus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus, ut dicit Augustinus in libro sententiarum Prosperi: ergo conuertuntur secundum substantiam. Deinde, non remanet forma substantialis panis, & uini hoc sacramento post conse-

Deficit 1. & quare.

Deficit 2. & quare.

Deficit 3. & quare.

August. De cõsecr. dist. 2. cap. nos autem

consecrationem, ut bene demonstrauit S. Thomas, nec manet ibi materia panis & uini, quia nõ assumitur à Christo, ut informetur sua forma, & augeatur eius corpus aut sanguis, ut bene ostendit Glos. super uerbo, Conuertuntur, & post Glos. Gabriel Biel super Canonem Missæ: nec manet ibi ipsa materia ut informata ab alia forma, nec ut sine forma ulla, ut de se constat. Igitur hæc conuersio fit in tota substantia panis & uini, ita ut tota desinat esse. Duplex est enim conuersio, quædam naturalis, quædam supernaturalis. Naturalis est, quæ fit à principiis naturæ, præsupposito subiecto utrique termino; ut est conuersio aëris in ignem, in qua eadem materia, quæ fuit sub forma aëris, manet sub forma ignis. Supernaturalis est, quæ fit actione diuina speciali, præter ordinẽ naturæ. Nec potest conuersio naturalis fieri nisi secundum formam accidentalem, uel substantialem; unde omnis conuersio naturalis, est formalis, accidentalis, uel substantialis. Respicit namque omnis naturalis conuersio, agens naturale: quod omne quum sit finitum, & agat non se toto sed secundum formam suam, qua est in actu, & non intendat corruptionem nec destructionem, sed generationem, ædificationem, aut compositionẽ: sicut non potest producere nisi formam, ita non potest corrumpere nisi formam. Conuersio autem supernaturalis, quia respicit agens supernaturale, infinitum & potentissimum, in cuius potestate & sub cuius potestate sunt omnia entia creata & creabilia, quantum ad esse uel non esse, conseruari uel non conseruari, produci uel non produci, simpliciter uel secundum quid, secundum se tota uel secundum quamlibet sui partem, potest esse alio modo supra conuersionẽ naturalem. Quamobrem potest esse non solùm formalis, aut secundũ formam: quinetiam & secundum totam substantiam, secundum formam accidentalem, secundum formam substantialem, secundum materiam, secundum totum. Vnde bene dicitur, quòd non solùm corpus in corpus, aut substantia in substantiam, seu accidens in accidens: sed etiam spiritus in spiritum, & corpus in spiritum, & spiritus in substantiam corporalem, substantia in accidens, accidens in substantiam, & gene-

S. Tho. par. 3. quæst. 75. art. 6.

De cõsecr. dist. 2. c. Quia corpus.

Gabriel lect. 49. litera E.

Gabriel. ubi supra. lect. 40. litera D.

raliter quodlibet creatum in creaturam quamlibet poteſt conuerti diuina poteſtate. Probatur, Quia cùm quælibet creatura æque eſt in plena poteſtate Dei quantum adeſſe & non eſſe, poteſt Deus quamlibet creaturam annihilare, & aduocatam deſitionem alterius cuiuſcunque producere: ſimiliter poteſt quamlibet creaturam conſeruare ad deſitionem alterius. Quod cum facit, creaturam quæ deſinit, in eam quam ſic conſeruat uel producit, conuertit. Nec tamen propter talem conuerſionem unum fit reliquum, Hoc eſt, Si corpus conuertitur in ſpiritum, non ideo corpus fit ſpiritus: neque materia fit forma, ſi in formam conuerteretur: nec ſubſtantia accidens, uel è conuersò: cum conuerti unũ in aliud, non eſt unum fieri aliud: ſed eſt, uni deſinenti ſuccedere aliud: licet in caſu ex corpore fiat ſpiritus, & ex materia fiat forma: quod nihil aliud eſt dictu, niſi quòd deſinenti corpori ſuccedit ſpiritus. Sicut in generatione naturali ignis ex aëre, aër non fit ignis, nec forma aëris fit forma ignis, ſed forma aëris corrumpitur, & producitur in eadem materia forma ignis: quod eſt conuerti aërem in ignem, ſiue formam aëris in formam ignis. Sic ergo, poſt horum omnium conſiderationem, quia prædicti ſancti patres antiqui hanc conuerſionem de qua agimus, prædicant atque commendant, non tanquam naturalem ſed tanquam ſupernaturalem, & eam in Deum auctorem ſpecialiſsimo modo referunt: quia inſuper ea, omnibus modis prædictis, à naturalibus conuerſionibus differt: iure optimo, peculiari uocabulo dicta eſt, tranſſubſtantiatio. Vtpote quòd tota ſubſtantia panis & uini, conuertatur in totam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, modo expoſito; & non ſola materia in ſolam materiam, nec ſola forma in ſolam formam.

Quomodo Deus poteſt, quàlibet creaturam conuertere in quàlibet.

Quid ſit, aliud conuerti in aliud.

Auguſtinus ſuper Geneſim, & Boethius in lib. de duabus naturis, & Durandus, lib. 4. ſent. negant quodlibet poſſe conuerti in quodlibet: ſed notum eſt, quòd alio modo acceperunt conuerſionem.

Auguſt. lib. 7. Boethius. Durand. diſt. 11. quæſt. 2.

Concilium Lateran.

Concilium Lateranense sub Innocentio tertio celebratum, secundum hanc ueram & catholicam theologiam ita definiuit, Vna est fidelium uniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur; in qua idem ipse sacerdos & sacrificium IESVS Christus, & cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & uini ueraciter continetur: transubstantiatis pane in corpus, & uino in sanguinem, potestate diuina: ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Ecce sacrum concilium iam à multis annis usum fuit hoc uocabulo, transsubstantiatio, pro ea conuersione, qua panis & uinum in corpus & sanguinē Christi conuertuntur. *Extrà de sum. Trin. & fide. c. Firmiter.*

Magister sent.

Magister sententiarum primùm auctoritatibus probauit, uerum corpus Christi esse in altari, & in id panē conuerti. Deinde uerò ita prosequitur ad propositum. Si autem quæritur, qualis sit illa conuersio, an formalis, an substantialis, an alterius generis? definire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco: quia species rerum quæ antefuerant, remanent, & sapor, & pondus. Quibusdam esse uidetur substantialis, dicentibus sic substantiam conuerti in substantiam, ut hæc essentialiter fiat illa. Cui sensui præmissæ auctoritates consentire uidentur. Hæc ille. Ecce secundum Magistrum, substantialis est hæc conuersio, & substantia conuertitur in substantiam, idest, substantia panis & uini, in substantiam corporis & sanguinis Christi. Est igitur transsubstantiatio, quocunque nomine nominetur. *lib. 4. dist. 10. Ibid. dist. 11.*

Idem Magistēr opponens contra se, & soluens, declarat magis materiam, dicens, Sed huic sententiæ sic opponitur ab aliis, Si substantia panis, inquiunt, uel uini conuertitur substantialiter in corpus uel sanguinem Christi: quotidie fit aliqua substantia corpus uel sanguis Christi, quæ *Oppositio.*

ante non erat corpus: & hodie est aliquid corpus Christi, quod heri non erat: & quotidie augetur corpus Christi, atque formatur de materia, de qua in conceptione non fuit factum. Quibus hoc modo responderi potest: Quia non ea ratione dicitur corpus Christi confici uerbo cœlesti, quod ipsum corpus in conceptu Virginis formatum deinceps formetur: sed quia substantia panis uel uini, quæ non fuerat corpus Christi uel sanguis, uerbo cœlesti fit corpus & sanguis. Et ideo sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi & sanguinem: quia eorum ministerio substantia panis fit caro, & substantia uini fit sanguis Christi: nec tamen aliquid additur corpori uel sanguini, nec augetur corpus Christi uel sanguis. Hæc ille. Ergo substantialis est hæc conuersio, & nihil ualet obiectio in contrarium.

Solutio.

Idem auctor declarando magis, dicit, Si uerò quæris modum, quo id fieri possit, breuiter respondeo, Mysterium fidei credi salubriter potest, inuestigari salubriter non potest. Quod ergo corpus Christi, panis mutatione in id, non augmentatur, nec sanguis ex uini conuersione, eius uoluntati & potentiæ adscribatur, qui idem corpus de Virgine eduxit. Fit ergo substantia illa ista, sine eius augmento. Nec tamen concedunt quidam, quod substantia panis aliquando fit caro Christi, & si fiat caro Christi: sicut farina facta est panis, & aqua facta est uinum; nec tamen dicitur farina est panis, & aqua est uinum. Alij uerò concedunt, illud, quod erat panis uel uinum, post consecrationem esse corpus & sanguinem: non tamen sequitur, panis est caro Christi, uel uinum est sanguis. Quia substantia panis uel uini, postquàm facta est caro Christi uel sanguis, non est substantia panis uel uini, sed caro & sanguis. Idem distinguendum uidetur, cum dicitur, substantia panis uel id quod erat substantia panis, modò est corpus Christi. Manens enim panis non est corpus Christi: sed mutata in id quod facta est, est corpus Christi. Nec dicimus substantiam panis uel uini materiam esse corporis uel sanguinis Domini; quia non de ea ut de materia, formatur corpus; sed ipsa formatur in illud, & efficitur illud. Hactenus ipse.

Corpus et sang. Christi nō augmentatur ex conuersione panis & uini.

Idem Magister clarius explicans hanc ueritatem, ait, Quidam uerò dicunt conuersionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus, sub quibus erat prius substantia panis & uini, post conuersionem sit substantia corporis & sanguinis. Sic tamen, ut non eis efficiatur. Et sic asserunt dictum panem transire in corpus Christi, quia ubi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis & uini? Illi dicunt uel in præiacentem materiam resolui, uel in nihilum redigi. Hæc ille. Qui secundum hanc sententiam potius, aduersus errorem eorum, qui dicerent, ibidem substantiam panis & uini remanere simul cum corpore & sanguine Domini, dicit expressè. Sed quòd non sit ibi substantia, nisi corpus Christi & sanguis, ex prædictis & subditis apertè ostenditur. Ait enim Ambrosius, Panem istum, quem sumimus in mysterio, illum intelligo utique, qui manu sancti Spiritus formatus est in utero Virginis, & igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim Angelorum factus est cibus hominum. Hæc ille. *In de sacramen.* *De cōsecr. dist. 2. c. Omnia quæ.*

Hanc eandem doctrinam tenuerunt semper omnes doctores catholici, quotquot post Magistrum sententiarum scripserunt: qui omnes dicunt, substantiam panis & uini conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi; & hanc conuersionem asserunt esse substantialem, atque illam appellant, transsubstantiationem.

S. THOMAS.

S. Thomas asseruit, quòd in hoc sacramento non remanet substantia panis & uini post consecrationem: quod & probat. Ipseque auctor sanctus aduersus eos, qui olim ante huius ueritatis plenam cognitionem posuerant post consecrationem substantiam panis & uini in hoc sacramento remanere, dicit palàm, Sed hæc positio stare non potest, Primò quidem, quia per hanc positionem tollitur ueritas huius sacramenti, ad quam pertinet, ut uerū corpus Christi in hoc sacramento existat: quod quidem non est ante consecrationem. Non autem aliquid potest esse alicubi *par. 3. quæst. 75. art. 2.*

Quibus modis potest aliquid esse ubi prius non erat.

ubi prius non erat, nisi uel per loci mutationem, uel per alterius conuersionem in ipsum, Sicut in domo aliqua de nouo incipit esse ignis, aut quia illhuc defertur, aut ibi generatur. Manifestum est autem, quòd corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem, Primò quidem, quia sequeretur quòd desineret esse in cœlo: non enim quod localiter mouetur, peruenit de nouo ad aliquē locum, nisi deserat priorem. Secundò, quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, quod hic dici non potest. Tertiò, quia impossibile est, quod unus motus eiusdem corporis localiter moti, terminetur simul ad diuersa loca: cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat. Et ideò relinquitur, quòd non possit aliter corpus Christi incipere esse de nouo in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Quod autem conuertitur in aliquid, facta conuersione non manet. Vnde relinquitur, quòd salua ueritate huius sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non possit. Secundò, quia hæc positio contrariatur formæ huius sacramenti, in qua dicitur, Hoc est corpus meum; quod non esset uerum, si substantia panis ibi remaneret. nunquam enim substantia panis est corpus Christi. Sed potius esset dicendum, Hic est corpus meum. Tertiò, quia contrariatur uenerationi huius sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione latriæ adorari. Quartò, quia contrariatur ritui Ecclesiæ, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi: cum tamen post unam hostiam consecratam liceat sumere aliam. Vnde hæc positio uitanda est tanquam hæretica. Hæc ille. Ecce substantia panis & uini conuertitur in substantiam corporis & sanguinis Christi, & non manet in sacramento post consecrationem.

Ibid. art. 4.

Idem auctor paulò pòst, probat quòd licèt agens naturale non possit facere conuersionem nisi formalem, quæ est secundum transmutationem solius formæ: Deus tamen potest facere conuersionem secundum totam substantiam, & illam facit in hoc sacramento, quæ potest, dici transsub-

ſtantiatio. Dicit nanque, Manifeſtum eſt enim, quòd omne agens agit inquantum eſt actu. quodlibet autem agens creatum, eſt determinatum in ſuo actu, cum ſit determinati generis & ſpeciei: & ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur ſuper aliquem determinatum actum, Determinatio autem cuiuslibet rei in eſſe actuali, eſt per eius formam. Vnde nullum agens naturale ſeu creatum, poteſt agere niſi ad immutationem formæ: & propter hoc omnis conuerſio quæ fit ſecundum leges naturæ, eſt formalis. Sed Deus eſt actus infinitus, ut in prima parte habitum eſt, unde eius actio ſe extendit ad totam naturam entis. Non igitur ſolùm poteſt perficere conuerſionem formalem, ut ſcilicet diuerſæ formæ ſibi in eodem ſubiecto ſuccedant; ſed conuerſionem totius entis, ut ſcilicet tota ſubſtantia huius conuertatur in totam ſubſtantiam illius. Et hoc agitur diuina uirtute in hoc ſacramento: Nam tota ſubſtantia panis conuertitur in totam ſubſtantiam corporis Chriſti; & tota ſubſtantia uini, in totam ſubſtantiã ſanguinis Chriſti. Vnde hæc conuerſio non eſt formalis, ſed ſubſtantialis: nec continetur inter ſpecies motus naturalis, ſed proprio nomine poteſt dici tranſſubſtantiatio. Hæc ille.

Agens naturale pôt facere conuerſionem formalem ſolùmodo, & quare.

Deus poteſt etiam facere conuerſionem totius ſubſtantiæ, & quare.

Scotus eodem modo determinat hanc ueritatem. Probat enim ex Ambroſio, quòd cùm Deus poſsit dare nouas naturas rebus, quæ prius non erant, potuit & mutare naturam in naturam, & per conſequens, tranſſubſtantiare. Addit, quòd hæc eſt cõueniens ratio huius nominis, traſſubſtantiatio: quod eſt, tranſitio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam. Addit his, quòd poſsibile eſt huic rationi nominis, aliquid ſubeſſe, & quòd hoc non eſt poſsibile alicui uirtuti actiuæ niſi diuinæ immediatè. Oſtendit hæc omnia, ſed omittimus ſuas oſtenſiones, breuitatis cauſa. Sufficit quòd in potentia Dei eſt omnis creatura: & quantum ad totum eſſe, & quantum ad totum non eſſe. Hinc enim fit, ut quodlibet creatum poſsit conuerti in quodlibet, per eandem rationem; quia utrunque extremum in creaturis ſubeſt potentiæ diuinæ, & quantum ad totale eſſe, & quantum ad totale non eſſe. Mouet quæſtionem, Vtrum panis conuertatur in corpus Chriſti in Euchariſtia? Reſpondet

Scot. lib. 4. diſt. 11. quæſt. 1.

Ibid. art. 1.

Ibid. art. 2.

Ibid. quæſt. 2.

Ibid. quæſt. 3.

quòd non manet panis, nec annihilatur, nec resoluitur in materiam primam, sed conuertitur in corpus Christi. Ibique adducit multa, quibus hanc demonstrat ueritatem: ex diuo Ambrosio, ex cap. Ad abolendam. extra de hæreticis. ex cap. Firmiter. extra. de summa Trini. & fide catholica.

GABRIEL Biel.

Gabriel Biel, tum in locis communibus libri quarti sententiarum, tum in suo opere nunquam satis laudato super Canonem Missæ, idem tenet omnino, confitetur, & docet: pro quo adducit determinationem Ecclesiæ in capitulo, Firmiter. de summa Trinit. & fide catholica. atque doctorum sanctorum auctoritates, Eusebij Emisseni, Ambrosij, Augustini, Hugonis, in De sacramentis. Post hanc determinationem idem auctor ita subiungit, ut exactius & suam mentem, & nostram hanc catholicam ueritatem declaret. Quia ergo, inquit, ex determinatione Ecclesiæ conformiter ad sanctorum auctoritates credendum est, corpus Christi in sacramento esse per conuersionem panis in ipsum; uidendum, quomodo intelligenda sit ipsa conuersio. Vbi tria sunt perquirenda, Primùm, quid sit conuersio. Secundò, quid in quid conuerti possit. Tertiò, qua specie conuersionis panis in corpus Christi conuertatur. Quoad primum, notat quòd conuersio, quæ est transitio unius in aliud, duo dicit: scilicet desitionem alicuius rei, & successionem alterius. Tunc conuersionem describens, ita dicit, Est ergo conuersio, successio entitatis positiuæ ad entitatem positiuam desinentem. Quoad secundum ita præmittit, Tunc res aliqua conuerti potest in aliam, dum utraque est in potestate agentis, quantum ad esse uel conseruari & non esse, simpliciter uel secundum quid. Deinde ita determinat, Non solùm corpus in corpus, aut substantia in substantiã, seu accidens in accidens: sed spiritus in spiritum, & corpus in spiritum, & spiritus in substantiam corporalem, substantia in accidens, & accidens in substantiam, & generaliter quodlibet creatum, in creaturam quamlibet potest conuerti diuina potestate.

Super cano. lec. 40.

Ibid. litera C.

Successio, quid sit.

Ibid. litera D.

Quid in quid possit conuerti.

Idem

Idem auctor quoad tertium, qua uidelicet specie conuersionis panis conuertatur in corpus Christi: ut id declaret, notat in primis, multipliciter accipi, tam à Philosopho, quàm à sanctis Patribus: & posse acceptiones has omnes reduci ad tres. Quia uno modo potest accipi mutatio largè, siue communissimè: & sic accipiendo, mutari, est rem incipere uel desinere esse, aut se habere aliqualiter posterius qualiter se non habuit prius, instantaneè uel successiuè; & sic est genus ad motum & conuersionē: quia motus dicit successionem, & conuersio desitionem conuersi, quæ non importat mutatio, in specie. Similiter sic accipiendo mutationem, seu mutari, est genus ad creationem & annihilationem, & alterationem: quia in genere importat, quicquid illi termini important in specie. Alio modo mutatio seu mutari accipitur strictè, pro receptione alicuius formæ substantialis uel accidentalis de nouo, uel pro dimissione talis formæ præhabitæ, instantanea uel successiua. Et illo modo materia prima si fuisset creata sub forma, idest, simul creata cū forma, in instanti, suæ creationis fuisset mutata; quia in illo instanti recepisset formam, quam ante hoc instans non habuisset. Tertio modo accipitur mutatio seu mutari, strictissimè, & sic accipiendo, mutari, est subiectum præsuppositum recipere formam uel locum prius non habitam uel habitum, uel talem perdere, instātaneè uel successiuè: Et sic accipitur, octauo Physicorum, ubi innuitur, quòd mutari, est rem aliter se habere prius & posterius. Ex illo patet quòd conuersio non est mutatio, secundo uel tertio modis, saltem non oportet: sed tantùm, primo modo: quia quod his duobus ultimis modis mutatur, non desinit; quod autem conuertitur, desinit esse. Hæc ipse doctor satis explanauit.

Ibid. litera F.

Mutatio accipitur multis modis.

Genus 1. mutationis

Genus 2. mutationis

Genus 3. mutationis

Idem auctor, ut ostenderet, quomodo se habeat conuersio ad transsubstantiationem, aduertit, quòd est conuersio quædam naturalis, quædam supernaturalis. Naturalis est, quæ fit à principiis naturæ præsupposito subiecto utrique termino: ut est conuersio aëris in ignem. Supernaturalis est, quæ fit actione diuina speciali præter ordinem naturæ. Et ista, si fit inter terminos substantiales, di-

Ibid. litera G.

Quid sit transsubstãtiatio. *Quid sit transacci-dentatio.* *Descriptio trãssubstãtiationis.*

citur transsubstantiatio. Si inter terminos accidentales, posset dici transaccidentatio. Si inter terminum à quo, qui est substantia, & ad quem, qui est accidens, posset circumlocutiuè dici, transsubstantiæ accidentatio. Post hæc idem auctor de transsubstantiationis descriptione ita dicit, Potest autem transsubstantiatio ad propositum sic describi, est conuersio substantiæ totius in substantiam non habentem communem materiam cum priore. Hac descriptione posita, discurrit idem auctor per omnes eius particulas: & profectò satis ostendit eam esse bonam, & ob id ab omnibus recipiendam. Tandem sic concludit tertium, quod proposuerat discutiendum, Ex his, inquit, patet, quòd transsubstantiatio, est species conuersionis supernaturalis, & per consequens species conuersionis in genere. Patet quòd nulla potentia naturalis potest in transsubstantiationem: quia nulla habet in sua potestate totam substantiam compositam, quantum ad materiam & formam, cum materia naturalis, sit ingenerabilis & incorruptibilis; neque substantiam simplicem ut formam, nisi mediante subiecto communi utrique termino trãsmutationis; sed ubi manet materia communis, ibi non est transsubstantiatio, ut patuit. Hæc ille. Ita sua tria proposita determinauit doctor hic catholicus uerè, doctè, & catholicè: explicando materiam, & concludendo ueritatem.

Transsubstantiatio, cuius conuersionis sit species. *Nulla potentia naturalis potest facere trãssubstantiationem.*

Iam ex dictis palàm est omnibus, ut arbitror, nihil ultrà fecisse doctores scholasticos posteriores, supra illos doctores & patres antiquos, nisi quòd eorum sententiam prosequuti sunt, illam declararunt, suis declarationibus illustrarunt, & prout posibile ipsis fuit, reduxerunt ad methodũ. Verbi gratia, dixerunt primi patres, Deum Optimum Maximum sua infinita uirtute per consecrationem sacerdotis, in uerbo Christi mutare, commutare, transformare, efficere, aut conuertere substantiam panis, & uini, in substantiam corporis & sanguinis Christi: hæc fuit fides, & doctrina salutaris, iuxta uerbum Domini, Hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem, &c. Supra hanc nihil addiderunt posteriores, nisi quòd naturam huius mutationis seu conuersionis inquirentes, omnes

Posteriores Theologi in hac materia nihil addiderũt supra sententiam priorum, nisi quòd illã reduxerunt ad methodũ.

mutationes, omnesque conuersiones siue etiam modos earum percurrerunt: hanc ab aliis distinxerunt, speciem eius inuenerunt, & nomen quo ipsam rem ostenderent, ei imposuerunt. Videlicet ut hæc conuersio dicatur, transsubstantiatio: quia uidelicet est conuersio substantiæ panis & uini in substantiam corporis & sanguinis Christi: & non est conuersio secundum accidentia, quia accidentia manent, ergo est secundum substantiam, & non est conuersio naturalis in qua fit mutatio solùm secundum formam, manente subiecto seu materia sub utroque termino conuersionis, quia nihil accrescit Christo ex omnibus quæ fuerunt panis: ergo est conuersio supernaturalis, in qua tota substantia conuertitur in totam substantiam. Id etiam maximè declarantes quòd & si tota illa substantia panis & uini desinat esse in se, ita ut nihil eius remaneat secundum esse quod habuit in pane & uino, non tamen ullo modo annihilatur, nec in materiam resoluitur primam, aut præiacentem. Quare sic? Quia Deus conuertens, non intendit annihilare nec resoluere in præiacentem materiam, sed conuertere in aliam substantiam: unde non annihilat neque resoluit, sed conuertit. Desinit'ne esse illa panis & uini substantia? Desinit quidem esse in se, quia re uera non est in se, ut bene notauit S. Thomas: non tamen annihilatur, quia non desinit esse per annihilationem, sed desinit esse per conuersionem. Idem Scotus in quarto libro sententiarum; idem Gabriel super Canonem Missæ, idemque omnes alij literis prodiderunt. Durandus conuênit cum aliis patribus in eo, quòd hic ponit quidem conuersionem à substantia panis & uini, in substantiam corporis & sanguinis Christi: & eam quidem non accidentalem, sed substantialem. Quia uerò ad pauca respiciens, existimauit hanc conuersionem esse admodum naturalium conuersionũ substantiarum in alias substantias: iudicauit manere in hoc diuino sacramento materiam propriam, quæ fuit panis, non propria forma panis informatam, nec sine forma relictam, nec ad aliam formam extraneam mutatam, sed ab ipso Christo Domino nostro assumptam, corpori suo unitam, & sua propria informatam forma. Vnus ille fuit in

S. Tho. par. 3. quæst. 75. art. 3.

Scotus dist. 2.

Gabriel lect. 51.

Durand. lib. 4. dist. 11. quæst. 3.

hoc, Vox autem unius, uox nullius. Sententia sua sine fundamento est, per se ruit, non uetustate, sed nouitate, falsitate, temeritateque collapsa. Minusque est audiendus, sed magis est fugiendus Cardinalis Cameracensis, Petrus ab Aliaco.

lib. 4. sét. quæst. 2. de Eucharistia.

Concilium Florentinum.

Florentina Synodus Oecumenica sub Eugenio quarto celebrata, & ex patribus tam Græcis quàm Latinis legitimè congregata, manifestè etiã definiuit, quòd Sacerdos in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentũ; quodq; ipsorum uerborum uirtute substantia panis in corpus Christi, & substantia uini in sanguinem, conuertitur.

Concilium Tridentinum.

Tridentina Synodus etiam Oecumenica sub Iulio tertio, de hoc altissimo sacramento ita docet, Quoniam autem Christus redemptor noster, corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, uerè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & uini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ uini, in substantiam sanguinis eius: quæ conuersio conuenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.

c. 4. Sess.

Et nequis contra hanc ueram & catholicam doctrinam docere, aut sentire præsumat, sub Canone latæ sententiæ contra eiusmodi præsumptores hæc protulit eadem sacrosancta Synodus Tridentina.

Can. 2. in ordine.

Siquis dixerit in sacrosanctæ Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis & uini unà cum corpore & sanguine Domini nostri IESV Christi, negaueritque mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ uini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & uini, quam qui-

dem conuersionem catholica Ecclesia apertissimè transsubstantiationem appellat, Anathema sit.

Ecce omnibus modis & ubique ista ueritas proponitur credenda, & declaratur exactè, de conuersione substantiæ panis & uini in substantiam corporis & sanguinis Christi Domini nostri: pro qua, & si quæ in istum usque locum dicta sunt, sufficiant, libet nihilominus etiam nonnulla alia adducere, quæ lectori erunt non iniucunda.

Parisiensis Theologica facultas.

Parisiensis facultas Theologica in suis articulis declarantibus fidem, & religionem Christianam, ut iam posuimus ad ueritatem conclusionis præcedentis huius materiæ, ita dixit, Quilibet Christianus tenetur firmiter credere, in consecratione Eucharistiæ, panem & uinum conuerti in uerum Christi corpus & sanguinem, remanentibus tamen panis & uini speciebus, sub quibus realiter uerum Christi corpus continetur, quod ex Virgine natum est, & in cruce passum. art. 5.

Louaniensis facultas.

Louaniensis facultas Theologica eandem ad rem, in suis articulis, sicut etiam ante memorauimus, ita habet, In Eucharistia non manent panis & uinum, sed hæc in corpus & sanguinem Christi admirabili potentia uerbi ipsius sunt conuersa, manentibus tantùm panis uinique speciebus. art. 14.

LANFRANCVS Episc.

Lanfrancus Episcopus Cantuariensis uerè ac manifestè scripsit ad Berengarium, quod toto Orbe diffusa Ecclesia Catholica, credit, terrenas illas substantias, quæ in mensa Dominica per sacerdotale mysterium diuinitus sacrificantur, ineffabiliter, incompræhensibiliter, & mirabiliter, operante superna potentia, conuerti in essentiam dominici corporis & sanguinis, reseruatis ipsarum rerum speciebus & qualitatibus, ipso nihilominus dominico cor-

pore permanente in cœlestibus ad dexteram Patris, integro, incontaminato, illæso: nempe impassibili, & immortali. Vt uerè utrunque dici possit, & ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, atque ipsum sanguinem, qui in ara crucis pro nobis effusus est, sub speciebus panis & uini nos sumere, & quodammodo non ipsum; ipsum quidem quantum ad ueræ utriusque naturæ essentiam proprietatem, & uirtutem: non ipsum autem, si modum illum ineffabilem spectemus, quo sub alienis speciebus mirabiliter & incompræhensibiliter latitat. Hæc, inquit, fides est, quam tenuit à priscis temporibus, & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum Orbem diffusa, catholica nominatur. Hanc fidem Latinos, hanc Græcos, hanc Armenos magno consensu sequi affirmat.

Patrum aliorum complurium de eandem re testimonia.

Sunt etiam multi alij, qui hăc ueritatem tenuerunt ante nos, & tenent hisce nostris temporibus. Idem enim crediderunt, & in suis scriptis confessi sunt, Nicolaus Episc. Methonen. Samonas Episc. Gazæ ciuitatis, Marcus Episc. Ephesinus, Germanus Archiepisc. Constantinopolitanus, Nicolaus Cabasila, Bessarion Episc. Tusculanus, Innocentius in De officio Missæ. Omnium enim horum paulò ante ad secundam conclusionē præcedentem retulimus sententias in suis dictis quibus omnes fatentur, panem & uinum per consecrationem mutari, commutari, aut conuerti in corpus & sanguinem Christi Saluatoris nostri. Vnde quia scripta eorum iam posui, modò ea iterum referre supersedeo. Manifestè tenuit hanc ueritatem Alfonsus à Castro Archiepiscopus Compostellanus in suo opere aduersus hæreses. Ibi enim ex multis ostendit, non solùm panem & uinum non manere in sacra Eucharistia post consecrationem, quinetiam & ea transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi. Adducitque pro ista ueritate catholica, ad quam agebat, & ad quam nos agimus, Concilium Constantien. Theophylactum, Damascenum, Gregorium Nissenum, Cyprianum, Ireneum, Concilium Lateranense sub

Nicol. Methonēsis. Samonas Gazen. Marcus Ephesin. Germanus Constant. Cabasila, Bessariō, Innocen.

Alfonsus à Castro.

Hæresi 5. aduersus sacrā Eucharist.

Innocentio tertio. Rex Angliæ Henricus octauus antequàm deficeret asseruit & satis probauit in assertione septem sacramentorũ aduersus Lutherum, non manere substantiam panis nec uini in sancto sacramento Eucharistiæ. Idem Ioannes Episcopus Roffensis in Apologia pro eadem assertione. Ioan. Eckius in suo opere de septem sacramentis. Idem etiam abundè Ruardus Tapper, circa articulum decimumquartum facultatis theologicæ uniuersitatis Louaniensis, quo loco, pro hac eadem ueritate adducit multa, satis probantia præsentem ueritatem. Ad hanc insuper ueritatem multa dixit, multaque adduxit Stanislaus Hosius, Episc. Varmien. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis meritissimus, & nunc ad hoc sacrosanctum Tridentinum Concilium Oecumenicum Legatus tertius: dixit, inquam, & adduxit uerè, piè, doctè & prudenter, adeò ut nihil præterea desiderari possit.

Rex Angliæ Henricus 8.

Io. Episc. Roffen.

Io. Eckius

Ruardus Tapper.

Staniсl. Hosius. In confessione siue explicatione. cap. 39.

Concilium Constantiense.

Constantiense Concilium enumerans errores Ioannis Vuitcleff, numero 45. eum suum errorem primo loco collocat, quo ipse his uerbis uel in hanc sententiam dicebat, Substantia panis materialis, & similiter substantia uini materialis, manent sine subiecto in eodem sacramento altaris. Ibidemque, 3. loco, collocat istum alium eius articulum, Christus non est in eodem sacramento identicè & realiter in propria præsentia corporali. Hos autem errores cum aliis, 43. una super omnes lata sententia, damnat concilium. Vnde quidem eo ipso iam determinauit, substantiam corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento Eucharistiæ post consecrationem præsentialiter adesse, atque substantiam panis & uini ibi non manere.

Sessio. 8.

Alexander de Ales, sanctus Bonauentura, & alij patres scholastici, qui de hac re scripserunt penè infiniti, omnes quasi uno ore loquantur, hanc ueritatem confessi sunt: quorum dicta breuitatis gratia omittimus.

Nunc fuerit operæprecium hîc ponere catalogum doctorum sanctorum & catholicorum, conciliorum & uni-


uersitatum, in quorũ determinationibus & dictis hæc ueritas reperitur, de conuersione aut mutatione substantiæ panis & uini in substantiam corporis & sanguinis Christi, per consecrationem.

Irenævs Martyr.
Cyprianus Martyr.
Gregorius Nissenus.
Eusebius Emissenus.
Ambrosius.
Chrysostomus.
Cyrillus.
Euthymius.
Damascenus.
Augustinus.
Hugo.
Theophylactus.
Lateranense Concilium.
Magister sententiarum.
Sanctus Thomas.
Scotus.
Gabriel Biel.
Durandus.
Florentina Synodus.
Tridentina Synodus.
Parisiensis facultas Theologica.
Louaniensis facultas Theologica.
Lanfrancus.
Nicolaus Methonensis.
Samonas Gazensis.
Marcus Ephesinus.
Germanus Constantinopolitanus.
Cabasila.
Bessarion.
Innocentius.
Alfonsus à Castro.
Ioannes Roffensis.
Ioannes Eckius.

Ruardus

Ruardus Tapper.
Stanislaus Hoſius.
Conſtantienſe Concilium.

Quarta in ordine Concluſio probanda ſuſcipitur, & de adoratione corporis Chriſti in ſacra Euchariſtia agitur, eaque ratione quadruplici probatur. CAP. XIIII.



Varta concluſio, hæc eſt, corpus Chriſti in hoc excellentiſsimo ſacramento, eſt quidem manducandum; non ſolùm autē manducandum, ſed & adorandum. Quo ad primam eius partem, ſic nota eſt concluſio, ut prorſus nulla indigeat probatione: tum quia eſt in diuinis ſcripturis expreſsa, dicente Domino diſcipulis ſuis, Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meū. Hoc facite in meam commemorationem. tum quia eſt ab omnibus conceſſa, abſque ullo prorſus diſsidio. Nec ſolùm corpus Chriſti in hoc ſacramento ſic eſt manducandum; ut licitè poſsit manducari: quin potius ſic eſt corpus Chriſti in hoc ſacramento manducandum ut omnes adulti ſanæ mentis teneamur ſub præcepto, corpus Chriſti in hoc ſacramento in re, uel ſaltem in uoto manducare. Quia ergo hæc ueritas omnibus patet, omnibus eſt nota, & ab omnibus conceditur, tam amicis, quàm aduerſariis, non eſt opus in ea probanda multiplicare rationes. Sufficit ei ſua claritas, ad ſuam probationem.

Corpus Chriſti in hoc ſacramento, eſt manducandum.

Secunda pars huius concluſionis, ideſt, quòd corpus Chriſti in hoc ſacramento, eſt adorandum, ita eſt manifeſta, ut profectò nunquam putarem, poſſe de ea apud quemuis intellectum humanum, aliquod unquam ſuboriri dubium: intellectum humanum, inquam, Chriſtianum. Sic manifeſta illa eſt, & ſic nota fuit ſemper apud omnes catholicos Chriſtianos. Corpus Chriſti eſt pars eſſentialis humanitatis Chriſti, informatum nunc anima rationali altera parte eſſentiali ipſius humanitatis, & ſimul cum ipſa anima aſſumptum à Verbo diuino in unitate diuini ſuppoſiti. Ob quod abſque dubio, eadem adoratio debetur

Corpus Chriſti in ſacramēto Euchariſt. eſt adorandum.

Corpus Chriſti eſt pars eſſentialis humanitatis eius.

Christi corpori, quæ debetur Christi animæ, & quæ debetur toti Christi humanitati: quamuis tamen inter patres essentiales ipsius humanitatis, præstans magis sit anima, quàm corpus, & suas habeat prærogatiuas excellentiores. De humanitate autem Saluatoris nostri nullus unquã Christianus dubitauit, quin ea sit adoranda; licèt nonnulli inquirant, qua adoratione debeat humanitas Christi adorari, Latria, Hiperdulia, an Dulia? de qua quæstione, aut circa illam, seu materiam illius, Magister sententiarum multa dicit, & Gabriel Biel super Canonem Missæ, tres refert patrum sententias. In eo, qui honoratur, duo possumus & debemus considerare; idest, eum cui honor exhibetur, & causam honoris; hoc est, rationem propter quam honorato defertur honor. Item, propriè loquendo, honor debetur toti rei subsistenti: & si aliquando dicatur honorari manus, uel pes, uel pars aliqua alicuius, hoc non dicitur ea ratione, quòd huiusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in his partibus honoratur totum: per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, ut in ueste, aut in imagine, aut in nuntio. Sic dicimus, cùm in Christo sit tantùm una persona diuinæ & humanæ naturæ, & etiam una hypostasis & unum suppositum, est quidem eius una adoratio & unus honor ex parte eius, qui adoratur: sed ex parte causæ seu rationis, qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes: ut uidelicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam. Hinc fit, ut firmiter dicamus, quòd, una & eadem adoratione sit adoranda diuinitas Christi & eius humanitas, considerando personam, quæ honoratur: quæ una est in duabus naturis, diuina, & humana. Hac de causa, in capitulis quintæ Synodi sic legitur, Siquis duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est; talis, Anathema sit. Rursus in capitulis Cyrilli sic dicitur, Siquis audet dicere assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quasi alterum alteri, & non potius una

Magister. lib. 3. dist. 9. Gabriel lect. 50. litera D.

S. Tho. par. 3. quæst. 25. art. 1.

Terminus adorationis propriè.

Synod. 5.

In cap. Cyrill.

adoratione honorificat Emanuelem, secundum quòd factum est caro Verbum, Anathema sit. Consequenter procedendo, quia ut statim diximus & per se constat, honor adorationis propriè debetur hypostasi subsistenti, licet ratio honoris possit esse res non subsistens: fit ut adoratio humanitatis Christi si sic accipiatur seu intelligatur, ut sit eius sicut rei adoratæ, tunc ipsa humanitatis adoratio proculdubio est adoratio Latriæ. Nam sic adorare carnem Christi seu eius humanitatem, nihil est aliud, quàm adorare Verbum Dei incarnatum seu humanatum: sicut adorare uestem Regis, nihil aliud est, quàm adorare Regem uestitum. Non enim subsistit humanitas Christi per se, nec est persona, aut suppositum: sed est in persona seu supposito diuino Verbi Dei, & ab illo & in illo sustentatur. Si autem modo alio intelligatur adoratio humanitatis, idest, ut sit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum; sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio Latriæ, sed adoratio Duliæ, aut Hyperduliæ. Ita uidelicet ut una & eadem persona Christi adoretur adoratione Latriæ, propter suam diuinitatem: & adoratione Duliæ siue Hyperduliæ, propter perfectionem humanitatis. Nec hoc est inconueniens: quia ipsi Deo Patri debetur honor Latriæ propter deitatem, & honor Duliæ aut Hyperduliæ propter Dominium, quo gubernat creaturam. Vnde super illud Psalmi, Domine Deus meus in te speraui. dicit Glos. Dominus omnium per potentiam, cui debetur Dulia; Deus omnium per creationem, cui debetur Latria. Tam enim gubernare, quàm creare, prout est in Deo, est infinitum: quia uerò gubernare, est quodam modo communicabile; creare autem, non sic, uidetur Glos. fecisse hanc differentiam. Sed ad propositum redeamus. Humanitas Christi, est adoranda adoratione Latriæ, modo exposito. Ad hoc facit, quod Damascenus ait, Adoratur autem caro Christi incarnato Verbo Deo, non propter seipsam, sed propter unitum ei secundum hypostasim, Verbum Dei. Et super illud Psalmi, Adorate scabellum pedum eius. dicit Glos. Qui adorat corpus Christi, non terram intuetur, sed illum potius, cuius scabellum est, cuius

S. Tho. par. 3. quæst. 25. art. 2.

Qua adoratione adoretur humanitas Christi.

Gloss. psal. 7.

Damasc. lib. 3.

Gloss. psal.

in honore scabellum adorat. Sed Verbum incarnatum adoratur adoratione Latriæ. Ergo & corpus eius, siue eius humanitas, secundum prædictam considerationem. Damascenus iterum, Vnus est Christus, Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu sancto una adoratione cum immaculata eius carne.

Damasc. lib 3. de Orthod. fide. c. 8.

Vera sunt hæc omnia, neque potest homo Christianus dubitare de his, nisi prius ignoret Christi dignitatem & excellentiam, modum quo natura humana suppositatur in persona diuina Verbi diuini, & proprium terminum adorationis: sed sunt hæc uera communia, ut omnibus est manifestum. Nos autem particularius agentes, nunc dicimus, Christum in sacra Eucharistia esse adorandum: & iuxta hanc mentem diximus in hac conclusione quarta, adorandum esse corpus Christi in hoc diuino sacramento: Non enim est ibi corpus Christi solùm, sed corpus Christi, sanguis, anima, diuinitas: nec ibi corpus Christi subsistit per se, sed tota humanitas subsistit in persona diuina Verbi Dei. Sic ergo confitemur, Adorandus est Christus in sacramento Eucharistiæ. Qua ueneratione? Quo cultu? Ea ueneratione, eoque cultu, quo ipsum & nos adoramus, & sancti Angeli adorant, in cœlo sedentem à dextris Dei.

Christus est adorandus in sacramento Euchar.

Proba. 1. Hanc ueritatem probat primùm ipsa natura rei; & hoc nos docet lumen uultus Dei signatũ super nos omnes, ut Saluatorem nostrum uerum Deum, & uerum hominem adoremus, ubicunque sentimus aut credimus singularem eius familiaremque aliquam nobis ingestam præsentiam: id quod fecisse semper omnes sanctos, nullo modo dubitare ualeamus.

psal.

Proba. 2. Ad idem est diuina scriptura, dicens, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Ibi nanque adoratio præcipitur, tempus autem & locus, adorationi non taxantur, eo uidelicet, ut sciamus omnes, semper & ubique esse locum & tempus adorandi Deum, quemadmodum semper & ubique est tempus orandi ipsum. Oportet semper orare, & nunquam deficere. Profectò, qui non taxauit tempus aut locum, orationi; per idem nec taxauit tempus aut locum, adorationi. Cultus etiam interior, & interior adoratio, quæ uel maximè fit per actus seu exerci-

Deuter. 6. & 10. Matth. 4.

Matth.

tium uirtutum, fidei, spei, & charitatis, nullum locum habet, tempus aut horam, in quo non possit benefieri. Simili ergo modo & cultus exterior. Tertiò, quia de Saluatore nostro specialiter dicit Apostolus, Et cum introducit Primogenitum in Orbem terræ dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius. Atque de eius nomine glorioso, Dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine IESV, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ita Magi Christum uidentes, ipsumque recognoscentes, procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & mirrham. Sic & leprosus adorabat eum descendentem de monte, dicens, Domine, Si uis, potes me mundare. Sic & Princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens, Domine, filia mea modò defuncta est. Sic etiam acessit ad IESVM mater filiorum Zebedei cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Sic, undecim discipuli abierunt in Galileam, in montem, ubi constituerat illis IESVS; & uidentes eum adorauerunt. Quartò probat hanc ueritatẽ communissima & antiquissima totius Ecclesiæ consuetudo, tum apud Latinos, tum apud Græcos, quæ certè seruatur etiam & apud Aethiopes, & apud Armenos, & ubique per Christianum Orbem. Omnis Christiana natio, quæ per suos sacerdotes Missas celebrat, & hoc diuinum sacramentum conficit, illud iam confectum, populo adstanti ostendit; ut in memoriam reducat Christi eleuationem in cruce, ut in amorem eius pro nobis immolati inflammet, ut illum ibi præsentem colamus interius atque exterius, ut ipsum inuocemus, ut ipsum ueneremur.

Proba. 3. — *Hebr. 1.* — *Phil. 2.* — *Matth. 2.* — *Matth. 8.* — *Matth. 9.* — *Matt. 20.* — *Matt. 28.* — *Probat. 4.*

Eadem corporis Christi in sacratissima Eucharistia adoratio, sanctorũ Patrum, scriptorũq; testimoniis probatur. CAP. XV.



VErùm sanctos patres & probatæ fidei scriptores eadem de re loquentes audiamus. Dionysius Areopagita in De Ecclesiastica Hierarchia dicit, At uerò Pontifex cùm diuina munera laude prosequutus fuerit, sacrosan- *cap. 3.*

cta & augustissima mysteria conficit: & quæ ante laudauerat uenerandis operta signis, atque abdita, in conspectum agit, diuinaq; munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos ut communicent, hortatur. Ecce iam temporibus Dionysij, qui ipse discipulus Apostoli Pauli fuit, Pontifices celebrantes, post consecrationem & ante communionem, diuina munera reuerenter ostendebāt populo adstanti. Ad quid ostendebant? Vt populus uideret, ut interius crederet, speraret, diligeret, ut exterius adoraret; utque ad communionem excitaretur. Et notandum est, quòd, ut ait, Pontifex ostendebat reuerenter; quia ideò certè, ut reuerenter ostendens, populum ad reuerentiam prouocaret. Illa reuerentia erat ueneratio, illa adoratio. Optimè etiam diuinus ille Dionysius, ea signa, quibus operta erant diuina munera, appellat signa ueneranda: ut doceat nos non solùm res contentas, corpus & sanguinem Christi uenerari ibi debere, sed etiam signa ipsa seu sacramentales species. De hoc autem inferius dicuntur nonnulla.

cap. 4. Idem auctor ibi, ait, Quod Episcopus consecratū corpus in conspectum agit & ostendit, ut Patri uidelicet Filium præsentet, eiusque contemplatione populi sui misereatur.

Basilius Magnus.

cap. 27. Basilius Magnus in libro de Spiritu sancto, Si aggrederemur nos scripto proditas consuetudines, uelut non magnam uim habentes reiicere imprudentes, etiam ipsis principalibus Euangelij partibus damnum inferremus: immo potius ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus. Velut, uerbi gratia, ut eius, quod primùm & communissimum est, primam mentionē faciam, figura crucis signare eos, qui in nomen Domini nostri Iesv Christi spem habent, quis scripto docuit? Inuocationis uerba dum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis sanctorum, scripto nobis reliquit? Nō enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Euangelium mentionem facit: sed & ante, & postea alia quædam

Prædicationē Euāgelij ad nudū nomen contrahit, qui solam scripturā recipit, & cōsuetudines abiicit

dicimus, uelut magnum robur ad mysteria habentia, ex doctrina scripto non prodita, assumpta. Ecce dum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, uerba inuocationis dicimus in Ecclesia Dei: quam consuetudinem ponit Basilius quasi iam antiquam, & inter ea, quæ assumpta sunt ex doctrina scripto non prodita, magnum tamen robur habentia ad mysteria. Quo loco & quibus uerbis satis declarat, ab antiquissimis temporibus etiam ante ipsum, consuetudinē eam fuisse, ut sacra Eucharistia populo ostenderetur: & populus eo tempore suæ ostensionis uerba inuocationis diceret, quibus inuocaret. Inuocabat igitur. Ergo & orabat, & adorabat.

IACOBVS Apost.

Iacobus Apostolus Dionysio antiquior & præstantior, docens nos in Liturgia sua, quam reuerenter celebrationi Eucharistiæ adstare debemus, dicebat populo per Diaconum, Stemus honestè, stemus reuerenter, stemus cum timore Dei, & compunctione, attenti simus diuinæ oblationi, ut Deo pacem offeramus. *Idem appellabat hoc mysteriū, uerendum & incruentū sacrificium, ibid.*

AVGVSTINVS.

Augustinus in libro sententiarum Prosperi, In specie panis & uini, quam uidemus, res inuisibiles, idest, carnem & sanguinem Christi honoramus: nec similiter pendimus has duas species, sicut ante consecrationem pendebamus: cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & uinum, quod natura formauit; post consecrationem uerò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Ecce honoramus corpus & sanguinem Christi in sancto sacramēto Eucharistiæ. Quomodo honoramus? Credendo, sperando, diligendo, honoremque exhibendo: tum interius, tum exterius. Attendamus, quæso, quid sit honorare: & uidebimus sine dubio, Augustinum satis determinasse hanc quæstionē, ex consuetudine sui temporis. *De cōsecr. dist. 2. c. Nos autem. Mag. sent. lib. 4. dist. 10.*

Idem Augustinus, Fluctuans coniecto me ad Christum, *Psal. 98.*

quia ipsum quæro hîc; & inuenio quomodo sine impietate adoretur scabellum pedũ eius, suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & qui in ipsa carne hîc ambulauit & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est, quomodo adoretur scabellum pedum eius: & non solùm non peccamus adorando, sed peccamus non adorando. Profectò non possemus nos, etiam si uellemus, ab Augustino expetere determinationem expresſiorem.

Ioan. Chrysost.

Hom. 24. in c. 10. prioris Epistolæ.

Ioannes Chrysost. in commentariis suis super Apostolum ad Corinthios, exhortans nos ad Christi Saluatoris nostri adorationem in hoc diuino sacramento, inquit, calix benedictionis, cui benedicimus, non'ne communicatio sanguinis Christi est? Maximè his sibi uerbis & fidem facit, & horrorem. Eorum autẽ eiusmodi est sententia. Quod est in calice, idest, quod à latere fluxit, & illius sumus participes. Et panem, quem frangimus, non'ne communicatio corporis Christi est? Hoc corpus in præsepi ueriti sunt Magi, & uiri impij & Barbari longo itinere confecto, cum timore, & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur saltem Barbaros, nos, qui cœlorum ciues sumus. Illi enim cùm id præsepe & tugurium tantùm, neque eorum quidquam, quæ tu nunc intueris, uiderent, summa accesserunt reuerentia & horrore; tu uerò non in præsepi id, sed in altari, non mulierem, quæ in ulnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio uides. Hæc ille. Ecce exemplo Magorum, qui Christum in præsepe ipsi adorauerunt, debemus & nos adorare eundem Christum in sacramento Eucharistiæ.

Sanguis qui ex latere Christi fluxit in cruce, est nũc in calice.

Magorum exemplo, debemus adorare Christũ in sacramento.

Idẽ auct. Hom. 21. in Acta Apost.

Idem auctor secundum eandem Christianam doctrinã, & ad nostram bonam institutionem, dicit, Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei, cum tanto horrore adstant omnes: adstant illi clamantes

omnibus

omnibus silentibus, & putas temere hæc fieri? Contemplare, obsecro, adstat mensa regia, adsunt Angeli, mensæ huius ministri, adest rex ipse, & tu oscitans astas? Quemadmodum ad mensam accumbente hero, non licet iis, qui illum offenderunt inter ministros adesse, sed è medio abiguntur: ita & hoc loco, dum offertur oblatio, dum Christus atque Agnus ille dominicus immolatur. Quando audis, precemur pariter omnes, dum uides sublata uela, tum cogita cœlum ipsum sursum reserari. Idem auctor, Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium potestatum uniuersus ordo clamores excitat, & locus altari uicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet, uel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur. Ego uerò & commemorantem olim quendam audiui, quum diceret senē quendam, uirum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim uisione dignum habitum à Deo esse; ac per illud quidem tempus derepentè Angelorum multitudinem conspexisse, quatenus aspectus humanus ferre poterat, fulgentibus uestibus indutorum, altare ipsum circundantium: Denique sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente rege stantes uideat: id quod facilè mihi ipsi persuadeo.

Homil. in epist. ad Ephes.

In de Sacerdotio, lib. 6.

Angeli adstāt nostris sacris, Christum ueneretes, & adorātes.

IRENEVS, & Ep. Galli.

Ireneus & Episc. Galliæ in epistola ad Victorem, quam citat Eusebius, scribunt quòd, Romani Pontifices sui præcessores solent Episc. ecclesiarum, qui non ita sicut ipsi celebrant diem Paschæ, Eucharistiam transmittere in signum pacis & communionis. Vbi notat Beatus Rhenanus, quòd cùm Episc. aliquis Romā ueniret, Pontifex Romanus Eucharistiam hospiti solenniter transmittebat; & id forte, inquit, & à cæteris fiebat Episc. Ecce solenniter transmittebatur olim sacra Eucharistia Episc. & ea erat consuetudo sanctæ Ecclesiæ, etiam ante tempora Victoris, & Irenei. Solenniter dicitur, sic autem non dubium, quin reuerenter, uenerabiliter, honorabiliter, & cum adoratione.

CYPRIANVS.

Cyprianus in Serm. de lapsis, mulieris meminit, quæ in arca sacram Eucharistiam reposuerat: & quia indignis manibus eam tractauerat, quando arcam aperire tentauit, igne inde surgente, deterrita est, ne attingere auderet. Ecce Christus in Eucharistia uult tractari dignis manibus: eadem ratione ut constat, uult ibi tractari cum reuerentia, ueneratione, honore, atque adoratione.

CLEMENS Martyr.

De consecr. distin. 2. c. Tribus gradibus.

Clemens Petri Apostoli discipulus, & in Cathedra Apostolica successor, inter multa, quæ se à Beato Petro accepisse narrat, dicit se accepisse, quòd tribus gradibus commissa sunt sacramenta diuinorum secretorum: Presbytero, Diacono, & ministro, qui cum timore & tremore reliquias corporis Domini debent custodire fragmentorum, ne qua putredo in sacrario inueniatur. Ecce cum timore & tremore est sacra Eucharistia custodienda: per consequens & cum ueneratione atque reuerentia & adoratione est uidenda, & sumenda.

AMBROSIVS.

Ambrosius in prima precatione præparante ad Missam. Summe sacerdos & uere Pontifex IESV Christe, qui te obtulisti Deo Patri in ara crucis hostiam puram & immaculatam pro nobis miseris peccatoribus, & qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem tuum ad bibendum, & posuisti mysterium in uirtute Spiritus sancti, dicens, Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis; rogo per tuum sanguinem preciosum, magnum salutis nostræ precium; Rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, &c. Infra, Quanta enim Domine IESV Christe cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis castitate,

Ibid. paulò post.

& animi puritate illud diuinum & cœleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in ueritate sumitur, ubi sanguis tuus in ueritate bibitur, ubi summa imis iunguntur, ubi adest præsentia sanctorum Angelorum, ubi tu es sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter constitutus? Infrà, Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi peccatori hoc cœleste sacrificiũ celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali & cœlesti gaudio. Hæc ille. Ecce cum reuerentia, timore, & tremore celebrandum est hoc mysterium: sic etiam tractandum, sic & manducandum. Non sunt auté ista, sine honoratione & adoratione.

Ibid. paulò pòst.

Concilium Viennense.

Viennen. generale Concilium arguit & damnat eos, qui in eleuatione corporis Christi nolebant assurgere, & reuerentiam ei exhibere. Mandatque ut celebretur festum corporis & sanguinis Christi.

In Clemẽ. Ad nostrũ. De hæreti. Clemẽ. unica. De reliquiis & uener. Sanctorum. De celebra. Miss. c. Sanè.

HONORIUS III.

Honorius III. mandat, præcipitque, ut Eucharistia in loco aliquo ad hoc destinato & mundo honorificè reponatur, ac per fideles & pios custodiatur. Sacerdos uerò frequenter plebem doceat, ut cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet, atque idem faciat cum defertur ad infirmum. Voluit etiam luminaria semper Eucharistiæ præferri, ad significandam præsentiam Lucis æternæ.

Schola Christiana tota simul, hanc eandem profitetur ueritatem, Magister sententiarum, Alexander de Ales, S. Thomas, Scotus, Durandus à Sancto Portiano, Gabriel Biel, & denique quotquot sunt aut fuerũt doctores scholastici, sancti aut Catholici.

Magister Sentent.

lib. 4. dist. 10. Magister Sententiarum cum multis id agat, ut ostendat existentiam Christi in hoc sacramento quoad eius adorationem, ita dicit cum Augustino, In specie panis & uini, quam uidemus, res inuisibiles, idest, carnem & sanguinem, honoramus. Nec similiter pendimus has duas species, sicut ante consecrationem pendebamus: cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & uinum, quod natura formauit: post consecrationem uerò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Ecce in specie panis & uini, quam uidemus, carnem & sanguinem Christi honoramus, ut inquit Magister. Quid est honoramus? honorem impendimus.

S. THOMAS.

par. 3. quæst. 75. art. 2. S. Thomas fatetur nos adorare hoc sacramentum, immo potius Christum in illo adoratione Latriæ. Qui cum ex multis ostendat, quòd in hoc sacramento non remaneat substantia panis & uini post consecrationem, speciali quadam ratione id probat, dicens, Quia contrariatur uenerationi huius sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione Latriæ adorari. Ecce ex adoratione, qua omnes communiter & à tempore antiquissimo in Ecclesia Dei adoramus hoc diuinum sacramentum uel potius Christum in illo, ostendit S. Thomas non remanere substantiam panis & uini in hoc sacramento post consecrationem.

SCOTUS.

lib. 4. dist. 11. quæst. 3. Scotus eodem modo docet, quòd Christo in sacramento debetur cultus Latriæ. Vidensque hanc esse communissimam & antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, quam obseruant & simplices, qui non sciunt distinguere sacramentum continens, à re contenta, & scientes, qui bene di-

ſtingunt: ſaluat ipſos ſimplices ab idololatria, ex eo, quòd adorant in fide Eccleſiæ, & hoc ſufficit eis ad ſalutem.

GVILELMVS Ockam.

Guilelmus Ockam manifeſtè etiã aſſerit, Chriſto in Euchariſtia deberi cultum Latriæ: atque ex hoc fundamento, deducit aduerſus eos, qui dicunt, poſt conſecrationẽm manere in ſacramento ſubſtantiam panis aut uini. Agit autem aduerſus eos, in multis locis; ut lib. 4. in hac materia, quæſt. 3. in ſolutione ſeptimi dubij. Idem in Quoli. 4. quæſt. 35. Et in tractatu huius materiæ, cap. 5. Poteſt uideri hac de re in his locis. *in multis locis.*

GABRIEL Biel.

Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ, de diuiniſsimi ſacramenti Euchariſtiæ ueneratione ſeu cultu uolens docere, hoc propoſuit exordium, Quia autem ex prædictorum omnium inueſtigatione ſufficienter patuit, in hoc ſacramento Chriſtum contineri & quoad corpus & animam, ineffabilemque deitatem; reſtat pro complemento illius quarti membri inquirere, Quo cultu, qua'ue adoratione diuiniſsimum illud ſacramentũ tam à ſacerdote celebrante, quàm à circuſtantibus debeat uenerari? Adhoc enim ſtatim facta conſecratione reuerenter in altum fert hoſtiã, ipſam populo oſtendens, quatenus uiſa Euchariſtia ab hominibus ſuppliciter adoretur. Hæc ille. Deinde aduertit, quòd communiter ponuntur tres ſpecies adorationis largè acceptæ, ſiue uenerationis, quæ Græcis frequenter nominantur uocabulis: ſcilicet theoſebia ſiue Latria, Dulia, Hyperdulia. Declarat, Latriam, eſſe interiorem per actus internos, fidei, ſpei, charitatis, & Latriam etiam eſſe exteriorem per actus externos ſenſibiles in proteſtationem Latriæ interioris, ſeu interiorem Latriam proteſtantes. Sunt hi actus, ſicut bene declarat, ritus quidam, qui ſecundum Chriſtianæ religionis pietatem obſeruantur; ut oblatio ſacrificij, laudum & canticorum uocalis prolatio, manuum

lect. 49. *Tres ſunt ſpecies adorationis.* *Latria, Dulia, Hyperdulia.*

compositio aut extensio, pectoris tunsio, capitis nudatio, genuum inflexio, corporis totius prostratio, & similia. Dicit itaque idem auctor multa, & ualde notanda, lectione 49. & lectione 50.

BESSARION.

Bessarion Episc. Tusculanus in eo suo opere, in quo satis probauit hoc diuinũ sacramentum confici his uerbis Domini, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, &c. hanc ueritatem confitetur; asserens hæc diuina post consecrationem ostendi, ut Christus ibi existens, adoretur. Habetur illud opus huius auctoris in lib. Liturgiarum.

Facultas Theol. Louan.

Art. 14. Facultas Theologica uniuersitatis Louaniensis in suis articulis secundum hanc ueritatem ita determinauit, In Eucharistia non manent panis & uinum, sed hæc in corpus & sanguinem Christi mirabili potentia Verbi ipsius sunt conuersa, manentibus tantùm panis uinique speciebus. Vnde certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sanctè à nobis adorari, siue in Missa, siue extra Missam, ubicunque reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis à sacerdote circumfertur.

RVARDVS Tap.

Art. 14. Ruardus Tapper in sua explicatione prædictorum articulorum dictæ uniuersitatis, circa hunc articulum statim recitatum, tenet hanc ueritatem, & pro illa adducit multa, quæ facilè uideri possunt, apud ipsum. Inter alia sic ait, Atque perpetuo suo usu testatur tota Ecclesia catholica, Dominum suum sic esse adorandum, ubicunque eum nouit esse præsentem. Et naturale lumen rationis hoc docet, quòd Dominum ad nos uenientem, ut patrocinetur necessitatibus nostris, agnoscamus, & ueneremur eo honore, quo dignus est. Itaque conclusio sua est, uera & ca-

tholica, Hoc interim certissimum est, & certa fide credendum, quòd in sacrosancta Eucharistia Christus eadem ueneratione & cultu sit adorandus, quò & nos & sancti Angeli ipsum à dextris Patris in cœlo sedentem adorant.

IOAN. Eckius.

Ioannes Eckius, uir doctissimus, piusque & uerè Christianus, cùm iam multa dixisset ad istam ueritatem catholicam, ita tandem concludit suam de hac re orationem, Nec hîc quoque, inquit, in immensum nostra crescat oratio, impium est, inhumanum & à Christiano homine alienissimum, scripturis omnibus & ipsi etiam rationi contrarium, credere Dminum IESVM esse in hoc sacramento, neque tamen uelle honorem illi debitum impendere, nolle adorare, quod isti faciunt NeoChristiani: qui superiores se putant, quàm ut in honorem sacramenti caput aperiant, sese inclinent, genua flectant. Turpe est dicere quòd ferunt eos etiam sacramentum in marsupio circumferre: quæ, quis non auersetur, exhorrescat, abominetur? Quũ interim omnis scriptura clamet, nosque clamando iubeat adorare Dominum: cur non eum etiam isti sub sacramento uelatum adorant? Idem enim ille Christus, qui sedet in cœlis ad dexteram Dei Patris, hic in sacramento latet: quapropter diuinus honor & cultus Latriæ ei impendendus est, non minus quàm Deo Patri. Hæc ille. Homi. 31. tom. 4.

STANISLAVS Hosius.

Stanislaus Hosius, Episcopus Varmien. Cardinalis meritissimus, in sua confessione, seu potius explicatione catholicæ fidei, secundum hanc ueritatem ita bene dixit, Quamobrem rectè populum institutum fuisse uidemus à maioribus nostris, cum Eucharistiã sacerdos eleuat, quod est sacrificij signum (nam & in lege quæcunque sacrificabantur, eleuari consueuisse, docemur ex Leuitico) ut in genua procidentes, Christum in Eucharistia præsentẽ adorent: simul in memoriã redeant illius sacrificij, quo ille in crucem sublatus, se pro nobis hostiã obtulit Deo. Hæc ille. cap. 41.

Sacratißimæ Eucharistiæ sacramentum, quo pacto Christi imago sit: de imaginum adoratione, & reliquiarum ueneratione. CAP. XVI.

Sacramentum Eucharistiæ, est imago Christi.



Accedit his, quòd hoc nostrum diuinum sacramentum Eucharistiæ, symbolum est, signum, & imago Saluatoris nostri pro nobis passi, ut constat ex iam dictis, & præsertim ex sacro concilio Nicæno ad secundam conclusionem de nostra cœna dominica allegato: nec solùm imago Christi est, eius significatiua, quin potius & imago Christi est, eius contentiua, ut etiam ad eandem conclusionem fuit ostensum, per diuinas scripturas & sanctos patres. Figura, inquam, & imago Christi, non ut olim petra deserti, Serpens æneus, aut manna: sed multum expreßior, multum excellentior. Vt hæc nostra imago, seu figura Christi, excedat illas Christi figuras antiquas, tum in expreßiore repræsentatione, quia expreßius nobis Christum significat: tum in continentia, quia ipsum eundem Christum realiter continet. Hæc ideo modò adnotauimus, ut sciamus omnes eos patres ad hanc ueritatem adorationis sacræ Eucharistiæ nostræ, seu Christi in ea, locutos fuisse, quotquot dixerunt unquam, imagines Christi & sanctorum, eorumq; reliquias adorandas seu uenerandas esse. Non quòd rebus irrationabilibus aut insensibilibus debeamus aliquam adorationem per se, cùm illæ ex natura rei sint nobis inferiores, & non habeant in se aliquid diuinum, ut uirtutem, potestatem, aut excellentiam aliquam singularem à Deo participatam, suis naturis superadditam; sed quia imagines & reliquiæ huiusmodi uenerandæ quidem sunt per accidens & propter aliud, idest, quia habent aliquem ordinem repræsentationis, continentiæ, coniunctionis, aut alterius huiusmodi habitudinis, ad ea, quæ sunt per se adoranda propter aliquam excellentiam, uirtutis, aut potestatis, aut eiusmodi. Et quia adoratio non conuenit illis rebus insensibilibus tanquam obiectis, actum adorationis terminantibus, sed

Adoratio imaginũ.

Gabriel super canonẽ Missæ. lect. 49. lit. P. Q.

quasi

quaſi mediis, per quæ adoratio terminatur ad obiecta per ſe & principalia; ideò eorum adoratio eiſdem nominibus nominatur, & ad eaſdem ſpecies reducitur adorationis, quæ ſunt principalium obiectorum, propter quæ aut imagines aut reliquiæ uenerātur. Verbi gratia, ut imago Chriſti adoretur adoratione Latriæ, qua adoratur ipſe Chriſtus; imago Beatiſsimæ Virginis adoretur adoratione Hyperduliæ: & imago Beati Petri adoretur adoratione Duliæ; quia talibus uenerationibus uenerarемur ipſas res, ſi eas præſentes in ſeipſis uideremus. Per hoc autem iam ſatis conſtare exiſtimamus, quòd adoratio non cõuenit uniuocè rebus ipſis, & ſuis imaginibus aut reliquiis: quin potius ipſis rebus conuenit per ſe, ſuis autem imaginibus aut reliquiis conuenit analogicè, ſiue per analogiam ad res ipſas. Sicut generaliter dicimus de ſanitate, quòd alicui conuenit per ſe, alicui uerò non niſi analogicè.

BASILIVS.

Baſilius Magnus fatetur palàm adorationem imaginum, ſed ordinando modum, quo eas adoramus, dicit, Honor imaginis ad prothotypum peruenit, ideſt, exemplar. Eſt enim prothotypon, prima forma, ſeu forma exemplaris, ad quam facta eſt imago.

DAMASCENVS.

Damaſcenus ſecundum eandem ueritatem, ita docet, Honor, qui exhibetur imagini, refertur ad illud, cuius eſt imago. Idem auctor, Quia non omnes noſcunt literas, neque lectioni uacant, patres excogitauerunt uelut quoſdam triumphos in imaginibus hoc deſcribere, ad uelocem memoriam. Quapropter multotiens non ſecundum mentem habentes Domini paſsionem, imaginem crucifixionis Chriſti uidentes, & in ſalutaris paſsionis memoriam uenientes, procidentes adoramus Chriſtum. lib. 4. lib. eod.

Synodus Constantinop.

Constantinopolitana Synodus in quodam suo decreto, sic habet, Sacratam imaginem Domini nostri IESV Christi & omnium liberatoris & Saluatoris, æquo honore cum libro Euangeliorum sanctorum adorari decreuimus. Infrà, Siquis ergo non adorat Iconam Saluatoris Christi, non uideat formam eius quando ueniet in gloria paterna glorificari & glorificare sanctos suos; sed alienus sit à communione ipsius, & claritate.

EVSEBIVS.

lib. 7. cap. 14. Eusebius manifestè agit de imagine Saluatoris nostri, apud quem reperimus, quòd, Mulier in Euangelio sanguinis profluuio liberata formauit statuam Domini nostri IESV fusilem, quam postea Iulianus Cæsar, apostata, apud Cæsaream deiecit, locoque illius, sui ipsius statuam collocauit, quæ cœlitus à Deo contrita est. Postea uerò Christiani, partes statuæ Christi colligentes, in Ecclesia recondiderũt, ubi hactenus reseruatur; quæ sicut refert idem Eusebius, omnium pasſionum & ægritudinum noscitur esse medicamentum. Ad quod etiam potest uideri historia Tripartita. Vnde mos fuit antiquis, ab ipsis Apostolorum temporibus, ad nos uidelicet custoditus, seruari imaginem Domini nostri IESV Christi, & certis in locis permanere; quum uideamus etiam nunc, dicit Eusebius, ipsius Saluatoris, Apostolorum & Pauli designari, tabulisque depingi.

Tripart. historia. lib. 6. cap. 41.

GREGORIVS.

De cõsecr. dist. 3. Perlatum. Grogorius, Illum in toto corde diligis, cuius imaginem præ oculis habere desideras. Qui auctor Sereno Episcopo Masſiliensi scribens, satis explicat modum, quo imagines Saluatoris nostri & sanctorum adoramus, adorareq; debemus. Aliud est enim picturam adorare, aliud per pi-

cturæ historiam, quid sit adorandũ addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc & idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa, ignorantes uident, quod sequi debeant. In ipsa legunt, qui literas nesciunt. Vnde & præcipuè gentibus, ideſt, laicis, pro lectione pictura eſt.

ROBERTVS Holckot.

Robertus Holckot circa illud Sapien. Infœlices sunt, & inter mortuos eſt spes illorum, qui appallauerunt Deos suos opera manuum suarum, ita dicit, Non uideo esse benedictum quòd eodem honore honoretur Deus, & imago eius. Sed mihi uidetur dicendum, quòd neque adoro imaginem Christi, quia lignum, nec quia imago; sed adoro Christum corã imagine Christi; quia scilicet imago Christi excitat me ad amandum Christum. Voluit igitur Holckot imagines, & docuit nos coram illis debere adorare eas res, quarum sunt imagines: quia nos in memoriam illarum rerum excitant, & in amorem inducunt, atque reuerentiam. Vnde & uenerationem imaginum concedit, eo modo; quia nos in memoriam sanctarum rerum inducunt, quia coram ipsis res sanctas adoramus. Concederet etiam esse benedictũ quòd eodem honore honoretur Deus, & imago eius; si animaduertisset analogiam paulò ante positam, de qua modò satis.

AVGVSTINVS.

Augustinus in De uisitatione infirmorum, de imagine Christi ait, Hanc complectere humiliter, uenerare suppliciter, cum hæc ad memoriam tibi reducat Crucifixum. Ecce unde habet imaginem Christi, quòd eam ueneremur, & complectamur, & adoremus: quia uidelicet habet ordinem siue habitudinẽ ad Christum, per repræsentationẽ. *De uisitatione infirmorum.*

Quia igitur nostrum diuinum sacramentum Eucharistiæ, eſt imago Christi, ipsiusque repræsentatiua: constat illud esse uenerandum & adorandum, saltẽ secundum eam communem rationem, quã sancta Ecclesia Dei semper re-

cognouit uenerandam, honorandam, adorandamque esse suo modo Christi imaginem. Non est hoc sacramentum imago Christi, sicut imago picta, uel sculpta secundum similem protractionem & figurationem membrorum Christi, siue in ea figura in qua natus est, siue in qua prædicauit, siue qua crucifixus in ligno pependit. Est tamen hoc sacramentum imago Christi, modo quodam altissimo: ex diuina uidelicet institutione, qua ipse Christus substantiam panis & uini, in substantiam corporis & sanguinis conuertit, suum corpus, suum sanguinem sub speciebus panis & uini per conuersionem posuit, & tandem dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde quidem uim habet repræsentatiuam Christi, nec solùm repræsentatiuam, sed & contentiuam: secundum quòd Christus uerè dixit, & nos in persona illius uerè dicimus, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, &c. Hinc est, quòd Apostolus Paulus propter hanc institutionem ac repræsentationem huius sacramenti, ait, Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec ueniat. Secundum quem etiam alibi, Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Nunquid idem de Euangelio? Absit. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Habetque ipsarum rerum imaginem. Patres igitur, qui dicunt uenerandam esse Christi imaginem, idem profectò intelligunt de hoc diuino sacramento; nisi quòd huic sacramento hoc magis conuenit, quia & Christum significat atque repræsentat, & ipsum Christum realiter continet, quod nulla alia habet Christi imago.

Hoc sacramentũ non est imago Christi sicut picta.
Hoc sacramẽtum est imago ex institutione Christi.
Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.
1. Cor. 11.
Hebr. 10.
Rom. 1.

Synodus VI. Constantinop.

Sexta Synodus uniuersalis Constantinopoli congregata est, & Græco sermone temporibus Papæ Agathonis, exequente piissimo principe Constantino intra palatium suũ, simulque legatis Apostolicæ Sedis, Episcopis centum quinquaginta residentibus. Ex ea autem sexta Synodo sic habemus, Venerabiles imagines, Christiani non deos appel-

Beda in libro de tempore. dist. 16. can. 9.

lant, neque seruiunt eis ut diis, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis expectant futurum iudicium: sed ad memoriam & recordationem primitiuorum, uenerantur eas & adorant. De cõsecr. dist. 3. c. Venerabiles imagines. 4 can. 27.

HIERONYMVS.

Hieronymus probat esse sanctorum reliquias uenerabiliter honorandas, contra Vigilantium, qui cultum reliquiarum sanctorum reprobabat. Reliquiæ autem eiusmodi Christi Saluatoris nostri aut sanctorum eius, si bene aduertimus antiquissimos sanctæ matris Ecclesiæ mores, doctrinas sanctissimorum doctorum antiquorum, & miracula diuinitus facta, sunt eæ res, quæ habuerunt aliquam specialem coniunctionem Christo aut sanctis suis, seu specialem habitudinem. Velut carnes, ossa, pulueres in quos resoluta sunt sanctorum corpora: atque etiam ut arma triumphalia, sicut crux Christi, claui, lancea, corona, flagella, columna, uestes, sepulchra, & alia similia ad usum Christi aut sanctorum eius pertinentia. Omnes autem, qui credimus Christum præsentialiter adesse in hoc diuino sacramento, uidemus statim mentis nostræ oculis hoc nobilissimum sacramentum habere quandam specialem coniunctionem seu habitudinem ad ipsum Christum, quem modo altissimo continet, nostræ iustificationis ac salutis mysteria operantem. Qui ergo senserunt uenerandas adorandasque suo modo esse reliquias Christi & sanctorum, propter specialem coniunctionem seu habitudinem prædictam: absque dubio, idem de hoc diuino sacramento crediderunt; eo uidelicet, quòd ad Christũ habet altissimam & excellentissimam habitudinem continentiæ. Idcirco diuum Hieronymum adducimus, uenerationem reliquiarum profitentem. Idem Hieronymus manifestè ad Theophilum Alexandrinum Episcopum, in epistola libris eius Paschalibus annexa. Verba ipsius ponuntur paulò pòst.

Contra Vigilantium.

Gabriel super canonẽ Missæ. lect. 50.

Idẽ auct.

ALEXAND. III. & INNOC. III.

Extra de reliquiis & ueneratione sanc. Alexander III. & Innocentius III. in Concilio generali, de reliquiis & ueneratione sanctorum tradiderunt, modum adhibentes, quo reliquiæ huiusmodi uenerarentur debitè: ne fieret error, ne fieret deceptio. Nouerat enim Innocentius; nouerat & generale concilium, nonnullos ad ecclesias accedere, causa uenerandi reliquias: qui mos fuit semper in Ecclesia Dei, ut & antiqua facta, & antiqua scripta testantur.

TERTVLLIANVS.

Tertullianus non obscurè ostendit in quanta reuerentia hoc diuinum sacramentum olim haberetur apud fideles, & ueneratione. Dicit enim ad uxorem, Lib. 2. Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes. Ecce quòd licet tunc consuetudo esset apud nonnullos, ut Laici in manus acciperent Eucharistiam & domum portarent: eam tamen non ut communem cibum, sed ieiuni, & sic, reuerenter manducarent. Idem in De corona militis, Idē auct. Eucharistiæ sacramentum, & in tempore uictus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium accipimus. Infrà, Eadem immunitate à die Paschæ, usque in Pentecosten gaudemus: calicis etiam aut panis nostri aliud decuti in terram anxiè patimur. Ecce qua reuerentia & ueneratione, & quo honore Christiani, olim tempore Tertulliani, hoc diuinum sacramentum prosequebantur, ut illud non nisi ieiuni sumerent, ut si aliquid eius in terram decuti contingeret, anxiè paterentur. Profectò ueneratio ibi erat, reuerentia non parua, & quædam adoratio.

DIONYSIVS Areop.

Dionysius Areopagita præter ea, quæ ab ipso iam adduximus, dicit etiam in De ecclesiastica Hierarchia, agens

de hac nostra diuina cœna, Sacrosancta & augustissima mysteria, Venerandissima mysteria, Cœleste mysterium, Sanctæ mysteriorum consecrationes. Oblatio sanctissimi sacrificij. Ecce sunt nostra hæc sacramenta, cœleste mysterium, mysteria uenerandissima. Si uenerandissima, ergo, & suo modo adoranda. *In epist. ad Demophilum.*

CONSTANT. Magnus.

Constantinus Magnus in epistola ad Episc. Tiri collectos, ait, Sancta debitis offerre mysteria. Ecce de his sacramentis agebat, eaque sancta appellabat. Non est dubium, quin ea adoranda iudicaret, eo modo, quo confitebatur ea sancta. Sanctum enim in eo quod sanctum, est suo modo uenerandum. Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. Ecce ibi terræ quodam modo ueneratio, propter terræ sanctitatem.

EVSEBIVS Pam.

Eusebius Pamphili in De demonstrantione Euangelica, Horrorem affenrentia mensæ Christi sacrificia. Deo plenum, & horrorem afferens, & sacrosanctum sacrificium. Ecce hæc sacrificia sunt Deo plena, & horrorem afferentia. Ergo eisdem de causis sunt ueneranda. *lib. 1. cap. 10.*

IOAN. Chrysost.

Ioannes Chrysostomus etiam præter ea, quæ ex ipso iam adduximus, homilia 21. in Acta Apostolorum, & homilia 41. in primam epistolam ad Corin. & homilia 18. in eandem epistolam, & sermone tertio in epistolam ad Philip. & lib. tertio de sacerdotio, & homilia 6. ad Anthiochenses, multis nominibus explicat huius nostræ cœnæ excellentiam, atque ei debitam uenerationem: interque, hæc sunt, Mortis Christi celebratio, Horrendum sacrificiũ, Ineffabilia sacramenta, Sacra mysteria, Horrenda mysteria, Horrendissima mysteria, Celebratio uenerandum *in multis locis.*

dorum mysteriorum, Mysterium omnium maximè horrendum, uerendumque, Tremenda mysteria, Tremendum sacrificium. Ecce hæc sacramenta sunt ineffabilia, horrenda, horrendissima, omnium maximè horrenda, uerenda, tremenda, ueneranda. Non potuit Chrysostomus loqui aut abundantius, aut manifestius, ad istam ueritatem.

THEODORETVS.

In Exodo. In religiosa hist. cap. 20. Theodoretus ad idē, Sacrificatio Agni dominici, Oblatio spiritalis & mystici sacrificij, Oblatio diuini doni, Oblatio diuini mystici & salutaris sacrificij. An huic tantæ rei non debetur ueneratio? Absit. Est ibi Agnus Dei, est diuinum donum, est spiritale & salutare sacrificium: & per consequens ineuitabile, est etiā aliquid ualde uenerādū.

CYRILLVS.

Contra Nestorium. Epist. 1. Cyrillus contra Nestorium appellauit nostram sacram Eucharistiam, sanctum ac uiuificum & incruentum sacrificium: quia secundum suam doctrinam in eo loco, nostrū hoc sacramentum seu eius celebratio, est sancti ac uiuifici & incruenti operatio sacrificij. Quod autem aliquo modo est sanctum, eo modo absque dubio est uenerandum.

IOAN. Damascenus.

Ioannes Damascenus in uita Sancti Balaami, Tremendum & impollutum uitaleque sacramentum, Incruentum sacrificium. Ecce est sacramentum & sacrificium, uitale, impollutum, tremendum. Qui tremendum dicit, reuerendum & uenerandum confitetur.

ANACLETVS.

Anacletus Papa antiquissimus, ostendens quanta cum reuerentia ministri Episcopi celebrantis adstare debeant, dicit, corde contrito & humiliato spiritu, ac prono stent

uultu,

uultu, custodientes eum, &c. Ecce qualem reuerentiam & deuotionem requirit in ministris adstantibus.

HIERONYMVS.

Hieronymus in epistola ad Theophilum Alexandrinum Episcopum, Discant qui ignorant, eruditi testimoniis scripturarum, qua debeant ueneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrosque calices & sancta uelamina, &c. quæ ad cultum dominicæ passionis pertinent, non quasi inanima & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini eadem, qua corpus eius & sanguis, maiestate ueneranda. *Epistola, libri eius Paschalibus annexa est.*

Libet nunc ponere catalogum patrum & doctorum antiquorum, recentiumque, conciliorum etiam & uniuersitatum, in quibus reperitur nostram sacram Eucharistiam seu cœnam dominicam, esse uenerandam, reuerendam, honorandam, horrendam, tremendam, seu adorandam.

IACOBVS Apostolus.
Dionysius Areopagita Martyr.
Basilius Magnus.
Augustinus.
Ioannes Chrysostomus.
Ireneus & Episcopi Galliæ.
Cyprianus.
Clemens Petri discipulus.
Ambrosius.
Viennense generale concilium.
Magister sententiarum.
Sanctus Thomas.
Scotus.
Guilelmus Ockam.
Gabriel Biel.
Bessarion Cardinalis.
Facultas Theologica uniuersitatis Louaniensis.
Ruardus Tapper.

dorum mysteriorum, Mysterium omnium maximè horrendum, uerendumque, Tremenda mysteria, Tremendum sacrificium. Ecce hæc sacramenta sunt ineffabilia, horrenda, horrendissima, omnium maximè horrenda, uerenda, tremenda, ueneranda. Non potuit Chrysostomus loqui aut abundantius, aut manifestius, ad istam ueritatem.

THEODORETVS.

In Exodo. In religiosa hist. cap. 20.

Theodoretus ad idē, Sacrificatio Agni dominici, Oblatio spiritalis & mystici sacrificij, Oblatio diuini doni, Oblatio diuini mystici & salutaris sacrificij. An huic tantæ rei non debetur ueneratio? Absit. Est ibi Agnus Dei, est diuinum donum, est spiritale & salutare sacrificium: & per consequens ineuitabile, est etiā aliquid ualde uenerādū.

CYRILLVS.

Contra Nestorium. Epist. 1.

Cyrillus contra Nestorium appellauit nostram sacram Eucharistiam, sanctum ac uiuificum & incruentum sacrificium: quia secundum suam doctrinam in eo loco, nostrū hoc sacramentum seu eius celebratio, est sancti ac uiuifici & incruenti operatio sacrificij. Quod autem aliquo modo est sanctum, eo modo absque dubio est uenerandum.

IOAN. Damascenus.

Ioannes Damascenus in uita Sancti Balaami, Tremendum & impollutum uitaleque sacramentum, Incruentum sacrificium. Ecce est sacramentum & sacrificium, uitale, impollutum, tremendum. Qui tremendum dicit, reuerendum & uenerandum confitetur.

ANACLETVS.

Anacletus Papa antiquissimus, ostendens quanta cum reuerentia ministri Episcopi celebrantis adstare debeant, dicit, corde contrito & humiliato spiritu, ac prono stent

uultu,

uultu, custodientes eum, &c. Ecce qualem reuerentiam & deuotionem requirit in ministris adstantibus.

HIERONYMUS.

Hieronymus in epistola ad Theophilum Alexandrinum Episcopum, Discant qui ignorant, eruditi testimoniis scripturarum, qua debeant ueneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrosque calices & sancta uelamina, &c. quae ad cultum dominicae passionis pertinent, non quasi inanima & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini eadem, qua corpus eius & sanguis, maiestate ueneranda. *Epistola, libris eius Paschalibus annexa est.*

Libet nunc ponere catalogum patrum & doctorum antiquorum, recentiumque, conciliorum etiam & uniuersitatum, in quibus reperitur nostram sacram Eucharistiam seu coenam dominicam, esse uenerandam, reuerendam, honorandam, horrendam, tremendam, seu adorandam.

IACOBVS Apostolus.
Dionysius Areopagita Martyr.
Basilius Magnus.
Augustinus.
Ioannes Chrysostomus.
Ireneus & Episcopi Galliae.
Cyprianus.
Clemens Petri discipulus.
Ambrosius.
Viennense generale concilium.
Magister sententiarum.
Sanctus Thomas.
Scotus.
Guilelmus Ockam.
Gabriel Biel.
Bessarion Cardinalis.
Facultas Theologica uniuersitatis Louaniensis.
Ruardus Tapper.

Ioannes Eckius.
Stanislaus Hosius.
Damascenus.
Constantinopolitana Synodus.
Eusebius.
Gregorius.
Robertus Holckot.
Sexta Synodus.
Hieronymus.
Alexander III.
Innocentius III.
Tertullianus.
Constantinus magnus.
Theodoritus.
Cyrillus.
Damascenus.
Anacletus.

Duplicem esse adorationem, & utraque sacratissimam Eucharistiam, quòd Christi corpus uerè contineat, adorandam esse, demonstratur. Ponitur aduersariorum obiectio, eaque statim refellitur. CAP. XVII.

1. Cor. 11.



D hanc ueritatem satis manifestè est Apostolus Paulus, in eo, quòd de hac nostra cœna dominica agens, nullo modo permittit hominem aliquem ad eam accedere de ea sumpturum, nisi se prius probauerit, qui se prius iudicauerit, & qui in ea diiudicet corpus Domini. Itaque quicunque manducauerit panem, uel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideo inter nos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur. Ecce quàm ordinatum & quàm reuerentem interius requirit hominem

ad hanc sacram cœnam accessurum : ea enim, quæ requirit, certè sunt sanctitatis interioris, interioris cultus, & interioris reuerentiæ, ut constat omnibus sapientibus. Duo enim ego hîc considero, quæ mihi uidentur ab omnibus consideranda; Alterum, quòd non sic interius compositi tenemur accedere ad aliam mensam, ad aliam cœnam, ad alios cibos communes, seu prophanos: quia non sic probati, non sic examinati, non sic diiudicati. Alterum, quòd hæc interior compositio, ad interiorem adorationem seu reuentiam aut honorationem pertinet, & quædam interior est adoratio, reuerentia, honoratio, seu honorificatio, aut cultus Dei: quia hæc interior compositio, per probationem, examinationem, discussionem, & diiudicationem nostri, est quædam nostra humiliatio coram Deo & donis suis, & multa habet, quæ non possunt ad Dei cultum & adorationem non pertinere, ut fidem, spem, charitatem, & alia. Tenemur ergo accedere cum adoratione interiori. Igitur si aduertimus, etiam cum exteriori. Quandoquidem externa adoratio ab interiori habet originem, illamque significat, & quodam modo adorationem nostram erga Deum complet: utpote quòd cùm ex corpore & anima compositi simus, & singuli duos homines, interiorem uidelicet & exteriorem habeamus, non intelligimur plenè adorare Deum, nisi illum in utroque nostro homine, idest, interiore & exteriore adoremus, ueneremur, aut honóremus. Veri adoratores adorabunt Patrē in spiritu & ueritate, & tales adoratores quærit Deus, qui illum in spiritu adorent, quia ipse Spiritus est. Sed hæc interior adoratio non excludit, nec damnat, nec contemnit adorationem Dei exteriorem, immo eam parit, suis temporibus & locis: unde duæ ex adorationes Dei, seu duo ij modi adorandi Deum, interior & exterior, interius & exterius, reperiuntur passim in diuinis scripturis. Habet adoratio interior suos actus, quibus exercetur, per fidem, spem, charitatem, & alias uirtutes: habetque similiter & adoratio exterior actus suos, ut capitis discoopertionem, manuum eleuationem, pectoris percussionem, genuflexionem, totius corporis prostrationem. Apostolus ergo

Ioan. 4.

requirit huius sacramenti uenerationem. Eodé pertinet quòd ipse non permittit ut ecclesias Dei materiales contẽnamus, aut ut tanquã prophanas domos tractemus, ut con-
1. Cor. 10. stat ad Corin. Nũquid domos non habetis ad manducandũ aut bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis. Quantũ ergo magis uult, ut hanc cœnam dominicam tractemus non ut prophanam, sed ut sacram, ut diuinam, cum uenerατione? Est enim sanctitas in ea, immo est in ea realiter totus Christus, fons & origo totius sanctitatis.

Veneratio sacramenti ostenditur ex ueneratione arcæ fœderis. Docet profectò nos satis hanc ueritatem, quòd uidemus olim tantum honoris impensum fuisse arcæ fœderis, quæ maximo erat apparatu instructa, quam soli gestabant sacerdotes, idque per duo millia passuum ante uniuersum po-
Nume. 14. pulum per Iordanem. Quid ergò nos facere æquum est obsecro, quantumque decet honoris exhibere sanctissimo
Iosue 3. huic sacramento corporis Christi? Ad hæc, eandem gestarunt cum tubis septies per circuitum urbis Hierico, & conciderunt muri ciuitatis, sicut & in deserto arca deferebatur ante populum, unde constaret, ubi'nam castra figenda essent. Longum nimis foret persequi, quo modo illa
Iosue 6. delata fuerit in bellum, quomodo à Philistæis remissa rursus sit Iudæis in Betsames, deinde in Gabaa. Certè Dauid ipse arcam ex Gabaa cum triginta millibus uirorum adduxit in domum Obededom, deinde in ciuitatem suam maximo cum honore; quando etiam Dauid Rex ante arcam saltitans, cithara lusit, nihil reueritus etiam si ab uxore Michol deridebatur. Cui ergo non turpe uidebitur nos Christianos non plus honoris & reuerentiæ exhibere sacramento corporis Christi, quàm Iudæi olim impendebant il-
Exodi 16. li arcæ? Quid erat in illa arca? Quid est in hoc diuino sa-
Hebr. 9. cramento? Erant in illa arca, duæ tabulæ Mosis, cum decem præceptis, uirga Aaronis florens, & Manna in uasculo. Est in hoc sacramento totus Christus, corpus, sanguis, anima, diuinitas.

Quid multis opus est? Angeli adorant Christum in cœlo, ubi eum præsentem uident per claram uisionem. Nos debemus adorare Christum in hoc sacramento, ubi eum
Philip. uidemus certissimè per fidem. In nomine IESV omne ge-

nu debet flecti, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Non secus in hoc sacramento omne genu flecti debet. nomen enim IESVS, significat quidem Christum, sed non continet. Hoc autem sacramentum & Christum significat, & Christum continet realiter.

Dicunt aduersarij fugientes has nostras demonstrationes, Christus non est in sacramento ut adoretur, sed est in sacramento ut manducetur. Respondemus multipliciter. Primùm, Nullibi potest esse Christus, ubi non sit adorandus. Vbicunque enim sit, secum habet, unde adorandus est. Ad rationes adorationis debemus inspicere, non ad locum, nec ad modum essendi. Rationes autem ipsæ, semper & ubique sunt in eo, sua diuinitas infinita, & sua sanctitas excellentissima. Secundò, quia absque dubio Christus Dominus, Propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis. Venitque quærere & saluum facere quod perierat. Nec uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Hoc tamen non obstante, quia adorandus erat ob maximas rationes adorationis, quas habebat, frequenter legimus ipsum à multis adoratum fuisse: quod factum non fuit unquã in ipsis adorantibus reprobatum, quin potius fuit in illis maximè laudatum. Penè infinita sunt exempla, ex quibus iã superius nonnulla posuimus, & ea sufficiẽtia. Quia igitur Christus in sacramento habet omnes rationes, omnesq; causas, propter quas adoratur in cœlo: iam non potest esse dubium, quin sit ipse adorandus in sacramento. Profectò Magi illi antiquissimi, Dei Optimi Maximi ductu, & non dubium quin & ab ipso illuminati, Christum ipsum in præsepi adorauerunt. Certum est autem, quòd ipsi eundem Christum sibi cognitum adorassent in sacramento, quem cognitum adorauerunt in præsepi.

Obiectio aduersariorum. *Responsio catholicorum.* *In symbolo.* *Matth. 18.* *Luc. 15. 19* *Matth. 20.* *Luca 22.*

AVGVSTINVS.


Augustinus ad Ianuarium postquàm determinauit debere nos facere, quæ sancta scriptura nos facere præcipit. adiecit statim, Similiter etiam si quid horum, (de quæ-

Epist. 118. tom. 2.

Insania in solentissima est disputare an sit faciendum, quod Ecclesia per Orbem frequentat.

stionibus Ianuarij erat sermo) tota die per Orbē frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Ecce est quidem insaniæ insolentissimæ, disputare, an faciendum sit, quod Ecclesia frequentat tota die per Orbem. Nunc autem discurramus per omnia, & uidebimus, quòd hoc maximè Ecclesia tota die per Orbem frequentat, ut in hoc sacrosancto Eucharistiæ sacramento adoremus Christum. Ergo insolentissimæ insaniæ est, disputare, an hoc sit faciendum. Est enim faciendum absque dubio. Sicut absque dubio esset faciendum, si in diuinis scripturis esset scriptum, ut fieret.

Conclusio quinta & ultima probatur, & uerbo Dei diuinum sacratissimæ Eucharistiæ mysterium confici, peragi, perficique, ex iis, quæ Patres sancti auctoresque catholici literis prodiderunt, ostenditur. CAP. XVIII.



Vinta cōclusio de cœna hac sacratissima est; Nostra cœna est permanens in se & in sua sanctitate, etiam si per annum nō sumatur. Vt sic intelligamus nostram cœnam dominicam, uerum sacramentum esse ac uerum Christi corpus & sanguinem continere, non solùm tempore sumptionis, sed statim post consecrationem, toto tempore, quo species panis aut uini durant.

Ad huius conclusionis ostensionem satis profectò facit, ipsa uerborum Christi auctoritas, maiestas, potestas, efficientia, ueritas, quæ nunquam possunt non esse uera. Hoc enim uno fit, ut cùm sacerdos super materiam panis & uini in Christi persona dicit hoc Christi uerbum, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, &c. cum intentione consecrandi, statim nostra cœna sacra est, corpus & sanguinem Christi significat, atque corpus & sanguinem Christi continet. Vera enim sunt ea Christi uerba, effectiuaque eius quod repræsentant, suo modo, qui satis iam constat ex dictis: nec possunt ullo modo esse falsa, nec inefficacia. Verbum nanque Domini in æternum semper stat, semper uerum, semper firmum, semper efficax. Vt etiam uide-

mus omnes, non per ſumptionem panis & uini fit panis corpus, aut uinũ ſanguis, ſed per uerbum Domini à ſacerdote ea intentione prolatum, fit ea conſecratio, eaque ineffabilis mutatio. Erit igitur ea, ex quo ipſum uerbum Domini prolatum fuerit. Ita nanque generaliter, poſita cauſa, ponitur effectus. Durabit autem, uſquequo? Non eſt præfixum tempus, non eſt aſsignatus terminus, ſed durabit conſecratio facta, continentia, ſignificatio, & ſanctitas: quandiu panis aut uini ſpecies perdurauerint, & ubicunque illæ fuerint. Ratum, firmumque eſt uerbum Domini, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Quod autem ſemel corpus aut ſanguis Chriſti factum eſt, non dimouetur, nec inde ſeparatur, perſiſtentibus ſpeciebus ſub quibus pani aut uino ſucceſsit corpus aut ſanguis Chriſti. Manifeſtum eſt hoc myſterium confici, peragi, ac perfici uerbo Chriſti; manifeſtumque, noſtram ſacram cœnam perdurare in ſua ſanctitate, quandiu ipſæ ſpecies ſacramentales perdurauerint. Conſtant hæc ex ipſo uerbo Chriſti, & eo poſito, conſtant etiam ex natura rei. Placet tamen ad hæc, patrum teſtimonia afferre nonnulla, ut uideamus has ueritates ſemper in Eccleſia Dei ſanctis patribus fuiſſe notas.

AVGVSTINVS.

Auguſtinus inquit, Diuini corporis conſecratio à catholica Eccleſia creditur, non magis à bono, non minus à malo ſacerdote confici. Neque enim merito conſecrantis, ſed creatoris efficitur uerbo. Alibi, credendum Chriſti uerbis ſacramentum confici: Cuius enim potentia prius creata ſunt ea, quæ ſunt, huius certè uerbo ad melius mutantur. Idem in De uerbis Domini, Ante uerba Domini, quæ, Hoc eſt corpus meum. dicunt, panis dicitur quod offertur: uerbis autem illis dictis, non amplius panis, ſed corpus uocatur. In expoſitione ſuper Ioanne, Vocatur corpus & caro Chriſti, quod caro continere non poteſt. Conficiunt autem illud carnis uerba, quæ ipſius carnis Chriſti uerba fuerunt. Ait enim, Hoc eſt corpus meum.

AMBROSIVS.

Ambrosius in sermone de sacramẽtis, Quomodo enim panis potest esse corpus Christi? Quibus uerbis, aut quorum uerbis hæc sacramenta perficiuntur? Addit, Ipsis Domini nostri IESV Christi. Infrà, Cùm autem hoc sacramentum perficit, non propriis uerbis sacerdos, sed ipsius Christi utitur. Verba enim Christi, hoc sacramentum conficiunt. Et post pauca idem auctor dicit, Ante consecrationem panis est, uerbis autem Christi dictis, mox corpus Christi est. Accipite enim, inquit, comedite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Similiter in calice ante uerba Domini, uinum est aqua mistum: Christi uerbis operantibus, sanguis efficitur. Idem auctor post multas naturarum mutationes factas uerbo Domini adductas, ita continuat, Si igitur tantũ potuit humana benedictio ad transmutandam rerum naturam, quid de hac diuina consecratione dicemus, ubi ipsa uerba Saluatoris operantur? Hoc enim sacramentum, quod accipis, uerbis Christi conficitur. Idem auctor, Accipite quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueuerit, & mutat quando uult instituta naturæ. At qui paulò pòst meminit conuersionis panis in corpus Christi.

De sacramen. lib. 4. c. 4. & 5.

HIERONYMVS.

Hieronymus ad Euagrium, ita confitetur & docet palàm, non quòd ad communionem alicuius, sed quòd ad precem sacerdotis, conficitur corpus Christi.

CHRYSOSTOMVS.

Ioan. Chrysost. in homilia, De proditione Traditoris, & sacramentorum traditione, Adest nunc quoque Christus, qui illam mensam fecit, ille ipse nunc etiam ornat. Non enim est homo, qui hæc munera facit corpus & sanguinem Christi; sed qui crucifixus est pro nobis, Christus.

Figuram

Figuram quidem adimpleris astat sacerdos, uerba illa pronuntians: potestas uerò & gratia tota Christi est. Hoc est corpus meum, ait. Hoc uerbum, res propositas transmutat. Nam quemadmodum uox illa, qua dictum est, Crescite, & multiplicamini, & repletè terram. semel quidem dicta est, semper autem fit, operæ naturæ nostræ uim præbens ad generandum: ita hæc quoque uox semel dicta, in singulis aris ex eo tempore usque in præsentem diem, & usque ad Christi aduentum hoc sacramentum integrè perficit. Hæc ille. Idem auctor super Matthæum, Non sunt humanæ potentiæ opera, quæ proposita sunt: qui tunc ea fecit in cœna, ipse nunc ea quoque operatur. Nos ministrorum locum tenemus, qui uerò sanctificat, & ea mutat, ipse est. Hæc ille. Homil.82.

Gregorius Nyssenus.

Gregorius Nyssenus in Catechetico sermone de diuinis sacramentis, ait, Rectè igitur & nunc panem diuino uerbo sanctificatum, in corpus Dei Verbi transmutari credimus. Nam & illud corpus (intelligit autem corpus assumptum ex Virgine) panis potentia erat, sanctificatus uerò fuit habitatione Verbi in carne habitantis, à quo ita panis, qui in illo corpore erat, transsubstantiatus fuit in diuinam potentiam, per eum nunc æqualiter fit. Et ibi enim gratia Verbi sanctum fecerat illud corpus, quod ex pane consistebat. Et illud quodam modo etiam panis erat, & hic similiter panis, quemadmodum Apostolus ait, sanctificatur pe Verbum Dei & orationem, non comestionem, ad hoc procedens, ut corpus Verbi fiat, sed mox ad corpus per uerbum transmutatur, quemadmodum ab ipso Verbo dictum est, Hoc est corpus meum. Ecce non uidetur facile quo modo ad hanc ueritatē dici potuerunt uerba clariora. cap.37.

Damascenus.

Damascenus in lib. Sententiarum inquit, Non est panis figura corporis & sanguinis Christi, absit, sed ipsum cor- cap.23.

pus Christi deificatum. Hoc habemus ab ipso Domino, dicente, non, Hoc est figura corporis, sed ipsum corpus meum. & non figura sanguinis, sed ipse sanguis meus.

RABANVS.

De Eucharistia. cap. 4.

Rabanus ita docet, Nullus moueatur de hoc Christi corpore & sanguine, quod in ministerio sit uera caro, uerus sit sanguis, dum sic ille uoluit, qui creauit. Omnia enim quæcunque uoluit Dominus, fecit in cœlo & in terra. Et quia uoluit, licèt figura panis & uini sit hîc, omnino nihil aliud quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt: & ut mirabilius loquar, non alia planè caro quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro.

Nota fuit ergo hæc ueritas antiquis patribus, Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, Damasceno, Rabano, ut ex dictis constat: quam etiam accepit & conseruat tota schola Christiana, ex qua placet nonnullorum patrum adducere testimonia.

Magister Sentent.

lib. 4. dist. 10.

Magister sententiarum eam confitetur, profiteturque ueritatem: unde ad illam & pro illa dicit, Ait enim ueritas, Accipite, Hoc est corpus meum. Item Ambrosius, Si tantum ualuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret non ualebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet? De totius mundi operibus legitur, quia ipse dixit & facta sunt, &c. Sermo igitur, idest, Filius, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est creare, quàm mutare nouas naturas rerum. Hæc ille. Infrà, Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur.

In libro de his qui mysteriis initiantur. cap. 9.

S. Thomas.

S. Thomas fatetur, quòd hæc sit forma huius sacramenti, Hoc est corpus meum. &, Hic est calix sanguinis mei. Probando autem, dicit cum diuo Ambrosio in lib. De Sacramentis, consecratio fit uerbis & sermonibus Domini Iesv. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, Laus Deo refertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi autem sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus sacerdos utitur, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi conficit hoc sacramentum. Hæc ille. Idem auctor dicit cum Cyrillo, eos insanire, qui dicunt hoc sacramentum non posse reseruari in crastinum. Et fatetur, quòd post consecrationem, tandiu durat sacramentum, quandiu durant species consecratæ.

par. 3. quæst. 78. art. 1.

par. 3. quæst. 76. art. 5. ad secundum & tertiū arg.

Concilium Florentinum.

Florentinum Concilium uniuersale, in quo & Latini patres & Græci conuenerunt, diuinas scripturas respiciens, simul & doctores sanctos Occidentis & Orientis, manifestè determinauit hanc esse formam huius sacramenti, in qua statim omnes sacerdotes conficimus, Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei, &c.

Samonas.

Samonas Archiepiscopus Gazæ ciuitatis eandem tenet ueritatem, in sua disceptatione, quā habuit cum Achmed Sarraceno. Dicit enim inter alia, cæterùm cùm ipsemet Christus testificetur, corpus suum esse re uera & sanguinem, id quod nos fideles offerendo assumimus, quid amplius est opus de hac re dubitare, si Deum & filium Dei ipsum esse credimus? Si enim ex nihilo mundum condidit, & uerbum eius uerum est, uiuum, efficax, atque omnipotens; & quæcunque uoluit Dominus fecit omnia; nonne potest panem in suum ipsius corpus mutare, & aquæ & ui-

ni cõmistionem, in proprium sanguinem? Nam quemadmodum initiò dixit, Germinet terra herbam uirentem, & usque in hodiernum diem, eo pluuiam mittente terra germinat herbas, quæ Dei auxilio protegitur, eiusque iussu id præstare cogitur: ita loquutus est Deus, Hoc est corpus meum. &, Hic est sanguis meus. &, Hoc facite in meam commemorationem: idque omnipotentis mandato usque ad eius secundum aduentum fit, diuina inspiratione & accessu Spiritus sancti. Hæc ille.

Genes.

Luce 22.

MARCVS Arch. Ephesi. & Cabasila.

cap. 27. Marcus Archiepiscopus Ephesinus in quodam suo tractatu, qui in libro Liturgiarum habetur; similiter & Nicolaus Cabasila, eandem ueritatem confessi sunt, ut statim dictis his sæpe allegatis Christi uerbis; & addita prece sacerdotis, fieret mutatio substantiæ panis & uini in substantiam corporis & sanguinis Domini. In eo tantùm errantes, quòd putauerunt hæc uerba Domini non perficere hoc mysterium, nisi addita etiam sacerdotis prece, quæ iuxta antiquas Liturgias Apostolorum, sicut recollegit Clemens, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, solet addi.

BESSARION.

Bessarion Episc. Tusculanus in tractatu quodam suo speciali, pro hac nostra ueritate catholica, atque specialiter contra illam deceptionem Marci Ephesini, & Nicolai Cabasilæ, agit latißimè, & doctißimè. Dicit post nonnulla, quæ præmittit, Primùm enim conabimur ostendere, diuinißimum corpus Christi & sanguinem, nullis aliis uerbis, aut sacerdotum precibus confici, quàm ijs, quæ suprà memorauimus, Domini uerbis, Hoc est corpus meum. &, Hic est sanguis meus. Post hæc sanctorum Ecclesiæ doctorum ac patrum nostrorum unam & eandem esse sententiam declarabimus. Postremò quæ huic opinioni aduersari uidentur, duce Domino, cuius res agitur, dissoluemus. Hæc ille. Procedit deinde ad singula proposita, & in omni-

bus bene loquitur ſecundum hanc ueritatem: quam ſatis oſtendit tenuiſſe ſemper in Eccleſia doctores omnes, & Latinos, & Græcos.

GREGORIVS.

Gregorius etiam, Quis enim fidelium habere dubium poſsit, in ipſa immolationis hoſtia ad ſacerdotis uocē cœlos aperiri, in illo IESV Chriſti myſterio choros angelorum adeſſe, ſumma & ima ſociari, unum quid ex inuiſibilibus fieri? *Homilia Paſchali.*

CYRILLVS.

Cyrillus ſcribens ad Caloſirium Epiſcopum Arſinoitem, inquit, cæterùm, Audio quid dicant, myſticam benedictionem, ſi ex ea remanſerint in ſequentem diem reliquiæ, ad ſanctificationem inutilem eſſe: ſed inſaniunt hæc dicentes. Non enim alius fit Chriſtus, neque ſanctum eius corpus immutabitur: ſed benedictionis uirtus & uiuifica gratia, perpetua manet in illo. Hæc Cyrillus. Quæ iuxta uerſionem & piiſsimi & doctiſsimi Stanislai Hoſij Epiſc. Varmienſis, ita ſe habent, Audio quòd dicant, myſticam benedictionem ſi ex ea remanſerint in ſequentem diem reliquiæ, ad ſanctificationem inutilem eſſe. Sed inſaniunt hæc dicentes. Non enim alius eſt Chriſtus, neque ſanctum eius corpus immutabitur, ſed benedictionis uirtus & uiuifica gratia perpetuò manet in illa. *Stanislaus Hoſius. In confeſ. cap. 39.*

Ecce ſecundum horum ſanctorum patrum teſtimonia, & iuxta diuinas ſcripturas, uerbo Dei uirtuteque diuina, non autem manducatione aut ſumptione noſtra, conficitur peragiturque hoc myſterium, manetque perpetuò ſua uirtus, ac ſanctitas.

Ostenditur eadem ueritas ex factis ordinationibusque patrum, sanctorum, insuper & antiquorum, qui statim post consecrationem, sacrosanctam Eucharistiam adorandam iudicauerunt, & eam pro communione fidelium infirmorum moriturorum adseruari cum reuerentia, praeceperunt. CAP. XIX.

lib. 6. cap. 34.



Vsebius Cæsarien. ex epistola Dionysij Episcopi Alexandrini scripta ad Fabianum Antiochenum Episc. inquit, Intexuit quandam historiam dignam memoria nempe Serapionem quendam fuisse apud Alexandriam, unum ex his qui lapsi fuerant, eundemque sæpe deprecatum ut susciperetur ad pacem, nec tamen impetrasse, oppressum deinde hunc esse ægritudine, ita ut triduo iam sine uoce prorsus iaceret; paululum uerò, quarto die respirantem, uocasse ad se filiam suã & dixisse, Quousque me detinetis? Quæso uos, cito aliquis presbyterum roget, ut possim aliquando dimitti. Et cum hæc dixisset, rursum sine uoce permansit. Abiit cursu puer ad presbyterum, noctis tempore. Infirmabatur Presbyter, uenire non potuit, tamen quia præceptum fuerat à me (ait Diony.) ut lapsis in exitu nemo reconciliationis solatia denegaret, & maximè his, quos prius id rogasse constaret, Parum Eucharistiæ puero qui ad se uenerat, dedit: quod infusum iussit seni præberi. Regredienti adhuc puero, antequàm intraret domum, rursum Serapion respiciens, Rediisti, inquit, puer? Et licèt presbyter uenire non potuit, tu tamen imple quod tibi præceptum est, ut possim discedere. Cumque esset completa solennitas, uelut catenis quibusdam uinculisque diruptis, lætiorem iam spiritum reddidit. Ex quo, inquit beatus Dionysius, certissimò constat, huius boni auxilio nullum fraudari debere.

HIERONYMVS.

Epistola ad Rusticum monachum. Hieronymus de sancto Exuperio Episcopo Tolosano narrat, quòd tam liberalis erat in pauperes, ut nihil sibi ser-

uaret, & corpus Domini in canistro uimineo & sanguinem in uitro ad infirmos portaret.

AMBROSIVS.

Ambrosius singularem fratris sui Satyri commendans erga Deum pietatem, & deuotionem, refert quòd constitutus in naufragio, non mortem metuens, sed ne uacuus mysterio è uita exiret, ab his, quos initiatos esse cognouerat, diuinum illud fidelium sacramentum sibi dari poposcerit, ut fidei suæ tali sacramento consequeretur auxiliũ; quodque datum sibi sacramentum ligari fecerit in orario, & orarium in collo inuoluerit, atque ita se in mare deiecerit: non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat, atque his se tutum ac munitum satis credens, alia auxilia non desiderabat. Et addit Ambrosius, Nec spes eum deseruit, nec fefellit opinio: sed primus seruatus est, & in portum terrenæ stationis est euectus.

De excessu fratris sui. cap. 7.

TERTVLLIANVS.

Tertullianus ad uxorem, Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes. Idem in libro De corona militis, Eucharistiæ sacramentum, & in tempore uictus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium accipimus. Idem, Calicis etiam aut panis nostri aliquid decuti in terram, anxiè patimur.

lib. 2.

CYPRIANVS.

Cyprianus de Lapsis, mulieris meminit, quæ in arca sacram Eucharistiam reposuerat, & quia indignis manibus eam tractauerat, quando arcam aperire tentauit, igne inde surgente deterrita est, nè attingere auderet. Consuetudo nanque tunc habebat apud aliquas ecclesias, quòd Laici in manus acciperent sacram Eucharistiam & domum

Eusebius lib. 6. cap. 33. in fine. portarent; ut patet ex historia Ecclesiastica Eusebij, ubi & hoc annotat Beatus Rhenanus.

Clemens.

De consecr. dist. 2. c. Tribus gradibus. Clemens Petri Apostoli discipulus & in cathedra Apostolica successor, inter multa, quæ se à Beato Petro accepisse narrat, dicit se accepisse, quòd tribus gradibus commissa sunt sacramenta diuinorum secretorum, Presbytero, Diacono, & ministro, qui cum timore & tremore reliquias corporis Domini debent custodire fragmentorum, ne qua putredo in sacrario inueniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria.

Ireneus.

Ireneus & quidam alij Episcopi Galliæ, ut citat Eusebius, ad Victorem Papam scripserunt, quòd Romani Pontifices sui præcessores, solebant Episcopis ecclesiarum, qui non ita sicut ipsi celebrabant diem Paschæ Eucharistiam transmittere in signum pacis & communionis. Notatque *Rhenanus.* ibi beatus Rhenanus, quòd cùm Episcopus aliquis Romam uenirет, Pontifex Romanus Eucharistiam hospiti solenniter transmittebat, & id fortè, inquit, & cæteris fiebat Episcopis, quòd haud dubiè ex Apostolica consuetudine est desumptum.

Concilium Vuormatien.

De consecr. dist. 2. Vuormatiense Concilium sanciuit, debere Presbyterum Eucharistiam semper habere paratam ut siquis infirmatus fuerit, statim eum communicet ne sine communione moriatur: cùm sacrosancta Eucharistia morientibus saluberrimum & tutissimum sit uiaticum.

Concilium Arelat.

De consecr. dist. 2. Arelatense Concilium grauiter animaduertit in eos, qui negligentes sunt in sacræ Eucharistiæ custodia.

Concilium

Concilium Lateran.

Lateranense Concilium, cui quatuor Patriarchæ interfuerunt, & ingens Episcoporũ multitudo, ex toto terrarum Orbe sub Innocen. III. celebratum, constituit, ut sacra Eucharistia cum chrismate sub fideli custodia clauibus & seris adhibitis conseruetur, ne temeraria ad ea manus extendi possit. *De custodia Eucharist. c. Statuimus.*

Concilium Vien.

Viennense Concilium generale arguit, & damnat eos, qui in eleuatione corporis Christi, nolebant assurgere, & reuerentiam ei exhibere. Mandatque, ut celebretur festum corporis & sanguinis Christi. *In Clemē. Ad nostrũ. de hæreticis.*

Honorius III.

Honorius III. præcepit, ut Eucharistia in loco aliquo ad hoc destinato & mundo honorificè reponatur, ac per fideles & pios custodiatur. Sacerdos uerò frequenter plebem doceat, ut cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet; atque idem faciat, cum defertur ad infirmum. Voluit quoque Luminaria semper Eucharistiæ præferri, ad significãdã præsentiã lucis æternæ. *Clemẽ. unica, De reliquiis & uener. Sanctorum. De celebra. Missarum. c. Sane.*

Ioan. Eckius & alij.

Ad hanc ueritatem spectantia multa etiam dixerunt & uera & optima, doctores catholici recentiores, ut Ioan. Eckius homil. 31. tomo 4. Ruardus Tapper in sua explicatione articulorum facultatis Theologicæ uniuersitatis Louaniensis. art. 13. & 14. Stanislaus Hosius, Episc. Varmiensis, & sactæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis amplissimus & modò ad hoc sanctum Concilium Tridentinum sanctissimi Domini nostri Pij Papæ Quarti, Legatus tertius, in confessione, seu potius explicatione, &c. Accedit eò scho- *Ruardus Tapper. Stanislaus Hosius. cap. 39.*

Alexand. S. Bonauē. Scotus, Durandus, Gabriel, Thomas ab Argentina. Marsilius. la Christiana concors, Alexander de Ales, Sanctus Bonauentura, Scotus, Durandus à sancto Portiano, Gabriel Biel, Thomas ab Argentina, & Marsilius, quorum testimonia omitto referre, tum breuitatis causa, tum quia notum est cunctis, eos omnes hanc eandem ueritatem & sententiam tueri. Huc etiam spectat iudicium atque sententia Cleri & Vniuersitatis Coloniēsis super doctrina Buceri apud Bonam. Ruardus Tapper etiam quem paulò ante memorauimus, asserit contra errorem oppositum huic doctrinæ, scripsisse Dominum Alfonsum à castro, De Eucharistia hæresi 12. & Io. Cocleum, tract. 9. Miscel. Hanc quoque ueritatem confessa est tota facultas theologica uniuersitatis Louaniensis in suis articulis, articulo 14. ut iam posuimus.

Iudiciū Cleri & uniuersitatis Coloniens. Alfonsus à Castro. Io. Cocleus.

Concilium Trident.

Tridentinum quoque Concilium uniuersale ita definiuit, Siquis dixerit, non licere sacram Eucharistiā in sacrario reseruari, sed statim astantibus necessariò distribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos deferatur, Anathema sit.

Constans fuit ergo in Ecclesia Dei hæc doctrina, passim & semper, apudque omnes, ut fideles cuncti crederent sacram Eucharistiam perfici in suo esse sanctissimo, non per sumptionem sumentis, sed per uerbum Dei & consecrationem sacerdotis, uerbum Dei in persona Christi proferentis: ut quæ post factam ipsam consecrationem per sacerdotem in persona Christi, semper deinceps maneat sacra Eucharistia in sua sanctitate, etiam si non sumatur per annum. Vnde hanc ueritatem recognoscentes patres statim post consecrationem, sacram Eucharistiam ostenderunt populo adorandam; & eam cum diligentia & reuerentia iusserunt adseruari, fidelibus morituris tribuendā. Confitentes palàm in hac sua sacræ Eucharistiæ ostensione, atque diligenti, uigilanti, religiosissimaque adseruatione, ac solenni delatione, hanc nostram sacrosanctam Eucharistiam eo ipso post consecrationem, & ante communionem, perfectam esse in sua significatione, continentia, & sancti-


tate. Alioquin non talia teſtimonia de ea proferrent, non tales de ea leges conderent, non ſic eam contrectarent: non eam adſeruarent ut ſanctam, antequàm eſſet ſancta: nec eam adorarent ut diuinam, antequàm eſſet diuina.

Sed iam appono catalogum patrum & conciliorũ, quorum teſtimoniis & conſtitutionibus conſtat, noſtram ſacram Euchariſtiam per conſecrationem ſacerdotis in uerbo Chriſti, eſſe ſanctam & perfectam, etiam ante omnem ſumptionem ſacramentalem.

AVGVSTINVS.
Ambroſius.
Hieronymus.
Chryſoſtomus.
Gregorius Niſſenus.
Damaſcenus.
Rabanus.
Magiſter ſententiarum.
Sanctus Thomas.
Florentinum Concilium uniuerſale.
Samonas.
Marcus Epiſcopus Epheſinus.
Nicolaus Cabaſila.
Beſſarion Epiſcopus Tuſculanus.
Gregorius.
Cyrillus.
Euſebius Cæſarienſis.
Satyrus frater Ambroſij.
Tertullianus.
Cyprianus.
Clemens diſcipulus Petri Apoſtoli.
Ireneus, & alij Epiſcopi Galliæ.
Rhenanus.
Vormatienſe Concilium.
Arelatenſe Concilium.
Lateranenſe Concilium generale.
Viennenſe Concilium generale.
Honorius III.

Ioannes Eckius.
Ruardus Tapper.
Stanislaus Hosius Cardinalis amplissimus.
Schola uniuersa Christiana.
Alexander de Ales.
Sanctus Bonauentura.
Scotus.
Durandus à Sancto Portiano.
Gabriel Biel.
Thomas ab Argentina.
Marsilius.
Alfonsus Castrensis.
Ioannes Cocleus.
Vniuersitas Coloniensis.
Vniuersitas Louaniensis.
Tridentinum Concilium uniuersale.

Nostram cœnam dominicam, esse secundum Christi Saluatoris nostri institutionem demonstratur, & explicantur quasi per anacephalæosim eius prærogatiuæ, proprietates, ac excellentiæ, significatio, uocata continentia, debita adoratio, & permanens sanctitas. CAP. XX.



Oenam ergo nostram nos Christiani Catholici habemus ex Christi institutione, & secundum illam. Ipse enim Saluator noster, Pridie quàm pateretur, cœnans cùm duodecim discipulis suis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque illis, & ait, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ecce primam huius diuinæ celebrationem, ab ipso uidelicet Saluatore nostro, sed quod uerè narrat Euangelista Matthæus, cui concordant alij Euangelistæ, qui de hac sacra cœna loquuntur expressius, ut Marcus, & Lucas. Vnde profectò panem accepit, panemque benedixit, sed corpus

Matt. 26. Marci 14. Lucæ 22.

suum dedit, dicens, Hoc est corpus meum. Similiter & calicem accepit, uini quidem adhuc non consecrati, gratias egit, & sanguinem suum dedit, dicens, Hic est enim sanguis meus, &c. Verba uerissima sunt Christi ueracissimi & potentissimi; non licet negare, nec licet dubitare de ueritate eorum. Ita Christus ipse, Deus & Homo, primus celebrauit hanc nostram cœnam sanctissimam, ipse conuiua & conuiuium, atque sic celebrando instituit, fecitque hanc rem nullis retro sæculis uisam, uerè memoriã omnium mirabilium suorum. Quæ res sacratissima, ne fuisset horaria, eadem nocte orta & eadem nocte finita, ad horam concessa, & in eadem hora sublata, ipsemet auctor omnium bonorũ Christus, totius generis humani creator, & redemptor, simul instituens celebrationem huius sacræ cœnæ permanẽtem in sancta Ecclesia sua Christiana, dixit statim Apostolis, & in eis, suis in sacerdotio successoribus, Hoc facite in meam commemorationem. Quid est illud, Hoc? Absq; dubio est, id totum, quod Christus tunc fecit, faciẽs, dicens: Est illud factum mirabile. Hinc est, quòd nos huius eius uerbi & mandati memores, panem accipimus, benedicimus, consecramus uerbis suis, & corpus eius damus ac sumimus. Lucæ 22.

Prærogatiuæ autem huius nostræ sacræ cœnæ dominicæ, quas ipsa habet eleuata supra id quod apparet sensibus, eæ sunt potissimæ, ad quædam genera, seu ad quasdam species reductæ, significatio, continentia realis, ratio adorationis, seu adoratio debita, & permanens sanctitas. Significat enim Christum pro nobis oblatum, passum, mortuum, ut demonstrauit conclusio prima: Continet ipsum eundem Christum, uerè, realiter, ac præsentialiter, ut demonstrauit conclusio secunda: est adoranda, ueneranda, seu honoranda suo modo, ut demonstrauit conclusio quarta: est permanens in sua significatione, continentia, & sanctitate, ut demonstrauit conclusio quinta: atque non continet substantiam panis nec uini, ut demonstrauit conclusio tertia. Prærogatiuæ cœnæ nostræ dominicæ.

Talem habemus, talem corde credimus ad iustitiam, talem ore confitemur ad salutem, talemque toto nixu &

omnibus uiribus prædicamus nostram cœnam dominicam: nihil prorsus noui addentes, nihil immutantes. Sed profectò omnia de ea tenentes, credentes, confitentes, & prædicantes, quæ de ea tenuerunt, crediderunt, confessi sunt, & prædicauerũt sancti patres iam inde ab exordio nascentis Ecclesiæ Christianæ, usque ad nos, per tempora omnia interlabentia. Constat hoc per ea patrum testimonia, exempla, & instituta, quæ adduximus ad singulas conclusiones, dum eas ratas, uerasque esse demonstrauimus.

Sic habemus nostram cœnam, ex magno admodum Dei dono, significatiuam & contentiuam eius quod significat, sanctam & sanctificantem, uenerandam & honorandam; non egenam nec infirmam, ut cœnam Mosis, sed ditissimã, firmissimam, potentissimam, solidam, ut cœnam Christi.

Aduersariorum, nempe Caluini, Buceri, Melanchthonisque opiniones refelluntur, atque improbantur. C A P. X X I.



Aleat Caluinus, qui sibimetipsi repugnans & contra Christum agens, docet hanc sacram cœnam Christianam esse egenam & infirmã, solùm significantem, & non continentem corpus aut sanguinem Christi; figuram, signum, seu imaginem cœnæ ueri agni, non autem realem cœnam agni ipsius. Contra Christũ absque dubio agit Caluinus, Christus enim dicit, Hoc est corpus meus. Hic est sanguis meus. Caluinus uerò, Hoc non est corpus Christi, sed est figura corporis Christi. Hic non est sanguis Christi, sed est figura sanguinis Christi. Ita Caluinus aduersatur, inque impiam prorsus miser effertur audaciam, quasi ipse certiorem melioremque contineat de corpore & sanguine Christi cognitionem quàm Christus ipse; aut quasi Christus, qui ueritas est, uoluisset mentiri seu nos decipere, & Caluinus uelit nos à mendacio & impostura liberare. Valeat igitur Caluinus, Christo absolutissimæque ueritati repugnans, nostramque cœnam dominicam faciens atheam, & atheismos impiè introducens.

Contra Caluin. Procul à fidelium cœtu Caluinus absit qui sibimetipsi

repugnans, dicit, nostram cœnam solùm significare & non continere Christum, ac negat eam aut Deum per eam, tanquã ex opere operato operari aliquid boni, aut sanctitatis, aut gratiæ: & tamen simul addit, Christum se realiter per cœnæ cõmunionem exhibere, atq; se Christum per cœnam realiter distribuere. Hæc enim inter se non cohærent sed repugnãt. Si nanque Christus in nostra cœna non continetur, nec per illam in nobis tanquam ex opere operato quicquam boni operatur, gratiæ, aut sanctitatis, sed totum est secundum quod ab ipso per fidem, charitatem, aut etiam alias uirtutes tanquàm ex opere operantis haurimus: iam profectò nec ipse per cœnæ communionem nobis se exhibet, nec per cœnam nobis sese distribuit. Cur ita? Quia eodem modo & in eodem gradu bonorum, gratiæ aut sanctitatis, se nobis distribueret & se nobis exhiberet, ubicunque, quandocunque, & quotiescunque, eandem fidem, eandem charitatem, & easdem uirtutes in actu haberemus, manducantes aut bibentes aliquid aliud propter ipsum. Vnde hoc non est manducare Christum per cœnam, sed est manducare Christum per fidem, charitatẽ, aut uirtutes alias. Similiter nec hoc est, Christum se nobis exhibere aut distribuere per cœnam; sed hoc est, Christum se nobis exhibere aut distribuere per fidem, charitatem uel res huiusmodi. Et ut iam diximus, atque constat, hoc non est, Christum se nobis exhibere aut distribuere per cœnam, sed Christum se nobis exhibere aut distribuere per fidem, in cœna. Verba igitur Caluini mutuò dissident, adeò ut uerè Caluinum Caluino repugnare, dicere possimus.

Eius nanque uerba dicunt, Christum realiter exhibere se per cœnæ communionem, atque Christum per cœnam se realiter distribuere: doctrina autem sua dicit, quòd non per cœnam, sed per fidem, in cœna, Christus distribuit & exhibet sese. Nugæ istæ sunt & illusiones, quibus infirmiores, sacrarumque expertes literarum tanquam à præstigiatore decipiuntur.

Si Caluinus dixisset, aut quòd Christus continetur realiter & præsentialiter in cœna sacra, aut saltem quòd per illam tanquam ex opere operato operatur aliquid boni,

gratiæ uel sanctitatis, præter id quod præstat per fidem, charitatem, aut alias uirtutes: staret uerbum eius, quo dicit, Christum se realiter exhibere per cœnæ communionem, & se realiter distribuere per cœnam. Cum autem neget utrunque, nullo modo subsistit perstatque uerbum ipsius, sed ruit, à suo auctore, repugnantia dicente euulsū.

Contra Bucerum. Abeat etiam & Bucerus, in eo quòd dicit, nostram cœnam continere Christum solummodò in tempore sumptionis, tanquàm non antea, tanquàm non postea. Errat enim in eo multipliciter. Primùm, contra fidem uniuersalem omnium Christianorum fidelium, & totius Ecclesiæ Dei. Secundò, contra totam theologiam, quam hactenus habuimus fideles, theologizantes de Deo & rebus diuinis. Tertiò, contra totam Philosophiam naturalem agentem de causis atque effectibus. Omittamus cuncta alia, gratia breuitatis. De hoc solo agamus, uel ad minimum. Cùm sacra Eucharistia non sit talis per sumptionem aut communionem, sed per consecrationem à Sacerdote in uerbis Domini: quî fieri potest, ut ipsa dicatur non esse talis, aut non habere suam sanctitatem, nisi communionis aut sumptionis tempore? Quidem nulla est ratio, qua ita dici possit. Clamat enim in oppositum generalis & inuictissima regula, qua scimus, quòd posita causa sufficiente, ponitur effectus eius, nisi impediatur ipsa à sua actione. Causa autem tota in consecratione Eucharistiæ, est forma consecrationis, est materia debita, est sacerdos consecrans, & principaliter Christus. Vnde cum accedit uerbum ad elementum, etiam hîc fit sacramentum.

Soluitur obiectio. Ordinatur consecratio huius sacramenti ad usum eius, qui est sumptio, sicut quodam modo ad finem: & sic est ipsa sumptio quodam modo prius in intentione, quàm ipsa consecratio sit in re. Sed hoc non prohibet, nec quicquam ad propositum facit. Nanque in factibilibus, licèt finis sit quid primum in intentione, frequenter tamen, ne dicam semper, est quid ultimū in executione: & sæpissimè ponitur res in suo esse reali & completo, multo tempore, antequàm suo iungatur fini. Est uidere in ædium ædificatione siue in ædibus quæ absque dubio, propter habitationem

construuntur

construuntur & longo tempore non rarò sunt, priusquàm habitentur. Ita est in proprosito. Consecratio sacramenti in esse sacramenti, est propter sumptionem: sed ex quo ponitur consecratio, sacramentum uerè est, etiam si per annũ non sumatur. Agimus uerò de sacramento Eucharistiæ.

Hoc etiam sacramentum ab aliis sacramentis differt in multis aliis, sed quãtum ad rem præsentem attinet, differt in duobus. Primò quidem, quantum ad hoc, quòd hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ, alia uerò sacramenta perficiuntur in usu materiæ consecratæ. Secundò, quia in aliis sacramentis, consecratio materiæ consistit solùm in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quandam spiritualem uirtutem, quæ per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere. Sed in hoc sacramẽto consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conuersione substantiæ, quæ à solo Deo perfici potest. Vnde minister in hoc sacramento perficiendo, non habet alium actum, nisi prolationem uerborum. Et quia forma debet esse conueniens rei, ideo forma huius sacramenti differt à formis aliorum sacramentorum in duobus: Primò quidem, quia formæ aliorum sacramentorum important usum materiæ, puta baptizationem uel cõsignationem, sed forma huius sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit: ut cum dicitur, Hoc est corpus meum. uel, Hic est calix sanguinis mei. Secundò, quia formæ aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri, siue per modum exercentis actum, sicut cum dicitur, Ego te baptizo. uel, Ego te confirmo. siue per modum imperantis, sicut in sacramento ordinis dicitur, Accipe potestatem, &c. siue per modum deprecantis, sicut cum in sacramento extremæ unctionis dicitur, Per istam unctionem & nostram intercessionem, &c. Sed forma huius sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut intelligatur, ministrum in perfectione huius sacramenti, præter prolationem Christi uerborum, nihil agere.

S. Tho. par. 3. quæst. 78. art. 1.

Non potest igitur fieri argumentum ab aliis sacramentis

Nō ualet argumentum ab aliis sacramentis Eucharist. quantū ad permanentiam.

ad hoc sacramentum, ita deducendo, ut sicut alia sacramenta non sunt realiter nisi dum sunt in usu, dum circa aliquem applicantur, aut alicui conferuntur, nec permanent ante, nec post, ut patet de sacramento baptismi, de sacramento ordinis, sacramento confirmationis, & aliis: sic debeat fomari iudicium aut sic dicendum sit, de hoc nostro altissimo sacramento Eucharistiæ, longè præstantissimo, & alterius naturæ. Absit talis deductio. Hoc enim sacramentum, est hoc sacramentum, & alia sacramenta, sunt alia sacramenta. Differentia latè patet, considerantibus ea, quæ paulò ante è schola communi Theologorum annotauimus. Omnes enim formæ aliorum sacramentorum important, seu habent uerba adiectiua importantia aliquem actum transeuntem super eos quibus ipsa sacramēta ministrantur, & prodeuntem ab ipso ministro: quo etiam uerbo, explicatur quodam modo ipse actus; ut minister id explicet uerbo illo, quod facit actu, siue in re. Forma autem huius sacramenti non sic se habet, quia non habet uerbum adiectiuum, sed substantiuum, est. nec importat aliquem actum, quem ipse minister exerceat, circa aliquam personam; sed est forma merè consecratiua materiæ debitæ, ut forma illa prolata super debitam materiam à ministro cum intentione consecrandi, statim sit materia consecrata, & sit uerum atque perfectum sacramentum, iam non amplius dependens ab ipsa forma, quæ cum sit quædam uocalis oratio, est per consequens quantitas discreta succesiua, qualis est omnis oratio uocalis. Itaque in aliis sacramentis idem est ministrum conficere sacramentum, & ministrum ministrare alicui ipsum sacramentum; & non possunt hæc separari ab inuicem, ut palàm est de sacramentis baptismi, cōfirmationis, ordinis & aliorum. Vnde iam prodiit regula generalis & infallibilis, qua constanter & uerè dicimus, Alia sacramenta à sacramento Eucharistiæ consistunt in usu, & solùm sunt quando ministrantur; quia tunc solùm accedunt sua uerba ad sua elementa, idest, suæ formæ ad suas materias. In hoc autem sacramento Eucharistiæ longè est aliud. Quia immo aliud est, & nullo modo idem, ministrum conficere

Alia sacramenta cōsistūt in usu.

Scotus. lib.4. dist.8. quæst.1.

hoc ſacramentum, & miniſtrum miniſtrare alicui hoc ſacramentum. Nam hoc ſacramentũ miniſter abſolutè conficit, per hoc ſolùm, quòd materiam conſecrat: quicquid inde poſtea ſequatur: ſiue illud alicui miniſtret porrigens manducandum, ſiue non. Ex quo etiam orta eſt regula generalis, qua uerè dicimus, Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in conſecratione materiæ, ideſt, per hoc ſolùm habetur cōpletè, quòd materia debita conſecratur: quãuis forma eius tranſeat, & non permaneat cum materia conſecrata. Quamobrem quidam oculatius attendentes, uerba ipſa diuina, quibus hoc ſacramentum conficimus, appellarunt non tam formam ſacramenti, quàm formam conſecrationis, ipſius ſacramenti, aut corporis & ſanguinis Domini.

Sacramẽtũ Euchariſt. conſiſtit in conſecratione materiæ.

Gabriel ſuper canonẽ Miſſæ. lect. 38. litera B.

Abeat ergo ſimul cum Bucero, Melanchthon, qui, tum in Apologia pro Bucero ipſo, tum in De cœna Domini, ut falſitatem Buceri defendat, aliam faſitatem ſtatuit. Somniauit enim, aut non ſomniauit, ſed uigilans finxit, quemadmodum omnia alia ſacramenta, ita & hoc altiſsimum ſacramentum Euchariſtiæ, certi generis actionem eſſe: ut extra actionem, panis aliena res ſit à ſacramento, ſicut aqua Baptiſmi extra actionem baptizandi, non eſt ſacramentum. Errat indoctus, non diſtinguens, aut diſtinguere non ſciens, aut diſtinguere non uolens, inter diſtinctas naturas horum ſacramentorum. Baptiſmus enim totus conſiſtit in actione quadam, quia eſt lotio quædam hominis in aqua cum certa forma uerborum: nec ſacramentum baptiſmi eſt ipſa aqua, neque ipſa uerba, aut uerborum forma: ſed cum accedit uerbum ad elementum, fit ſacramentum. In Euchariſtia autem non eſt ſic. Non enim conſiſtit in aliqua actione ſacerdotis, quam ipſe exerceat circa aliquam perſonam: ſed conſiſtit in conſecratione materiæ, ut dictum eſt, & monſtratum. Primùm conſtat hoc ex ipſa forma uerborum, quibus ſacramentum Euchariſtiæ conficitur: quæ non denotat aliquam ſacerdotis actionem, ut forma baptiſmi abſolutionis, aut confirmationis: ſed denotat conſecrationem materiæ, dum dicit ſacerdos in perſona Chriſti, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis

Contra Melãch.

meus, &c. Secundò constat, quia ipsa communio uel sumptio Eucharistiæ, quidem præsupponit ipsum sacramentum iam confectum, illis uerbis statim relatis, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Qui non uidet hanc ueritatem, prorsus meridianam lucem non uidet.

Itaque omnia alia sacramenta consistunt solùm in usu quodam & in fieri: ita quòd idem ibi est sacramentum, & perceptio seu ministratio sacramenti: sicut idem est baptismus, & perceptio seu ministratio baptismi. Non enim baptismus est aqua; aut confirmatio, chrisma. Sed hic, idest baptismus, est lotio facta in aqua cum certa forma uerborum: & hæc, idest, confirmatio, est unctio hominis in fronte facta à Pontifice sub forma uerborum debita. Nec in his permanet sacramentum, transeunte usu, seu tali perceptione, aut tali ministratione, aut confectione. Sacramentum uerò Eucharistiæ, est quoddam permanens, etiam ante usum eius qui consistit in eius sumptione. Et hoc congruum erat, quia Christus permanenter uoluit esse nobiscum. Ergo in aliquo signo permanente, cuiusmodi signum est sacramentum istud. Habet ergo sacramentum Eucharistiæ esse permanens, & non successiuum. Est enim sacramentum Eucharistiæ, species panis & uini, corpus & sanguinem Christi continens: uel etiã ipsum corpus Christi secundum aliam sacramenti acceptionem: & tam species continentes, quam corpus Christi contentum, res sunt permanentes. Rei autem permanentis forma, esse non potest quid successiuum, cùm res habens fomam non possit esse sine forma: permanens autem permanet, successiuum uerò non, quia eius esse consistit in quodam fieri. Et quia uerba non possunt esse nisi in quadam successione prolationis saltem uocalia, de quibus nunc est sermo; ideo manifestum est, quòd non possunt esse forma sacramenti Eucharistiæ. Consecratio autem huius sacramenti, quæ est quædam uia ad sacramentum, est res successiua consistens in fieri; & ita requirit certam formam uerborum, quæ dici possunt uerba sacramentalia, ut notauit Scotus. Verba utique sunt forma consecrationis sacramenti, non forma sacramenti: quia pertinent non ad esse sacramenti, sed ad

Baptismus quid sit.

Cõfirmatio quid sit.

Scotus ubi supra.

fieri ſacramenti. Pertinent autem ad eſſe conſecrationis, quod conſiſtit in fieri, ut conſtat ex dictis. Aliorum autem ſacramentorum formæ ſunt uerba: quia alia ſacramenta non ſunt niſi in fieri, ſicut & uerba ipſa. Sæpe autem ipſa uerba conſecrationis Euchariſtiæ, uocantur forma ſacramenti, quia ſunt forma conſecrationis, qua ſacramentum ipſum conficitur, & in ſuo eſſe permanenti ponitur. Hæc eſt uera thelogia, catholica, & obſeruanda; quam quia patres antiquiſsimi, ſanctiſsimi, & doctiſsimi nouerunt, prædictam doctrinam de permanentia noſtræ ſacræ Euchariſtiæ in ſua ſanctitate ac dignitate tradiderunt.

Optimè igitur ad Epiſcopum Caloſyrium Cyrillus dixit, eos inſanire, qui dicunt myſticam benedictionem, ſi ex ſacræ Euchariſtiæ remanſerint in ſequentē diem reliquiæ, ad ſanctificationem inutilē eſſe. Cur ſic? Quia, ut ſtatim bene inquit idem Cyrillus, Non alius fit Chriſtus, neque ſanctum eius corpus immutabitur: ſed benedictionis uirtus, & uiuifica gratia perpetua manet in illo. Hæc ille. Manet itaque ibi corpus Chriſti, & manet ſacra Euchariſtia in tota ſua ſanctitate. Inſaniunt, qui aliud docēt. Abſurdum enim eſt quod à ſumptione ſeu à uoluntate communicare uolentium pendeat, quod corpus Chriſti ſit & permaneat in Euchariſtia: ut ſi uelint communicare aut cōmunicent, ſit in ea corpus Chriſti; ſi autem nolint communicare aut non communicent, iam in ea eſſe deſinat: & ſi hoſtia una forte ſuperſit, non permaneat ibi corpus Chriſti, ſed fiat panis prophanus. Similiter abſurdum eſt, ut tanquam uinum prophanum effundatur, cuius pars reliqua quæ in uſum uenit, ſanguinem Domini continebat, prout docent & obſeruant aduerſarij. Abſurdiſsima ſunt hæc portenta, & meræ inſaniæ.

Cyrill. ad Caloſyriũ.

Ponitur conclusio præcedentium, pro uocata continentia & significatione nostræ sacræ Eucharistiæ. CAP. XXII.



Rgo nostra sacra Eucharistia significat corpus & sanguinem Christi, ut dicit conclusio prima, atque continet corpus & sanguinem Christi, ut dicit conclusio secunda. Nec alterum excludit alterum, sed potius statuit. Vnde quòd sacra Eucharistia dicatur aliquando sacramentum, mysterium, exemplum, symbolum, figura, imago, aut signum, quæ pertinent aut uidentur pertinere ad suam significationem: nullo modo hoc facit contra suam continentiam, aut realitatem. Si enim quia figura est sacramentum altaris, ueritas negatur; ergo nec mors nec resurrectio Christi cùm sit figura, ueritas est credenda, siquidem mortem & resurrectionem Christi, similitudinem & imaginem esse, Apostolus manifestat, Christus, inquiens, mortuus est pro delictis nostris & resurrexit propter iustificationem nostram. Apostolorum enim princeps Petrus in epistola sua scribit, Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Sic ergo tam mors Christi, quàm resurrectio eius, est exemplum, ut nos peccatis mortui, iustitiæ uiuamus. Quare si non fuit ueritas, quia fuit exemplum: ergo nec ueritas fuit Christus, nec uerè à mortuis resurrexit. Sed absit à fidelium cordibus error iste, cùm Propheta de ipso testetur, quòd, uerè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Dicitur tamen mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quàm cernatur: & aliud cernitur, quàm credatur. Cernitur species panis & uini: & creditur ueritas carnis & sanguinis Christi. Et certè Paschalis ille agnus legalis, uerus erat, atque uera uictima: & simul cum esset uerus, erat typicus, & figuratiuus, signumque & figura agni nostri Paschalis Euangelici. Dicit nanque Euangelista de Saluatore nostro in sua passione, Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Ecce quæ dicta erant

Innocētius. c. Cū Martha. De celebra. Miss.

Gabr. Biel super cano. Missæ. lect. 39. litera I.

Esaia 53.

Exod. 12. Num. 9.

Ioān. 19.

de agno Paschali legali, uerè asserit Euangelista impleta esse in Christo. Signum manifestum, quòd agnus ille, Christum significabat. Sic etiam multis de causis iustissimis, agnus Paschalis dicitur fuisse præcipua figura huius diuini sacramenti: qui tamen ipse uerè realiter erat agnus & uictima quædam realis. Immo etiam agnus ille memoratiuus erat rei præteritæ, uidelicet liberationis populi Hebræorum ab Aegyptiaca captiuitate & à deuastante angelo, atque simul erat præfiguratiuus Saluatoris nostri, nostri huius sacramenti, & nostræ liberationis per Christum. Erat tamen ipse agnus realiter. Ergo quòd aliquid sit signum, non impedit quo minus sit res. Pariter quòd aliquid sit signum, non prohibet quo minus contineat eam rem, quam significat: quia non repugnant in eadem re, significatio alicuius rei, & continentia ipsius. Maximè dum tam significatio ipsa, quàm continentia, non est ex natura rei, sed Dei beneplacito, pactione, institutione. Nec potest dubitari, præstantiora esse signa, quæ significant, & simul quod significant, continent: præ illis signis quæ non continent, sed significant tantùm. Hinc est enim quòd signa huius generis secundi, idest, solùm significantia & non continentia, dicuntur signa egena, infirma, umbratilia, & alia id genus. Signa uerò illius generis primi, hoc est, significantia & continentia, aliis nominibus nominantur, per oppositum ad nomina aliorum signorum, saltem cum quadam excellentia. Signa generis secundi, fuerunt sacramenta testamenti ueteris. Signa generis primi, sunt sacramenta testamenti noui. Satis probata est hæc ueritas, quantum pertinet ad propositum nostrum de sacramento Eucharistiæ, de quo modò agimus.

S. Tho. par. 3. quæst. 73. art 6.

Signa sunt duplicis generis.

Signa generis secundi.

Signa generis primi.

Christus ergo est in hoc diuino sacramento Eucharistiæ realiter, præsentialiter, & corporaliter, idest, cum suo proprio & uero & reali corpore, quod habet in cœlo. Vigetque hîc ueritas uerbi Dei, & fides in illud. An corpus Christi est in hoc sacramento sicut in loco, uel localiter? Absit. Non nos id dicimus, nec hoc dixit aliquando aliquis Christianus doctus. Oportet enim locum & locatum, quod est in loco aut localiter, esse æqualia. Sed locus ubi

Corpus Christi est in hoc sacramento realiter & corporaliter.

S. Tho. par. 3. quæst. 66. art. 5. 4. Physic.

Corpus Christi non est in hoc sacramẽto sicut in loco aut localiter.

est hoc sacramentum, est multo minor quàm corpus Christi: Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento, sicut in loco, aut localiter. Corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensiuæ, qui est, ut pars ipsius dimensionis respondeat parti loci, & tota toti loco: sed est ibi secundum modum substantiæ, qui est, ut tota substantia sit sub suis dimensionibus: & tota natura substantiæ reperiatur etiam sub qualibet parte dimensionum: ut constat de natura aëris, quæ tota saluatur sub qualibet parte dimensionum suarum. Omne autem corpus locatum, est in loco secundum modũ quantitatis dimensiuæ, in quantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensiuam. Vnde, corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ: eo uidelicet modo, quo substantia continetur à dimensionibus. Succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento, substantiæ panis: Idcirco sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi. Non tamen substantia corporis Christi est subiectum illlarum dimensionum, sicut erat substantia panis. Ideo substantia panis ratione suarum dimensionum, localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum illum, mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum, mediantibus dimensionibus alienis. Ita quòd è conuersò, dimensiones popriæ corporis Christi comparantur ad locum illum, mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati. Ergo nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Substantia corporis Christi in sacramẽto, cõparatur ad locum mediantibus dimẽsionibus alienis.

In hoc igitur sacramento est corpus Christi, estque ibi corporaliter, sed non est ibi localiter. Quomodo est ibi corporaliter, si non est ibi localiter? Non est ibi localiter propter rationes dictas. Est autem ibi corporaliter: quia realiter atque præsentialiter ibi est corpus, illud idem corpus numero, quod est in cœlo. Si hæc philosophia alicui uidetur dura, credat ipse, & intelliget. Ideo paulò ante diximus, quod & modò dicimus, Viget hîc ueritas uerbi Christi,

Christi dicentis, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Atque uiget fides in illud Christi uerbum. Qui hîc non uolunt fidem, fugiunt ad metaphoram. Quæ metaphora si admittatur semel in detorquendis scripturis diuinis, eadem facilitate breui euertet totam scripturam sacrã, & negabit totam uerissimam de Christo historiam Euangelicam. Procul amoueatur ergo talis metaphora, absit, & nunquam appareat. An Christus, seu corpus eius, aut sanguis ponitur in hoc sacramento per motum localem? Minimè, sed ponitur substantia corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento, per conuersionem substantiæ panis & uini in ipsam: ipsa eadem substantia corporis & sanguinis Christi manente in cœlo, in suo loco proprio. Et hîc etiam fides uiget, quam nos magis uolumus quam metaphoram Caluini, destructiuam fidei Christi. Non est ponenda metaphora in diuinis scripturis, nisi ubi & quando nos cogit fides, aut charitas, aut rei impossibilitas, aut necessitas alia: non est autem hîc aliquid tale, ut iam suprà monstrauimus. Matth. 26. Luca 22. Marc. 14.

Hinc profectò mirum est, non de Carolostadio, qui primùm excitauit hunc tumultum, & errorem huius metaphoræ à Berengario ortum, & à Berengario relictum, ut Iudaizaret in eo sicut & in multis aliis accepit: quia, sicut de ipso refert & asserit Philip. Melanchthon, cum esset homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, & quem nullum unquam humanitatis officium, qui eum nouerunt, aut intelligere, aut facere animaduerterunt; non mirum est, quod sic delyrauerit, sed mirum est de Ioanne Caluino, qui aliàs & ingenio præditus non hebeti, & diuinas scripturas atque sanctos patres legisse uidetur: quas & quos utinam audiuisset, quibusque utinam non seipsum solùm præposuisset. Mirum est etiam de Bucero in eo, quòd asserit, nostram sacram Eucharistiam non esse propriè sacramentum, aut non continere corpus Christi, nisi in sola actione communionis: sicut baptismus non est sacramentum, nec continet Spiritum sanctum, nisi in actione lotionis. Qui error, quemadmodum est nouissimus, ita omni fundamento caret; nec aliunde potuit habere or- Tractat. de cœna Domini, contra Anabapt.

tum, nisi ex pura, mera, & crassissima ignorantia ipsorum uerborum Christi, quæ dicuntur sacramentalia, & sunt formæ ipsorum sacramentorum, suo modo. Nam uerbum Christi quoad sacramentum Eucharistiæ, est, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. quod significat & facit simpliciter, absolutè, & substantiuè, consecrationem materiæ, & ponit in ea suo modo ministeriali, instrumentali, aut tanquam causa sine qua non, corpus & sanguinem Christi. Verbum autem Christi quoad sacramentum baptismi est, Ego te baptizo, &c. quod significat & importat non consecrationem alicuius materiæ in se, sed actionem transeuntem in eum, qui baptizatur. Vnde non sunt similia, sed sunt differentissima. Essent autem sine dubio similia, si forma consecrationis Eucharistiæ esset hoc uerbum, Ego te communico de corpore & sanguine Christi. quod diceret sacerdos communicando aliquem. uel, Ego me communico de corpore & sanguine Christi. quod diceret sacerdos communicando seipsum. Tunc illa forma seu illud uerbum, haberet similitudinem cum forma & uerbo baptismi: & consisteret in actione, seu usu sacramentum Eucharistiæ, sicut consistit in actione seu usu sacramentum baptismi. Nunc autem non ita res habet, sed tale est uerbum Christi quoad sacramentum Eucharistiæ, quòd hoc sacramentum specialiter inter omnia sacramenta nouæ legis consistit in consecratione materiæ, & permanet, etiam si per infinitum tempus durarent ipsæ species sacramentales, semel consecratæ.

Olim fuerunt quidam, qui uidentes quòd ueritas debet respondere figuræ, quodque agnus Paschalis Iudæorum, erat figura huius sacramenti, & quòd de agno Paschali non remanebat quicquam usq; mane: existimauerunt, quòd si hoc sacramentum reseruetur in crastinum, non erit ibi corpus Christi. Huic errori obuiauerunt statim patres, qui tūc in humanis agebāt, & illum funditus extirparunt. Et contra eos, qui hunc errorem excitarunt, dixit Cyrillus, ut iam retulimus, Insaniunt quidam, dicentes mysticam benedictionem cessare à sanctificatione, si quæ eius reliquiæ manserint in diem subsequentem: non enim mutatur sa-

Exod. 12.

Cyrillus.

crum corpus Christi, sed uirtus benedictionis & uiuificatiua gratia, iugis in eo est. Si illi eo errore errantes, insaniebant, cum tamen ex ritu & proprietate figuræ acciperent argumentum; quanto magis hi Neochristiani insaniunt, qui sine figura, sine ritu, sine scriptura, sine auctoritate alicuius doctoris sancti, quin potius contra Christi uerbum, contra Christi Ecclesiam, contra Ecclesiasticas traditiones, & contra omnes doctores sanctos, dicunt nõ esse hoc uerum sacramentum Eucharistiæ nec cõtinere corpus Christi, nisi solo tempore communionis, non antea, nec postea? Excedit, superatque error horum, errorem illorum. At illi insaniebant, ergo multo magis hi insaniũt. Fuit agnus ille Paschalis, figura huius nostri sacramenti, ueritas etiam respondet figuræ. Sed utique figura non potest adæquare hanc ueritatem. Vnde hæc ueritas respondet illi figuræ, simul autem excedit illam figuram: pariter excedit omnes figuras suas, quæ pro tempore præcesserunt, tum distributiuè, tum collectiuè sumptas. Quamobrem multa reperiuntur in hoc diuino sacramento, quæ non erãt in figuris eius. Et quid multa? Nemo mihi dubitare potest, quinetiam manna fuerit figura huius diuini & admirabilis sacramenti. Manna autem in uasculo seruabatur formato instar calicis, quo nunc quoque utimur in templis; sicut numismate Iudaico in siclis uidetur consignata inscriptio talis, VRNA MANNAE. Seruabatur ergo manna olim in arca, seruabaturque arca in templo; eratque in magno honore, & ueneratione. Ab hac igitur figura & nos quoque habemus, ut nostram sacram Eucharistiam in nostris sacrariis, & in nostris templis, seruemus cum magno honore, ueneratione, & reuerentia, ad nostram consolationem, deuotionem, & utilitatem spiritalem. Manet enim consecratio eius, sicut etiam omnes aliæ consecrationes immobiliter manent, permanentibus rebus consecratis: unde non iterantur. manentibus, inquam, rebus consecratis, id est, in suis formis. Corpus ergo Christi, Manna uerissimum & altissimum, manet in hoc sacramento, non solùm in crastino, sed etiam in futuro: quousque species sacramentales manent. Quibus cessantibus, desi-

S. Tho. par. 3. quæst. 76. art. 6. ad 2. & 3. arg.

Figura non adæquat ueritatẽ, licèt quidẽ ueritas respondeat figu.

Exod. 15. Deute. 10. 2. Para. 25 Exo. 16. Hebr. 9.

Manna seruabatur in arca, & in templo.

S. Tho. ubi statim. ad 2. arg.

Cõsecrationes immobiliter manẽt, rebus consecratis manentibus in suis formis.

Quādo & quo desinat esse corpus Christi i sacramento. S. Tho. ubi statim. ad 3. arg.

nit esse corpus Christi sub eis: non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species: per quem modum Deus desinit esse dominus creaturæ desinentis.

Ioan. 1.

In principio igitur erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ & ueritatis. De plenitudine eius omnes accepimus. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã. Quique ascẽdit in cœlum, & sedet à dextris Dei. Ipsemet est, qui habitat in Ecclesia triumphante, in propria specie: & ipsemet est, qui habitat nobiscum in Ecclesia militante, sub speciebus alienis, uidelicet panis & uini, in hoc diuino sacramento. Ipse nanque dixit, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Sic, Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis. quem etiam habemus nunc, sub speciebus panis & uini, ad omnem usum decentem, nobis salutarem; ut ipsum offeramus, ut ipsum manducemus, ut ipsum adoremus, ut ipsum seruemus ad consolationem nostram, ut ipsum cum honore & gratiarum actione circunferamus, cantantes, & psallentes Deo, in psalmis, & hymnis, & canticis spiritalibus.

Matt. 26. Marci 14. Lucæ 22. Matth. 28

Durandus. lib. 4. dist. 11. quæst. 1.

Bene notat Durandus, quòd inter omnia miracula, quæ continet fides nostra, istud sit unum de maximis: scilicet quòd corpus Christi manens in cœlo localiter, & circunscriptiuè, sit simul in hoc sacramento: uidelicet non localiter, nec circunscriptiuè, nec diffinitiuè, sed modo alio altissimo. Ideo fides hîc exigitur, fides urgere debet, & fide nobis agendum; ut non dicamus cum Capharnaitis, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Sed ut credamus cum patribus nostris, & simus eius fidei cum illis, & cum illis postea ab auctore ipsius fidei coronemur. Magnum est hoc miraculum; sed non quia est magnum, ideo est negandum; quin potius, quia est magnum, est maximè considerandum, maximè credendũ, maximè gratiarum actione prosequendum.

Ioan. 6.

Vigeat ergo fides, Et sit una in nobis, quæ fuit in sanctis patribus, & est etiam modò in Ecclesia Dei, fuitque semper, semperque erit.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator dominus; escam dedit timentibus se. Est autem nostra hæc esca diuina excellentior præstantiorque absque comparatione, supra illam magnam admodum escam antiquam, quæ hanc nostram adumbrabat tanquam eius figura, supra modum deficiens & non adæquans hanc nostram ueritatem, utpote, quod hæc nostra esca, & hæc nostra cœna, significat quidem, & continet uerè, realiter, atque præsentialiter Christum Saluatorem nostrum. *Psal. 110.*

Referuntur & diluuntur fundamenta aduersariorum, quibus ipsi suum errorem statuunt. CAP. XXIII.



Caluinus non semel, quod in nostris sententiis Catholicis negare non potest, confitetur: sed idipsum, quod confessum habet, statim labefactare conatur: ut nostram catholicam, atq; ueram doctrinam à suis nugis excludat, & suam falsam introducat. Sic facit in proposito, uidet hanc nostram sententiam de reali corporis Christi existentia in cœna dominica esse antiquam; & ut hanc antiquitatem eius infirmet ac quatiat, dicit illam ab hinc sexcentos annos ortum habuisse. Videt illam esse multorum doctorum, omnium etiam sanctorum, & ut hanc auctoritatem euertat aut fugiat, asserit ueteres doctores Sorbonicos subtilius disputasse, quomodo corpus & sanguis cum signis coniunctum sit: quasi soli doctores Sorbonici hanc ueritatem calculis suis approbauerint. Videt hanc doctrinam esse fuisseq; semper in Ecclesia Christiana, & ut suos deludat, ait, hanc opinionem receptam esse à summis & infimis in Ecclesia Papali: quasi Ecclesiam Papalem ab Ecclesia Christiana abiiciat, quasi eam paruipendat, quasi nihili faciat. *Caluinus in libello de Cena Domini.*

Nos autem contra hæc Caluini insana commenta & perniciosissimas technas, hoc unum hîc facimus, & hoc uno

contenti sumus: quod uidelicet in hoc libro catalogos sanctorum doctorum recentiorum iuxta & antiquorum ponimus, qui apertè dixerunt corpus Christi esse uerè, atque realiter in hoc diuino sacramento, etiam per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Ex prædictis enim catalogis constat palàm, eos doctores esse etiam alios à Sorbonicis; constat eos fuisse ante mille, & ante mille centum, atque etiam ante mille & ducentos annos: & constat eos esse fuisseque ex Ecclesia Christi, atque ex Ecclesia Papali, pro qua & pro cuius debita obedientia multa dixerunt, ex quibus in sequenti libro nonnulla afferuntur. Voluerunt enim, ut constat ex eorum manifestis testimoniis, & ita docuerunt, neminem esse ex Ecclesia Christi quantum ad statum salutis, qui non fuerit ex Ecclesia Papali, qui Ecclesiam Papalem reliquerit, qui Ecclesiam Papalem scienter non acceperit. De his, inferius multa. *Lib. 3.*

Argumenta Caluini contra realem Christi existentiam in hoc sacramento.

Caluinus in libello de Cœna Domini. Iam si quærimus in Caluino diligenter, quibus argumentis probare nititur cœnam Domini esse atq; fuisse solùm significatiuam & symbolicam, non autem contentiuam Christi ueri cibi spiritalis animarum; reperiemus esse, fuisse aut esse duo potissima, quæ apud ipsum primum obtinuere locum: Alterum, quia putauit quòd existentia realis corporis Christi in hoc sacramento, est contrà naturæ humanæ ipsius ueritatem. Alterum, quia putauit, quòd existentia Christi huiusmodi, derogat gloriosæ eius conditioni & ascensioni. Quasi dicat, Si est in cœlo gloriosè triumphãs, quomodo est in sacramento? Si uera est eius natura humana, quomodo in sacramento continetur? Verba eius sunt in suo libello, de cœna Domini. *Caluini uerba.* Sic itaque duo nobis considerãda sunt, cum de Christi humanitate uerba facimus, Primum, ne ueritati naturæ ipsius detrahamus: deinde ne derogemus gloriosæ eius conditioni. Quod ut ritè obseruemus, erigendæ sunt in cœlum mentes, ut ibi redemptorem nostrum quæramus. Nam si uelimus eum sub elemen-

ta mundi corruptibilia abiicere, cum ea destruemus, quæ de humana eius natura scripturæ testantur, tum etiam gloriosam ipsius ascensionem in nihilum redigemus. Hæc ille.

Responsiones Catholicæ.

Ecce talia sunt argumenta Caluini, qualia non formaret unquam, aut recens theologiæ initiatus, aut aliquis pius fidelis Christianus. Quòd enim ait, Sic itaque duo nobis consideranda sunt, cum de Christi humanitate uerba facimus; Primùm, ne ueritati naturæ ipsius detrahamus; Deinde ne derogemus gloriosæ eius conditioni. Vtique uerum, idest, iustum, pium, sanctum, bonum, & catholicum: qualia ò utinam fuissent omnia eius dicta. Quòd autem Caluinus putat sibi & prædicat suis discipulis, realem & corporalem corporis Christi existentiam in hoc diuino sacramento, ueritati naturæ ipsius detrahere, & gloriosæ eius conditioni derogare, falsissimum est, iniustum impium, malum, hæreticum, & infidele.

Responsiones Catholicæ.

Sicut enim non detrahit ueritati naturæ humanæ in Christo Saluatore nostro, quòd corpus eius sanctissimum formatum fuit ex purissimis sanguinibus Virginis sine uirili semine, quod natum est ex sanctissima Virgine, ipsa existente atque semper permanente Virgine, quòd supra marinos uertices ambulauit, quod ianuis clausis ad discipulos est ingressum, quod quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit, nihil comedens, ac nihil bibens, quod contactu suo glorioso multa miracula facta sunt, quod clauso sepulchro inde exiuit, & quod tandem uidentibus discipulis eleuatum est, & nubes suscepit illud ab oculis eorum. & similia; Sic profectò eodem modo eisdemq; rationibus, non detrahit ueritati naturæ humanæ in Christo, quòd corpus eius id ipsum realiter existat præsentialiter in sancto sacramento Eucharistiæ. Omnia enim ista sunt supra humanæ naturæ uires, & superant naturalem rationem: unde in

omnibus his uiget diuina potentia, diuina gratia, diuina charitas, diuina benignitas. Atque non secus in omnibus his uigere debet non noster sensus, sed nostra fides.

Dicit Caluinus, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum, realiter ac præsentialiter? Verbum est Iudaicum, paruæ intelligentiæ, paruæ etiam aut nullius fidei. Quam ob rem, nos Caluino dicimus, Quod non capis, quod non uides: animosa firmat fides, præter rerum ordinem. Hæc non euidenter in hoc sæculo ostenduntur, sed fide proponuntur, fide probantur, & argumenta, quæ in contrarium fiunt, fide dissoluuntur. Fides proponit & probat has ueritates altissimas: & fides soluit omnia argumenta, quæ fiunt in oppositum.

Ioan. 6.

Cæterùm, Saluator noster in cœlum quidem receptus est, ibiq; mansurus, quoad descendat ad iudicandum Orbem; ibi uiuit, ibi regnat, ibi triumphat, ibi beatificat. Sed huic eius conditioni, triumpho, aut gloriæ, nullo modo repugnat nec ullo modo derogat, quòd ipse realiter, præsentialiter & corporaliter existit in hoc augustissimo sacramento Eucharistiæ: quia hæc eius existentia in sacramento nec tollit, nec ullo modo minuit eius existentiam in cœlo. Vnum enim numero est corpus Christi in cœlo, & in sacramento: sed modus existendi hîc & ibi, est diuersus. Existit nanque in cœlo corporaliter circunscriptiuè: existit autem in sacramento corporaliter sacramentaliter. Qui duo modi existendi, qui, aut quales sunt, uel quomodo inter se differunt, & apud omnes theologos est natum, & apud omnes fideles ex iam dictis potest esse manifestum.

Christus ergo in cœlo existit corporaliter circunscriptiuè in tota gloria sua. corporaliter, inquam, secundum corpus suum: & simul hoc primo in nihilo imminuto, Christus ipse in sacramento Eucharistiæ existit corporaliter sacramentaliter. Eodem modo intelligendo corporaliter, secundum suum corpus. Nunquid hoc secundum derogat illi primo? absit. Quin potius hoc secundum exaltat magis, magisque commendat illud primum, in Christi misericordia, clementia, benignitate, atque charitate: quæ

tanta

tanta est, ut cùm Christus iam in cœlis existat triumphans cum membris suis beatis, uult etiam esse & est corporaliter in hoc sacramento cum membris suis adhuc laborantibus in hac peregrinatione. Sic omnia aptans, ut quemadmodum sua Ecclesia triumphās illum habet præsentialiter, realiter, & corporaliter uno modo, idest, circunscriptiuè; ita sua Ecclesia militans eum habeat præsentialiter, & realiter, & corporaliter alio modo, id est, sacramentaliter. Et de isto singulari modo, quo Christus existit nobiscum in sacramento hoc mirabili, supra illum modum communem, quo ipse est nobiscum per gubernationem, etiam intelliguntur eius uerba, quibus ait, Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Vt multi sancti patres optimè intellexerunt. Exaltat ergo hoc secundum, illud primum, in multis iam dictis, præsertim uerò in Christi charitate, & optima prouidentia. Matth. 28.

CHRYSOSTOMVS.

Chrysostomus in de Sacerdotio, inquit, O' miraculum, ò Dei benignitatem. Qui cum Patre sursum sedet in illo ipso temporis articulo (nempe post uerba Christi operatoria) omnium manibus pertractatur, ac ipse se tradit uolentibus ipsum excipere ac complecti. Fit autem id nullis præstigiis, sed apertis ac circumspicientibus circūstantium omnium oculis: Et ne existimet aliquis hoc illi excidisse, passim ferè ita loquitur. Lib. 3.

Idem enim auctor super Apostolum ad Corinthios inquit, Cùm mors accepisset corpus Christi, quia continere non poterat, rursus euomuit, & radios ad ipsum supernum thronum dimisit. Illuc nāque ipsum extulit, quod nobis etiam exhibuit: & ut teneremus & manducaremus, quod maximum dilectionis signum est. Quos enim amamus, nonnunquam morsu etiam petimus. Corin. 1. Homil. 24.

Idem auctor in eodem loco ait. Quod summo honore dignum est, id in terra ostendam. Nam quemadmodum in regiis non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens omnium præstātissimum est; ita quo- Ead. homil.

que in cœlis regium corpus, quod nunc in terra uidendum tibi proponitur, neque angelos, neque archangelos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium tibi dominum ostendo. Animaduertis quo nam pacto, quod omnium maximum est, atque præcipuum in terra, non conspicaris tantùm, sed tangis: neque solùm tangis, sed comedis: & eo accepto, domum redis. Absterge igitur ab omni sorde animam tuam.

Homil. 3. Idem autor super epistolam ad Ephesios dicit, Recolite quia illius corpus est & sanguis, qui supra cœlos residet, qui ab angelis suppliciter adoratur. Illius, inquam, qui proximè assistit immortali Dei potentiæ. Huius delibamus sanguinem, & proprium corpus nobis sumendum tradidit.

Homil. 2. Idem auctor ad populum Antiochenum declamans & enarrans locum de pallio Heliæ donato Helisæo, sic docet, Helias melotem discipulo reliquit, filius autem Dei ascendens, suam nobis carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus, Christus autem & eam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.

Idē auctor in Liturgia Idem auctor in sua Liturgia ita orat, Qui suprà unà cū patre sedes, & hîc unà nobiscum inuisibiliter uersaris, dignare potenti manu tua nobis impartiri impollutum corpus tuum, & preciosum sanguinem, & per nos toti populo.

Hæc igitur ò Caluine, sancta uerba sancti Ioannis Chrysostomi, ò miraculum, ò Dei benignitatem. Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo (nempe post uerba Christi operatoria) omnium manibus pertractatur, &c. Hæc est etiam doctrina omnium sanctorum patrum aliorum, quotquot unquam fuerunt, ut constat ex allegatis eorum dictis. Omnes autem sancti patres huiusmodi, optimè nouerunt, firmiterque crediderunt omnes articulos fidei nostræ, & particulariter etiam atque explicitè hos duos articulos, tum de uera Christi natura humana, tum de eius gloriosa ascensione in cœlum.

Quomodo ergo ita docuerunt, de uera, reali, atque corporali existentia corporis Christi in hoc sacramento? Quia cum planè cognouissent idem corpus Christi uerum & gloriosum, quod modo est in cœlo, esse simul in hoc sa-

cramento gloriosum etiam & impassibile, atq; cum omnibus sibi inhærentibus realiter, dotibus, qualitatibus, & cætera: firmiter crediderunt, id quod est uerissimum, hanc eius realem & corporalem existentiam, nec detrahere ueritati naturæ suæ humanæ, nec derogare eius conditioni gloriosæ. Vnde in hac existentia, maximè commendauerunt Christi potentiam infinitam, & Christi erga nos, & suam Ecclesiam militantem, summam immensamque dilectionem. Sicut re uera hîc uiget infinita omnipotentia, & immensa charitas. Quemadmodum Chrysostomus, ait, O' miraculum, ò Dei benignitatem.

SANCTVS Thomas.

Corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento & in propria specie, sed non eodem modo. Nam in propria specie contingit circunstantia corpora per proprias dimensiones, non autem prout est in hoc sacramento; ut supra dictũ est. Et ideò quicquid pertinet ad Christum, secundum quod in se est, potest attribui ei & in propria specie, & in sacramento existenti: sicut uiuere, mori, dolere, animatum uel inanimatũ esse, & cætera huiusmodi. Quæcunque uerò conueniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in sacramento: sic irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, & cætera huiusmodi. Vnde & quidam metricè dixerunt, *par. 3. quæst. 81. art. 4.*

Pixide seruato poteris sociare dolorem
Innatum, sed non illatus conuenit illi.

Ita omnes doctores catholici dixerunt, quærentes ac determinãtes quæstionem, Vtrùm, si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset seruatum uel consecratum, ibi moreretur? Est autem hæc communissima atque uerissima doctrina, eo omnibus manifesta, quia utique corpus Christi tale est in sacramento, quale est in seipso: licèt modus essendi sit diuersus, prout est satis explicatum.

Hinc est quòd in cœna fuit in hoc sacramento corpus Christi passibile, ac mortale, quia tunc in seipso erat pas-

ſibile ac mortale. Nunc autem in hoc ſacramento eſt corpus Chriſti non paſsibile nec mortale, ſed immortale & glorioſum; quia in ſeipſo eſt in cœlo tale, id eſt, immortale & glorioſum.

Hunc ergo errorem Caluini & nonnullorum noſtrorum aduerſariorum, qui cum Caluino terrenè ſapiunt, tenuerunt etiam alij aduerſarij fidei Catholicæ, ut conſtat ex dictis: atque ad eum aſtruendum nonnulla etiam Auguſtini dicta conabantur adducere, quæ inſuper quidam noſtri aduerſarij huius temporis pro eodem adducunt. His omnibus, nos nunc reſpondere tenemur: ſed quia multi ſancti & catholici patres hoc ipſum fecerunt ante nos, magis placet ut eorum dicta repetamus, quibus ipſi hunc errorem cum ſuis fundamentis retulerunt, & omnia abiecerunt, errorem damnando, fundamenta autem erroris ſoluendo, eneruando, atque diluendo.

Verba Magiſtri narrantis & referentis.

Lib. 4. diſt. 10. Magiſter ſententiarum ita dicit, Sunt & alij præcedentium inſaniam tranſcendentes, qui Dei uirtute iuxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculoſius ueritati contradicunt: aſſerentes in altari non eſſe corpus Chriſti uel ſanguinem; nec ſubſtantiam panis uel uini in ſubſtantiam carnis & ſanguinis conuerti: ſed ita Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt còrpus meum: ſicut Apoſtolus dixit, Petra autem erat Chriſtus. Dicũt enim ibi eſſe corpus Chriſti tantùm in ſacramento, id eſt, in ſigno, & tantùm in ſigno manducari à nobis. Qui errandi occaſionem ſumunt à uerbis ueritatis, unde prima hæreſis facta eſt in diſcipulis *Ioan. 6.* Chriſti. Cum enim diceret, Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit uitam æternam: illi non intelligentes dixerunt, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? & abierunt retro. Illis decedentibus, inſtruxit duodecim, qui remanſerant. Spiritus *Augu ſuper pſal. 94. nõ longè à fine enarratiõ.* eſt, inquit, qui uiuificat, caro nihil prodeſt. Verba, quæ locutus ſum uobis, ſpiritus & uita ſunt. Intellexiſti carnaliter? etiam ſic ſpiritus & uita ſunt, ſed tibi non ſunt. Spi-

ritualiter intellige, quæ locutus sum. Nō hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod uobis commendaui, spiritualiter intellectum uiuificabit uos: caro autem non prodest quicquam. Sunt etiam & alia, illorum insaniæ fomitem ministrantia. Ait enim Augustinus, Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen etiam hîc nobiscum est ueritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, in uno loco esse oportet; ueritas autem eius ubique diffusa est. Item, Vna persona est Deus & homo; ubique per id, quod est Deus in cœlo; per id, quod homo est Christus. Dicit etiam, Pauperes semper habebitis uobiscum: me autem non semper habebitis. His aliisque utantur præfati hæretici in assertionem sui erroris. Ita Magister refert errorem, cum fundamentis eiusdem erroris.

nis in illum psal. tom. 8. Ioan. 6.

August. ad Dardanū. Epist. 57. nō lōgè à principio. tom. 2. Matth. 26.

Verba Magistri determinantis, soluentis & respondentis.

Quæ ex eadem ratione, omnia accipienda sunt. Non enim uerbis his negatur uerum corpus Christi à fidelibus sumi, uel in altari esse: sed his ueritas Apostolos, & in eis nos instruxit, quòd ipsius corpus non per partes discerptū, ut putauerunt illi discipuli, qui retro ierunt, sed integrum, nec uisibiliter in forma humana, sed inuisibiliter sub forma panis & uini, corpus & sanguinem nobis traderet. Quem sensum Augustinus confirmat, dicens, ipsum quidem, & non ipsum corpus, quod uidebatur, manducatur: ipsum quidem inuisibiliter, non ipsum uisibiliter. Item, Si necesse est illud celebrari, necesse est tamen inuisibiliter intelligi. Ita etiam intelligendum est corpus Christi esse in uno loco, scilicet uisibiliter in forma humana: ueritas tamen eius, id est, diuinitas ubique est: ueritas etiam eius, id est, uerum corpus in omni altari est, ubicunque celebratur. Sic etiam illud intelligēdum est, Pauperes semper habebitis uobiscum: me autem non semper habebitis. secundum corporalem præsentiam, scilicet qua cum eis conuersabatur. Similiter per id, quod homo est, in cœlo est, scilicet uisibi-

Magister ibid.

Augustinus Ioan. 6.

August. in epist. ad Hieronym. De consecr. dist. 2. c. Nō hoc.

ſibile ac mortale. Nunc autem in hoc ſacramento eſt corpus Chriſti non paſsibile nec mortale, ſed immortale & glorioſum; quia in ſeipſo eſt in cœlo tale, id eſt, immortale & glorioſum.

Hunc ergo errorem Caluini & nonnullorum noſtrorum aduerſariorum, qui cum Caluino terrenè ſapiunt, tenuerunt etiam alij aduerſarij fidei Catholicæ, ut conſtat ex dictis: atque ad eum aſtruendum nonnulla etiam Auguſtini dicta conabantur adducere, quæ inſuper quidam noſtri aduerſarij huius temporis pro eodem adducunt. His omnibus, nos nunc reſpondere tenemur: ſed quia multi ſancti & catholici patres hoc ipſum fecerunt ante nos, magis placet ut eorum dicta repetamus, quibus ipſi hunc errorem cum ſuis fundamentis retulerunt, & omnia abiecerunt, errorem damnando, fundamenta autem erroris ſoluendo, encruando, atque diluendo.

Verba Magiſtri narrantis & referentis.

Lib. 4. diſt. 10. Magiſter ſententiarum ita dicit, Sunt & alij præcedentium inſaniam tranſcendentes, qui Dei uirtute iuxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculoſius ueritati contradicunt: aſſerentes in altari non eſſe corpus Chriſti uel ſanguinem; nec ſubſtantiam panis uel uini in ſubſtantiam carnis & ſanguinis conuerti: ſed ita Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum: ſicut Apoſtolus dixit, Petra autem erat Chriſtus. Dicũt enim ibi eſſe corpus Chriſti tantùm in ſacramento, id eſt, in ſigno, & tantùm in ſigno manducari à nobis. Qui errandi occaſionem ſumunt à uerbis ueritatis, unde prima hæreſis facta eſt in diſcipulis *Ioan. 6.* Chriſti. Cum enim diceret, Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit uitam æternam: illi non intelligentes dixerunt, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? & abierunt retro. Illis decedentibus, inſtruxit duodecim, qui remanſerant. Spiritus *Augu ſuper pſal. 94. nõ longè à fine enarratio-* eſt, inquit, qui uiuificat, caro nihil prodeſt. Verba, quæ locutus ſum uobis, ſpiritus & uita ſunt. Intellexiſti carnaliter? etiam ſic ſpiritus & uita ſunt, ſed tibi non ſunt. Spi-

ritualiter intellige, quæ locutus sum. Nō hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod uobis commendaui, spiritualiter intellectum uiuificabit uos: caro autem non prodest quicquam. Sunt etiam & alia, illorum insaniæ fomitem ministrantia. Ait enim Augustinus, Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen etiam hîc nobiscum est ueritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, in uno loco esse oportet; ueritas autem eius ubique diffusa est. Item, Vna persona est Deus & homo; ubique per id, quod est Deus in cœlo; per id, quod homo est Christus. Dicit etiam, Pauperes semper habebitis uobiscum: me autem non semper habebitis. His aliisque utantur præfati hæretici in assertionem sui erroris. Ita Magister refert errorem, cum fundamentis eiusdem erroris.

nis in illum psal. tom. 8. Ioan. 6.

August. ad Dardanū. Epist. 57. nō lēge à principio. tom. 2. Matth. 26.

Verba Magistri determinantis, soluentis & respondentis.

Quæ ex eadem ratione, omnia accipienda sunt. Non enim uerbis his negatur uerum corpus Christi à fidelibus sumi, uel in altari esse: sed his ueritas Apostolos, & in eis nos instruxit, quòd ipsius corpus non per partes discerptū, ut putauerunt illi discipuli, qui retro ierunt, sed integrum, nec uisibiliter in forma humana, sed inuisibiliter sub forma panis & uini, corpus & sanguinem nobis traderet. Quem sensum Augustinus confirmat, dicens, ipsum quidem, & non ipsum corpus, quod uidebatur, manducatur: ipsum quidem inuisibiliter, non ipsum uisibiliter. Item, Si necesse est illud celebrari, necesse est tamen inuisibiliter intelligi. Ita etiam intelligendum est corpus Christi esse in uno loco, scilicet uisibiliter in forma humana: ueritas tamen eius, id est, diuinitas ubique est: ueritas etiam eius, id est, uerum corpus in omni altari est, ubicunque celebratur. Sic etiam illud intelligēdum est, Pauperes semper habebitis uobiscum: me autem non semper habebitis. secundum corporalem præsentiam, scilicet qua cum eis conuersabatur. Similiter per id, quod homo est, in cœlo est, scilicet uisibi-

Magister ibid.

Augustinus Ioan. 6.

August. in epist. ad Hirenæum. De consecr. dist. 2. c. Nō hoc.

liter: inuiſibiliter autem eſt in altari, quia non in forma humana apparet, ſed forma panis & uini operitur. Vnde & inuiſibilis caro eius dicitur, quæ uerè eſt in altari. Sed quia in ſpecie ſua non apparet, inuiſibilis dicitur: ait enim Auguſtinus, Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, uiſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri IESV Chriſti carne & ſanguine: Sacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti: ſicut & Chriſti perſona conſtat & conficitur ex Deo & homine, cũ Chriſtus ſit uerus Deus & homo: quia omnis res illarum rerum naturam & ueritatem in ſe continet; ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ duobus, ſacramento, & re ſacramenti, id eſt corpore Chriſti. Eſt ergo ſacramentum & res ſacramenti, idem corpus Chriſti. Ecce inuiſibilem dixit carnem Chriſti, quia forma panis operta ſumitur & tractatur. Idemque corpus Chriſti dixit eſſe ſacramentum & rem: ex quo confirmatur quod ſupra diximus. Deinde addit quod magis mouet lectorem; Caro, inquit, eius eſt, quam ſub forma panis opertam in ſacramento accipimus: & ſanguis eius, quem ſub uini ſpecie ac ſapore potamus. Caro uidelicet carnis, & ſanguis ſacramentum eſt ſanguinis: carne & ſanguine, utroque inuiſibili, intelligibili, & ſpirituali ſignificatur corpus Chriſti uiſibile & palpabile, plenum gratia & diuina maieſtate.

In libro ſen tẽ. Proſperi. De conſecr. diſt. 2. c. Hoc eſt.

Ibidem ut ſupra.

Verba Magiſtri declarantis, quæ ſit intelligentia præmiſſorum.

Attende iis diligenter, quia tropo quodam utitur hîc Auguſtinus, quo ſolent res ſignificantes, rerum ſortiri uocabula, quas ſignificant. Hîc enim uiſibilis ſpecies panis, uocatur nomine carnis, & uiſibilis ſpecies uini, nomine ſanguinis, inuiſibilis uerò & intelligibilis dicitur caro Chriſti, quia ſecundum illam ſpeciem non uidetur caro, ſed intelligitur: ita & ſanguis. Caro ergo, inuiſibilis dicitur eſſe, ſacramentum carnis uiſibilis: quia ſpecies panis, ſecundũ quam illa non uidemus, caro eſt ſacramentum carnis uiſibilis: quia in carne inuiſibili, id eſt ſpecie, ſecundum quam

caro Christi non uidetur caro, significatur corpus Christi, quod est uisibile & palpabile, ubi in sua forma apparet. Ita & de sanguine accipi debet. Quem sensum confirmat Augustinus, aperiens qualiter prædicta intelligenda sint, quia obscurè dixerat: consequenter dicens, ita panem uocari corpus Christi, cum uerè sit sacramentum corporis Christi, quod in cruce positum est: sicut ipsa immolatio, quæ fit manibus sacerdotis, uocatur Christi passio, non rei ueritate, sed significandi mysterio: & sicut sacramentum fidei dicitur fides.

De consecr. dist. 2. Hoc est quod dicimus. paragr. Sicut ergo.

Verba Magistri concludentis contra aduersarios.

Satis responsum est hæreticis, & obiectionibus eorum, qui negant uerum corpus Christi in altari esse, & panem in corpus, uel uinum in sanguinem mystica consecratione conuerti, dicentes, Quis audeat manducare dominum suum. Quis etiam audeat dicere, quotidie formari corpus Christi de materia uel substantia, quæ non fuit caro Virginis?

Sic Magister sententiarum ex Augustino respondet omnibus obiectionibus, quas formant aduersarij ex uerbis eiusdem Augustini perperam intellectis: ostendens, Augustinum semper tenuisse, credidisse, atque prædicasse, hanc nostram ueritatem Catholicam de uera, atque reali & corporali Christi existentia, atque præsentia in hoc sacramento diuino.

S. THOMAS.

S. Thomas idem fecit omnino. Tenebat enim sicut semper tenuit cum aliis sanctis patribus, hanc nostram ueritatem Catholicam de existentia reali corporis Christi in hoc sacramento secundum ueritatem rei ipsius. Videns autem quòd hæretici in confirmationem sui erroris, quem hodie errans sequitur Caluinus, adducebant illud Augustini super Psalm. 98. Spiritualiter intelligite, quæ locutus sum: non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis, &c. &

par. 3. quæst. 75. art. 1.

illud aliud Augustini, Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus, &c. respondet his omnibus exactissimè.

Ibidem ad primum argum. Ad primum enim horum dicit, Ex hac auctoritate prædicti hæretici occasionem errandi sumpserunt, malè uerba Augustini intelligentes. Cum enim Augustinus dicit, Non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis, non intendit excludere ueritatem corporis Christi, sed quòd non erat manducandum in hac specie, in qua ab eis uidebatur. Per hoc autem quod subdit, Sacramentum uobis aliquod commendaui, spiritualiter intellectum uiuificabit uos. nō intendit quòd corpus Christi sit in hoc sacramento solùm secundum mysticam significationem, sed spiritualiter dici, idest impassibiliter, & per uirtutem Spiritus. Vnde super Ioannem exponens id, quod dicitur, Carò non prodest quicquam, dicit, Sed quomodo illi intellexerunt? carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello uenditur: non quomodo spiritu uegetatur. Accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimùm. Nisi caro, nihil prodesset, Verbo caro non fieret, ut habitaret in nobis. Hæc ille.

Ibidem ad secundum arg. Ad secundum autem horum ait, Verbum illud Augustini & omnia similia sunt intelligenda de corpore Christi, secundum quod uidetur in propria specie, secundum quod etiam ipse Dominus dicit Matth. 26. Me autem non semper habebitis, inuisibiliter tamen sub speciebus huius sacramenti est, ubicunq; hoc sacramentum perficitur. Hæc ille.

Gabriel Biel.

Lect. 39. litera O. Gabriel Biel super canonem Missæ eodem modo se habet; confitetur enim hanc ueritatem Catholicam, quàm cōfiremur: Quia uerò hæretici uerba quædam Augustini allegabant in oppositum, respondendo Gabriel, dicit contra eos, Verba uerò beati Augustini, suprà pro sua hæresi allegata, Magister. distin. 10. quarti, determinat, dicens, Non his negat Augustinus corpus Christi à fidelibus sumi, uel esse in altari; sed his ueritas Apostolos & in eis nos instruxit, quòd ipsius corpus non per partes discerptum, ut

putauerunt

putauerunt illi discipuli, qui retro ierunt, sed integrum: nec uisibiliter in forma humana; sed nobis inuisibiliter sub forma panis & uini, corpus & sanguinem traderet. Quem sensum beatus Augustinus confirmat, dicens, Ipsum quidem, & non ipsum corpus, quod uidebatur, manducabatur: ipsum inuisibiliter, non ipsum uisibiliter. Item & si necesse est illud uisibiliter celebrare; necesse est tamen inuisibiliter intelligi: ita etiam intelligendum est, corpus Christi esse in uno loco, uidelicet uisibiliter in forma humana. Veritas tamē eius, idest diuinitas, ubiq; est: ueritas etiam eius, id est, uerum corpus in omni altari est, ubicunque celebratur. Sic etiam illud intelligendum est, Pauperes semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis. secundum corporalem præsentiam, secundum quam cum eis conuersabatur. Similiter & illud, quod homo est, in cœlo est uisibiliter: inuisibiliter autem est in altari, quia non in forma humana apparet, sed forma panis & uini operitur. Vnde & inuisibilis eius caro dicitur, quæ uerè est in altari: sed quia non in specie sua apparet, dicitur inuisibilis. Ait enim Augustinus, Sacrificium Ecclesiæ duobus cōstat, uisibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri IESV Christi carne & sanguine: sacramento, & re sacramenti, idest corpore Christi. Ecce inuisibilem dixit carnem Christi, quia forma panis operta sumitur, & tractatur. Hæc ille.

Ita omnes doctores sancti & catholici, ubique & semper intellexerunt Augustinum, ex Augustino: & ita re uera, est Augustinus intelligendus.

Alia obiecta aduersariorum.

Instant præterea aduersarij ex Augustino contra Adimantum Manichæi discipulum, dicente, Dominus non dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cùm sui corporis daret signum. Atq; iterum ex Augustino in præfatione Psalmi 3. ubi inquit, Miranda Domini patientia, quòd Iudam adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis figuram discipulis commendauit, & tradidit. August. cap. 12.

Responsio Catholicorum.

Nos autem respondendo ex Augustino, dicimus, Hæc est aduersariorum uel insania, uel inscitia, qua uel Augustinum non legunt, uel Augustinum non intelligunt, uel de mente, aut uera & catholica doctrina Augustini non curãt.

Vsitatissimum est apud Augustinum, quòd sacrosanctum sacramentum Eucharistiæ appellat signum, aut etiam figuram corporis & sanguinis Christi: & iterum quòd ipsum sacramentum, tropo quodam, & modo loquendi (quo solemus signa aliquarum rerum nominare eisdem nominibus, quibus nominamus res ipsas) appellat carnem Christi & sanguinem. Sic etiam non est ignotum, apud Augustinum istud pronomen, Hoc, in hac locutione, Hoc est corpus meum. demonstrare quandoque species panis: & uerbum, Est, accipi tunc non substantiuè, sed repræsentatiuè: ut sit sensus, Species, quæ uidentur, significant corpus Christi realiter adesse. Iuxta quam doctrinam, doctores theologi, Catholici & doctissimi, disertè satis tradẽtes, docent, istud pronomen, Hoc, in hac enunciatione, Hoc est corpus meum. posse accipi, uel prout demonstret ad sensum, uel prout demonstret ad intellectum. Si accipiatur, ut demonstrans ad sensum, tunc demonstrat species panis: & uerbum, Est, accipitur non substantiuè, sed repræsentatiuè, aut significatiuè. Si autem accipiatur, ut demonstrat ad intellectum, & fidem, tunc demonstrat contentum sub illis speciebus: & uerbum, Est, accipitur substantiuè, effectiuè, atque operatoriè. Vt sensus huius uerbi consecrationis sit hic, Contentum, uel substantia, quæ est sub his speciebus panis, est corpus meum: ut demonstratio, quo ad species sit certa; sed indeterminata quoad substantiam contentam. Hæc est communis theologia, uera & catholica; quam Augustinus & omnes sancti doctores olim insinuarunt, & quam theologi posteriores secundum eandem ueritatem, magis ac magis explicauerunt.

Augustinus ergo dicit, hoc sacramentum, esse signum & figuram corporis & sanguinis Christi: sed ipsemet declarat

ſeſe, ita exactè, ut nullo modo poſsit trahi ad errorem Caluini. Dicit enim hoc ſacramentum eſſe ſignum corporis & ſanguinis Chriſti. ſed declarat illud non eſſe ſignum uacuum aut uanum, aut à ſuo ſignificato ſeparatum, Quin potius manifeſtat ſtatim, hoc ſignum eſſe ſolidum, plenũ, atque ſuo ſignificato coniunctum, & præſens. Omnino ſicut ſanguis pecoris, eſt ſignum animæ ipſius, non quidem abſentis ſed præſentis.

Sacramentum eſt ſignum corporis Chriſti, non uacuum, ſed plenũ, ipſa re ſignificata.

Etenim Auguſtinus contra Adimantum, tractans locum ex Deuteronomio, ſecundum interpretationem Septuaginta, Sanguis pecoris, eſt anima eius. Interpretatur quod dicitur, Anima eius. quia eſt ſignum animæ, ſed præſentis. Ita, inquit, Chriſtus dicit, Hoc eſt corpus meum, id eſt, corporis mei ſignum, ſed uerè & realiter præſentis: ſicut ſanguis, animæ iam præſentis eſt ſignum. Eadem eſt doctrina Auguſtini de figura. Vt hoc ſacramentum ſit figura corporis & ſanguinis Chriſti: ſed utique figura ſolida, plenaque, & quæ ſecum habet ſuum ſignificatum uerè, atque realiter.

Optima & propria declaratio ipſius Aug.

Inſtant inſuper aduerſarij ex eodem Auguſtino in de Doctrina Chriſtiana, ubi tradens regulam, qua diſcernatur locutio ſcripturæ figurata à propria, dicit, Si ſcriptura flagitium uel facinus uidetur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam uetare: figura eſt locutio, ut, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. facinus uel flagitium uidetur iubere.

Obiectio aduerſariorum. Lib. 3. cap. 16. Ioan. 6.

Reſpondemus, Neque hîc Auguſtinus quicquam dicit, aut docet, aut inſinuat, contra hanc noſtram catholicam ueritatem: ſed potius illam declarat, & commendat. Ipſe nãque doctor glorioſus, in De doctrina Chriſtiana, ſe explicat, quo ſenſu ſecundum tropum intelligenda dicat uerba Domini, Niſi manducaueritis carnem Filij eius, & biberitis eius ſanguinem, &c. Quæ propriè intelligi non poſſe dicit, ſi uidelicet intelligantur de manducatione carnali, qua ſub ſpecie propria, & in partes decerptæ carnes manducantur, hoc eſt, ut in macello ueneunt. Sic enim ipſemet interpretatur uerba domini, Spiritus eſt, qui uiuificat,

Reſponſio catholicorum.

Auguſtinus lib. 3. cap. 16.

caro non prodest quicquam. Hoc enim sensu uerba Christi sonarent scælus & flagitium, sicut apud carnales auditores sonant, propter quod si ueri fuissent discipuli, quia arduum uidebatur, & inhumanum quod dicebat, humiliter, inquit Cyril. petere oportebat intelligentiam, non uelut truculentos exclamare; Quomodo potest nobis carnem suam dare ad manducandum? Et rectè dicit Augustinus, quòd in hisce uerbis Christus præcipit passionem domini in memoria recondi, quia sacramentum, illius est memoria, & hic eius effectus est atque significatio. Citat etiam aliquando hæc uerba domini, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis &c. quasi intelligantur de spirituali manducatione duntaxat, aliquando autem ut de sacramentali manducatione, ratione effectus eius. Quod autem aduersarij dicunt, esse in hoc sacramento solùm figuram & memoriam Christi mortui pro nobis, nullus unquam doctor catholicus docuit, immo omnes palàm reclamant. Nam Damascenus in de Orthodoxa fide, inquit, Non est figura panis corporis, & uinum sanguinis Christi: Absit enim hoc credere; sed est ipsum corpus Domini Deificatum, ipso dicente, Hoc est corpus meum. Non corporis mei figura, sed corpus: non sanguinis figura, sed sanguis. Non quasi hoc sacramentum non sit figura aut signum corporis & sanguinis Christi: sed quia contentum sub hoc sacramento, re uera est proprium corpus & proprius sanguis. Vnde sacramentum hoc, est non solùm significatiuum, sed etiam realiter contentiuum. in quo ob id & per quod uerè atque realiter corpus & sanguinem Christi manducamus atque bibimus. Non quidem uisibiliter, sicut carnes ex macello sumptas; sed inuisibiliter, & sic quodam modo spiritaliter: sed realiter, præsentialiter, & corporaliter. Hæc est Augustini doctrina, prout ipse sese in quamplurimis locis declarat: unde aduersarij iniuriam faciunt Augustino, dum eum in eorum errorem referunt.

Damasce. lib. 4.

Aduersariorum obiectio.

Tertullian. lib. 4.

Instant insuper aduersarij ex Tertulliano aduersus Mar-

cionem, dicente, Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum ipſum fecit, dicendo, Hoc eſt corpus meum, id eſt, corporis mei figura.

Reſponſio Catholicorum.

Reſpondemus, Primùm, Tertullianus defecit in partes Montani, & ideò non eſt audiendus in hac re grauiſsima. Deinde, Quæ eſt auctoritas ſolius Tertulliani, ut comparetur auctoritati tot ſanctorum patrum, etiam antiquorum, & doctiſsimorum? Tertiò, nihil facit hoc dictum Tertulliani ad propoſitum: quia ipſe conſiderauit pronomen, Hoc, prout oſtendit ad ſenſum: non autem conſiderauit hoc pronomen in eo dicto, prout oſtendit ad intellectum. Sic autem intelligendo, neceſſe erat, ita explicare. Sed ſic intelligendo & ſic explicando, nullo modo negauit, immo confeſſus eſt, tum in eodem loco, tum alibi, in hoc ſacramento contineri uerum Chriſti corpus & ſanguinem.

Hanc eſſe, & hanc fuiſſe mentem Tertulliani, quam ſtatim explicauimus, declarat ipſemet Tertullianus in multis. Primùm in eodem loco, ubi ait, Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum ipſum fecit. Quibus uerbis manifeſtè tradit, quòd Chriſtus Dominus noſter, panem acceptum, fecit corpus ſuum, id eſt, per conuerſionem, aut mutationem. &c. Quia autem uidebat Tertullianus ſpeciem panis manere, & putabat illud pronomen, Hoc, demonſtrare ipſam ſpeciem ad ſenſum, poſuit illam interpretationem. *Tertullian. in eod. loco.*


Ad idem eſt ſecundò, quod ipſe Tertullianus docet, in libro de carnis reſurrect. Poſtquam enim carnem noſtram ſubſtantiam friuolam & ſordidam multis extulit præconiis, addidit, Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur; Caro ſignatur, ut & anima muniatur; Caro manus impoſitione obumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur; Caro corpore & ſanguine Chriſti ueſcitur, ut anima de Deo ſanetur. Hæc ille. Ecce inter res reales & corporales, quæ in noſtra carne & circa illam hîc uerè, realiter, atque corporaliter fiunt, ponit Tertullianus *Tertullian. in libro de Carnis reſurrect.*

expresſè, quòd caro ueſcitur corpore & ſanguine Chriſti. Ait enim diſertis uerbis, Caro abluitur, Caro ungitur, Caro ſignatur, Caro manus impoſitione obumbratur, Caro corpore & ſanguine Chriſti ueſcitur. Hæc autem omnia, carnis ablutio, carnis unctio, carnis ſignatio, carnis manus impoſitione obumbratio, ſunt uera, realia, corporalia, & præſentia. Ergo ſimiliter & illud ultimum, quòd cum illis ponitur & explicatur, eſt reale, uerum, atque corporale. Vt etiam corporalis, uerus & realis ſit ille eſus, dum caro ueſcitur corpore & ſanguine Chriſti: ſicut & alia ibi explicata, ſunt talia, id eſt, Sicut corporale eſt, quòd, Caro abluitur, Caro ungitur, Caro ſignatur, Caro manus impoſitione obumbratur. Multa alia poſſemus hic traducere ex Tertulliano, pro hac mente ſua; ſed quæ ſtatim adduximus, & quæ ſuperius poſuimus, faciunt ſatis; præſertim, ſi ubi opus ſit, illud contigerit, quod ſancta Eccleſia canit,

Quod non capis, quod non uides, animoſa firmat fides
Præter rerum ordinem.

Multa nanque ſunt, quæ in cernendi ſenſum non cadunt, & quæ Phyſicarum humanarumque rationum uia aſſequi non poſſumus; ſi tamen fidei adiumenta acceſſerint, facilè ſuadentur. Fides ergo debet uigere.

Finis libri primi de Cœna, & Calice Domini.



REVEREND. GASPARIS CASALII LVSITANI, EPISCOPI LEIRIENSIS,

De Cœna, & Calice Domini quo ad laicos, aut clericos non celebrantes,

LIBER SECVNDVS.

Proponuntur quinque articuli, qui ad usum Calicis Domini quoad laicos uel clericos non celebrantes, pertinent; quibus determinandis eorumque determinationibus probandis, totus hic secundus liber dicatus est.

CAPVT PRIMVM.



Ostquam satis superque præcedenti libro iam quinque conclusiones, earumque probationes Domini permissu absoluimus, in quibus de nostra cœna dominica suas illas quinque prærogatiuas altissimas excellentesque abundè monstrauimus, significationem nimirum, continentiam, modum continendi per conuersionem, debitam adorationem, seu rationem adorationis, & permanentem sanctitatem; modò superest ut hoc secundo libro, propositos nobis quinque articulos ad calicē

Domini pertinentes, primùm referamus; secundò ut eis respondeamus; tertiò ut responsiones assignatas, ex diuinis scripturis & sanctis patribus ostendamus. Etenim & his omnibus animus est satisfacere, cum ad absoluendos oblatos, exhibitosque articulos, tum propter instantes temporum necessitates. Quando uidelicet aduersarij etiam in his grauissimè errant, sanctam matrem Ecclesiam Christianam calumniantur, indoctas plebes deludunt, & delusas, ad quæ uolunt seducunt, atque seipsos cæcorum duces immaniter perdunt: Idque nescio quibus non rationibus, sed ratiocinationibus adducti, quas pro uiribus confutabimus, atque elidemus, usque adeò ut nihil postea, in quo iurè ambigi posit, superfuturum sit. Verùm articulos ipsos, quos nobis disputatione uersandos, examinandosque proponimus, apponamus: sunt autem infrascripti.

Articulus primus.

An ex Dei præcepto ad salutem necessariò, omnes & singuli Christi fideles, utranque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti, suscipere teneantur.

Articulus secundus.

An rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos, ac etiam non celebrantes sacerdotes, sub una tantùm specie panis, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus.

Articulus tertius.

An si honestis, & Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui uel nationi, uel regno, calicis usus uideatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quæ nam sint illæ.

Articulus

Articulus quartus.

An minus aliquid sumat, qui sub una tantùm specie hoc sacramento utitur, quàm qui sub utraque.

Articulus quintus.

An diuino iure necessarium sit paruulis, antequàm ad annos discretionis peruenerint, altissimum hoc porrigere sacramentum.

Proponuntur responsiones ad omnes propositos articulos praecedentes. CAP. II.



D primum articulum, ut paucissimis agam, & illis necessariis atque clarissimis, respondeo negatiuè, sequenti conclusione, Nullum est diuinum praeceptum ad salutem necessarium, quo omnes & singuli Christi fideles utranque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti suscipere teneantur. *Ad arti. 1. Responsio.*

Ad secundum articulum respondeo per sequentes duas conclusiones, alteram affirmatiuam, alteram negatiuam. Affirmatiua est, Rationes quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos ac etiam non celebrantes sacerdotes, sub una tantùm specie panis, sunt & fuerunt bonae, iustae, sanctae, atque, ut ita dicam, ualde rationabiles. Negatiua est, Illae tàmen rationes non sic sunt retinendae aut credendae, ut nulla ratione, nullaque ex causa calicis usus cuiquam de praedictis laicis, uel non celebrantibus clericis sit permittendus. *Ad arti. 2. responsio.*

Ad tertium articulum respondeo per sequentes conclusiones, Prima est, Si honestis & Christianae charitati consentaneis rationibus concedendus alicui uel nationi uel regno, calicis usus uideatur, ille non absolutè, sed sub aliquibus conditionibus concedendus est, propter rerum & *Ad arti. 3. responsio.*

temporum difficultates. Secunda est, Conditiones, sub quibus eo casu ita alicui nationi uel regno usus calicis concedendus sit, uidentur debere esse illæ, quæ in concilio Basileensi, antequàm declinaret, sunt expressæ, cum nonnullis aliis; quæ inferius explicantur.

Ad arti. 4. responsio. Ad quartum articulum respondeo per sequentes conclusiones. Prima est, Quantum ad sacratissimam rem contentam, id est, Christum Saluatorem nostrum, non minus aliquid sumit, qui sub unà tantùm specie hoc sacramento utitur, quàm qui sub utraque. Secunda est, Quantum ad ipsum sacramentũ, id est, quantum ad ipsas species sensibiles sacramentales, minus aliquid sumit, qui sub una tantùm specie hoc sacramento utitur, quàm qui sub duabus. Tertia est, Quantum ad id gratiæ, quod quis cõmunicans consequitur ex opere operantis, non est certa regula; sed potest aliquis plus, aut minus, aut æqualiter suscipere sub altera tantùm, quantum sub utraq;, & è contra. Quarta est, problema Theologicum uidetur ad utranq; partem probabile, An minus gratiæ recipiat ex opere operato, qui in altera tantùm specie communicat, quàm qui in duabus. Quinta est, Et si dicatur minus gratiæ recipere aliquem communicando in altera specie, quàm communicando in utraque, non tamen ideò minus bene fecit sancta mater Ecclesia interdicendo laicis ac sacerdotibus non celebrãtibus communionem utriusq; speciei, ex iustis causis ac rationabilibus. Sexta est, Accipiẽdo institutionem Christi prout significat actionem eius instituentis, uel ipsas res institutas, seu ipsa sacramenta instituta, uel partes eorum, minus suscipit qui sub altera tantùm specie communicat, quàm qui sub utraq;. Septima est, Accipiendo institutionem Christi, prout significat statutum uel præceptum eius, obligans omnes & singulos Christi fideles, non minus suscipit qui in una specie communicat, quàm qui in duabus.

Ad quintum articulum respondeo per sequentem conclusionem, Non est necessarium ex diuino aliquo iure paruulis antequàm ad annos discretionis peruenerint, augustissimum hoc porrigere Eucharistiæ sacramentum. Huic uidetur posse addi, gratia ueritatis indagandæ, quòd si illis

porrigatur, in illis hoc ſanctiſsimum ſacramentum habebit ſuum effectum augendi gratiam.

Hæc ſunt, quibus meam totam habeo explicatam ſententiam; ſimpliciter, & de plano, ut aiunt: ſolummodò affirmando uel negando, & nihil adhuc probando. Vt pote quòd probationes omnes, ſuis reſeruatæ ſunt in locis. Poſſem etiam iuxta prædictos articulos alias concluſiones ſtatuere probandas cum prædictis ſimul, quæ non parùm facerent ad materiæ maiorem declarationem: eas tamen conſultò omiſi, ut uerba aptarem rebus, & concluſiones reſpõſiuas interrogationibus: ne aliquid ſuperflueret, aut ſuperfluere uideretur. Hæc maximè dixerim propter reſponſionem ad primum articulum, quam in una ſola concluſione negatiua concluſi; aſſerens, nullum eſſe præceptum diuinum, quo de neceſsitate ſalutis teneantur omnes Chriſti fideles ad communionem aut ſumptionem ſanctiſsimi ſacramenti Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie. Huic enim concluſioni uerisſimæ potui addere iſtam aliam ſequentem, Omnes tamen Chriſti fideles adulti tenentur præcepto diuino neceſſariò ad ſalutem, ſuſcipere ſacramentum illud ſanctiſſimum, ſaltem ſub altera ſpecie, in re quidem, uel in uoto: intelligendo de adultis ſanæ mentis, ut ipſam ueritatem intelligendam eſſe manifeſtum eſt. nanque & iſta concluſio non ſecus eſt uerisſima. Omiſi nihilominus eam cum alia ponere, ne articulum propoſitum excederem; qui non de communione fidelium Chriſti ſub altera ſpecie, ſed de cõmunione eorum ſub utraque loquitur. Opus etiam non fuit, ut uel articulus de communione ſub altera tantùm quæreret, uel ego de illa reſponderem: quia conſtans eſt apud omnes, qui ſeſe Chriſtianos profitentur, & Dei optimi maximi legem accipiunt ſcriptam & naturalem, teneri omnes fideles adultos ad ſumptionem huiuſmodi ſacramenti, ſaltem ſub una ſpecie. Vt quidem in iure diuino ſtando, ſuſcipere hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie, ſit deuotionis, libertatis; aut uoluntatis: ſuſcipere autem illud ſaltem ſub altera, ſit neceſsitatis, præcepti, & legis obligantis. Quia igitur hæc conſtans eſt ueritas & manifeſta omnibus, articulus de illa non quæſiuit: & quia arti-

Lib. 4. dist. 9. 11. 12. culus de illa non quæsiuit, ego ad illam non respondi. De hac ueritate tradunt doctores communiter in libris sententiarum. Atque S. Thomas ibi, & in partibus, ubi quærit, par. 3. quæst. 80. art. 11. Vtrùm liceat omnino à communione cessare. Alexander de Ales in partibus.

Conclusio, qua primo articulo respondimus, declaratur, & probatur. CAP. III.



Onclusio, qua respondimus primo articulo, declaratur & probatur ex multis Christi fidelibus, paruulis baptizatis uidelicet, adultis laicis, ac sacerdotibus non consecrantibus: de quibus omnibus nullum est præceptum diuinum, quòd teneantur suscipere hoc diuinum sacramentum sub utraque specie, etsi Christi utique sint fideles. Quòd autem nullum sit præceptum diuinum de re huiusmodi, ex multis compertum habemus. Constat enim primùm, ex sanctæ matris Ecclesiæ obseruantia, dispositione, ritu, & consuetudine: quibus de cōmunione laicorum aliquando disposuit uno modo, aliquādo alio: prout rationabiles causæ occurrebant, uno uel alio tempore: & particulares Ecclesias permittebat suos filios laicos, uel sub altera tantùm, uel sub utraq; specie communicare, ut tum in Decretis Pontificum, tum in historiis cernere est. Quæ profectò non faceret sancta mater Ecclesia, si de hac re præceptum aliquod diuinum esset: nanque neque ipsa illud præceptum ignorasset, neque contra illud cognitum quidquam immutasset. Constat secundò, ex determinationibus conciliorum. Ita enim determinauit uniuersale concilium Constantiense, & ita etiam si accipimus Alexander par. 4. quæst. 53. S. Tho. par. 3. quæst. 80. art. 12. S. Bonau. & Io. Gerson. Basileense, ut ex actis illorum est manifestum. Constat tertiò, ex determinationibus particularium doctorum cōplurium, eorundemque grauissimorum. Etenim Alexand. de Ales in suis partibus, S. Thomas in suis, & inscriptis, S. Bonauentura, Ioā. Gerson Cancellarius Parisien. doctor illuminatus, in tractatu suo, quem de hac materia in concilio Constantiensi edidit, probant istum ritum, morem,

aut consuetudinem, communicandi laicos fratres sub altera tantùm specie: & causas plurimas assignant, cur sancta Ecclesia catholica hunc ritum introduxit, & laudabiliter continuat, & continuabit. Post istos omnes patres, Gabriel Biel in suo opere egregio super canonem, mouit quæstionem, Vtrùm populus fidelis participaturus Eucharistiã, teneatur eam sumere sub utraque specie? & respondendo dicit, Olim quæstio illa poterat esse dubia, sed nunc post determinationem concilij Constantiensis, ueritatem catholicam determinantis, dicere, communionem sub utraque specie, esse de necessitate salutis, omni fideli, est hæresis ibidem publicè condemnata. Videns autem non esse inutile, nec præsumptuosum, ad intellectum clariorem huius ueritatis aliquid disserere, ita rursus mouit quæstionem eandem, Vtrùm communio sub utraque specie emanauerit à præcepto diuino indispensabili, an non? Respondet autem per sequentem conclusionem, Communicatio Eucharistiæ sub utraque specie, à Christo non est præcepta generaliter omnibus fidelibus indispensabiliter. Probat uerò sic, Quia hoc præceptum uel colligeretur ex institutione huius sacramenti, quia sub duplici specie ipsum instituit; aut ex eius dispensatione, qua suis discipulis dispensauit; aut ex manifesto præcepto, quod uel ante institutionem, aut in ipsa cœna, aut post cœnam dedit: Sed nullum horum dici potest, Ergo proposito uera. Hæc ille. Qui deinceps in sequentibus probat omnia, satis sufficienter. Eodem modo sapuit & docuit facultas Theologiæ Parisien. ut à nonnullis annis fecit manifestum in suis articulis, quibus fidem & religionem Christianam declarauit: Dixit enim in his uerbis & forma sequenti, Non est laicis ad salutem necessaria cõmunio sub utraque specie, recteque certis ac iustis de causis olim ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una tantùm panis specie communicetur. Eodem quoq; modo sacræ theologiæ professores uniuersitatis Louaniensis, in suis articulis orthodoxam religionem sanctamque fidem nostram respicientibus, ita dixerunt, Non est laicis necessaria ad salutem communio sub utraque specie; iustisque de causis ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una tantùm panis spe-

Gabr. Biel. lect. 84. litera L.

Ibid.

Ibid. litera K.

Facultas theologiæ Parisien.

art. 7.

Professores theologiæ uniuersitatis Louaniensis. art. 15.

cie sacramentum communicetur; in quo carnem & sanguinem, atque ita totum Christum sub una specie sumunt. Hæc ibi. Super quo articulo agens Ruardus Tapper eiusdem uniuersitatis Cancellarius, multa admodum adduxit, quibus eundem articulum, seu eius ueritatem optimè atque eleganter demonstrauit. Eodem modo iudicauit Alfonsus à Castro in suo opere aduersus hæreses, ita dicens, Vltima (quod sciam) de hac re hæresis est, quæ asserit, necessariò sub utraque specie, scilicet panis & uini, esse communicandum: ita quòd qui sub una tantùm specie communicat, etiam si laicus sit, peccat. Idem auctor in sequentibus probat latissimè, non teneri omnes fideles Christianos ad communionem sub utraque specie sacrosanctæ Eucharistiæ. Hanc eandem ueritatem ostendit satis Stanislaus Hosius in sua confessione seu explicatione &c.

Ruardus Tapper. tom. 2.

Alfonsus à Castro. lib. 6. Hæresi. 12. aduersus Euchar.

Stanislaus Hosius.

Constat autem quartò & inuictissimè, eo, quo certissimum est apud omnes sapientes catholicos non reperiri tale præceptum diuinum in aliquo illorum, in quibus diuina præcepta reperiuntur. Quòd si ibi non reperitur, aut certè non est, aut non debet dici esse. non enim licet alicui pro libito suo fingere diuina præcepta, sed turpe est alicui dicere quòd aliquid est de iure diuino, & non ostendere ubi sit, aut unde habeatur: sicut turpe est doctori in iure canonico, dicere quod aliquid sit iuris canonici, si non ostendat locum, sic etiam in iure ciuili (unde erubescunt Iureconsulti cum sine lege loquuntur) ita & in iure diuino. Deinde, quia qui dicit aliquid esse iuris diuini, quod, re uera, non est iuris diuini, mutat legem Dei, & blasphemat quodammodo contra illam, addendo illi: atque facit contra ipsam legem, quæ præcipit ut nullus ei quicquam addat. Rursus, quia qui dicit aliquid esse iuris diuini, quod non est iuris diuini, mentitur contra Deum; quia asserit Deum aliquid dixisse aut præcepisse, quod Deus nõ dixit, nec præcepit. Non igitur licet alicui pro suo libito fingere diuina præcepta, & secundum suam fictionem docere: sed qui dixerit aliquid esse iuris diuini, oportet ostẽdat ubi est, aut omnino taceat. Asserimus ergo nullum esse tale præceptum diuinum: idque sufficientissimè pro-

Nõ licet alicui pro suo libito fingere præcepta diuina.

Apoca. ult. Deute. 12.

bamus, dicentes quòd non reperitur in aliquo locorum, in quibus & non alibi reperiuntur diuina præcepta, quæ nos obligant. Omnia enim loca in quibus diuinum præceptum reperitur, reperiri solet, & reperiri debet, ea sunt, diuina scriptura, uniuersalis consuetudo antiquissima Ecclesiæ Christianæ, decreta sanctorum conciliorum uniuersalium legitimè congregatorum, & conformis sententia doctorum sanctorum: & si quæ alia sint similia. Ad hæc igitur nobis nunc respiciendum est; & constat, quòd in nullo horum reperitur tale præceptum.

Loca, in quibus reperiuntur præcepta diuina.

Dicimus, præceptum diuinum reperiri in scriptura diuina. Hoc autem non ita intelligendum est, quasi omnia præcepta, quæ in diuina scriptura reperiantur sint diuina: quia immo in scriptura diuina, nonnulla reperiuntur, aut reperiri possunt præcepta humana, siue Ecclesiastica. sed hoc dictũ est, quia diuina præcepta sunt omnia, quæ apud diuinam scripturam ex persona Dei reperimus, & quæ ex illis deducuntur. Alioquin præcepta Apostolorum & seniorum in diuinis scripturis reperta, diuina dicerentur: quod non est, nisi aliàs ipsa præcepta diuina sint. Constat hoc, in bigamis, & homicidis: & in multis aliis, quæ facilè possent adduci. Simile est de consuetudine uniuersali antiquissima. non enim ita intelligimus, quasi omnis illa sit præceptum diuinum: sed dicimus quòd illa est audienda, & si ipsa dixerit aliquid esse iuris diuini, firmiter docendum est illud esse talis iuris. Dicimus insuper eam consuetudinem esse omnino seruandam, nisi sancta mater Ecclesia aliter ordinauerit. Idem de conformi sententia sanctorum doctorum, de traditionibus Ecclesiasticis, & similibus. Non sufficit si in aliquo horum reperitur aliquod factum, præceptum, aut determinatum, ut statim credamus illud esse præceptum diuinum: sed sufficit si in aliquo horum declaretur aliquo modo sufficiente, id esse diuinum præceptum. Multæ enim traditiones uenerunt ad nos ab Apostolis antiquissimæ, uerbotenus, & non scripto, ut palàm confitetur Dionysius in de Ecclesiastica Hierarchia, & confitentur omnes doctores sancti, & notum est omnibus: inter quas, nonnullæ fortassis reperiri possunt, quæ non

De auctoritate huiusmodi cõsuetudinis, diximus in Axiomatibus.

Dionysius cap. 1.

uenerunt ad nos, nec unquam fuerunt traditæ, ut à Deo præceptæ: sed tantùm ut bonæ, iustæ, ac sanctæ. Glossa in cap. Coëpiscopi: præsumit Coëpiscopos fuisse ab Apostolis uel conciliis institutos: quos tamen tanquam non institutos à Christo, Ecclesia bene prohibuit. Et abstinentia à sanguine & suffocato & immolatis simulachrorum, ab Apostolis præcepta, & in diuinis scripturis expressa, iam non seruatur.

dist.68.

art.15.

Vt autem ostẽdamus nullum esse locum talem de prædictis, in quo reperiatur tale ius diuinũ; placet omnia loca adducere fortiora, quæ ad oppositũ ab aliquibus adducuntur, uel adduci possunt, & simul ostendere nullum eorum probare, esse tale diuinum præceptum, quo teneantur singuli Christi fideles sumere sacratissimam Eucharistiam in utraque specie. Si enim id ostensum fuerit de locis illis fortioribus, statim per consequens ostensum erit, & liquidum de aliis, per locum illum communem, quo satis probamus, quòd si fortiora non possunt, nec minus fortia. Quia uerò ea loca pertinent ad obiectiones, & eas in tertium librũ reseruauimus; simul & ea loca in tertium librum, quo ponuntur obiectiones, & solutiones, reseruentur. Nunc enim de his tantùm agimus, quæ ad secundum hunc librum pertinent, idest, de articulis in se, de nostris Catholicis responsionibus, & responsionum huiusmodi probationibus. Interim hoc facimus, quòd ostendimus nec omnia, quæ in diuinis scripturis reperiuntur, esse præcepta diuina, nec deberi præcepta diuina quæri solummodò in sacra scriptura: simul asserentes, quòd & si etiam aliàs diuina præcepta quærere debeamus, nullibi tamen diuinum præceptum de communione omnium fidelium sub utraque specie reperimus. Ergo nec omnia, quæ in diuinis scripturis reperiuntur, sunt diuina præcepta, aut diuini iuris propriè dicti: nec diuinum præceptum apud fideles Christianos quærendum est in sola diuina scriptura, sed etiam & in multis aliis locis. Duo hæc sunt ita nota, ut profectò non indigeant ulla probatione. Primum enim constat ex prohibitione bigamiæ aut etiam homicidij in ordinandis; atque in prohibitione eius sanguinis, suffocati, & immolati simulachrorum,


Nõ omnia, q̃ in diuinis script. reperiũtur, sunt diuina præcepta.

Non debet quæri diuinum præceptum, in sola diuina scriptura.

chrorum,

chrorum, de quibus iam diximus. Quæ omnia si diuini iuris propriè dicti, fuissent aliquando in Ecclesia Christiana, neque dispensata nec abrogata fuissent unquam. Secundum non minus patet, cum non sint omnia diuina eloquia, quæ habuit ad nos Deus noster, expressa in diuinis scripturis: quin potius homines sancti, qui ab ipso Deo Optimo Maximo audierunt, nobis partim scripturis, partim non scriptis, sed uerbo tenus tradiderunt. Vnde diuina præcepta, non sunt quærenda solùm in diuina scriptura. Nec formaliter loquitur, nec sapienter, nec uerè, qui dicit, diuinum præceptum solùm in diuinis scripturis esse quærẽdum.

Quidam errores aduersariorum referuntur, & refelluntur. CAP. IIII.



Duersarij nostri huius temporis, uel quasi diuinantes, uel tanquam à manifesta ueritate coacti, pro omni præcepto, seu pro omni iure diuino, quod eis obtrudimus, petunt uerbum Dei: quibus nos in ea petitione non inficias imus, sed potius pro omni, quod ius diuinum esse dicimus, uerbum Dei damus. Errant tamen ipsi dupliciter. Primùm generaliter, quia non recipiunt uerbum Dei, nisi in sacra scriptura expressum. Secundò specialiter, quia contendunt in diuinis scripturis esse expressum Dei uerbum pro communione omniũ fidelium, etiam laicorum, in ambabus speciebus sanctissimi sacramenti Eucharistiæ. Aduersus hunc eorum errorem secundum, nos agimus in toto hoc libro præsenti ex proposito, & latius, quatenus nobis præsentes occupationes permittunt. At uerò contra hunc eorum errorem primum, nonnulla, licèt paucissima, libet producere.

Diuinatio aduersariorum.

Errores aduersariorũ.

Quòd ergo dicunt, ius diuinum debere haberi ex uerbo diuino, uerum est, & nostrum est dictum, nostra fides, nostra confessio, & nostra professio. Nos sumus priores illis in Ecclesia, hoc ipsi à nobis receperunt, & in hoc nobiscum conueniunt, sicut & in multis aliis: quãuis & in multis aliis à nobis differant, propter quæ sua errata, à fide deficiunt

Ius diuinũ habetur ex uerbo diuino.

uenerunt ad nos, nec unquam fuerunt traditæ, ut à Deo
dist.68. præceptæ: sed tantùm ut bonæ, iustæ, ac sanctæ. Glossa in cap. Coëpiscopi: præsumit Coëpiscopos fuisse ab Apostolis uel conciliis institutos: quos tamen tanquam non institutos à Christo, Ecclesia bene prohibuit. Et abstinentia à sanguine & suffocato & immolatis simulachrorum, ab
art.15. Apostolis præcepta, & in diuinis scripturis expressa, iam non seruatur.

Vt autem ostẽdamus nullum esse locum talem de prædictis, in quo reperiatur tale ius diuinũ; placet omnia loca adducere fortiora, quæ ad oppositũ ab aliquibus adducuntur, uel adduci possunt, & simul ostendere nullum eorum probare, esse tale diuinum præceptum, quo teneantur singuli Christi fideles sumere sacratissimam Eucharistiam in utraque specie. Si enim id ostensum fuerit de locis illis fortioribus, statim per consequens ostensum erit, & liquidum de aliis, per locum illum communem, quo satis probamus, quòd si fortiora non possunt, nec minus fortia. Quia uerò ea loca pertinent ad obiectiones, & eas in tertium librũ reseruauimus; simul & ea loca in tertium librum, quo ponuntur obiectiones, & solutiones, reseruentur. Nunc enim de his tantùm agimus, quæ ad secundum hunc librum pertinent, idest, de articulis in se, de nostris Catholicis responsionibus, & responsionum huiusmodi probationibus.


Nõ omnia, q̃ in diuinis script. reperiũtur, sunt diuina præcepta.

Non debet quæri diuinum præceptum, in sola diuina scriptura.

Interim hoc facimus, quòd ostendimus nec omnia, quæ in diuinis scripturis reperiuntur, esse præcepta diuina, nec deberi præcepta diuina quæri solummodò in sacra scriptura: simul asserentes, quòd & si etiam aliàs diuina præcepta quærere debeamus, nullibi tamen diuinum præceptum de communione omnium fidelium sub utraque specie reperimus. Ergo nec omnia, quæ in diuinis scripturis reperiuntur, sunt diuina præcepta, aut diuini iuris propriè dicti: nec diuinum præceptum apud fideles Christianos quærendum est in sola diuina scriptura, sed etiam & in multis aliis locis. Duo hæc sunt ita nota, ut profectò non indigeant ulla probatione. Primum enim constat ex prohibitione bigamiæ aut etiam homicidij in ordinandis; atque in prohibitione eius sanguinis, suffocati, & immolati simulachrorum,

chrorum, de quibus iam diximus. Quæ omnia si diuini iuris propriè dicti, fuissent aliquando in Ecclesia Christiana, neque dispensata nec abrogata fuissent unquam. Secundum non minus patet, cum non sint omnia diuina eloquia, quæ habuit ad nos Deus noster, expressa in diuinis scripturis: quin potius homines sancti, qui ab ipso Deo Optimo Maximo audierunt, nobis partim scripturis, partim non scriptis, sed uerbo tenus tradiderunt. Vnde diuina præcepta, non sunt quærenda solùm in diuina scriptura. Nec formaliter loquitur, nec sapienter, nec uerè, qui dicit, diuinum præceptum solùm in diuinis scripturis esse quærẽdum.

Quidam errores aduersariorum referuntur, & refelluntur. CAP. IIII.


Duersarij nostri huius temporis, uel quasi diuinantes, uel tanquam à manifesta ueritate coacti, pro omni præcepto, seu pro omni iure diuino, quod eis obtrudimus, petunt uerbum Dei: quibus nos in ea petitione non inficias imus, sed potius pro omni, quod ius diuinum esse dicimus, uerbum Dei damus. Errant tamen ipsi dupliciter, Primùm generaliter, quia non recipiunt uerbum Dei, nisi in sacra scriptura expressum. Secundò specialiter, quia contendunt in diuinis scripturis esse expressum Dei uerbum pro communione omniũ fidelium, etiam laicorum, in ambabus speciebus sanctissimi sacramenti Eucharistiæ. Aduersus hunc eorum errorem secundum, nos agimus in toto hoc libro præsenti ex proposito, & latius, quatenus nobis præsentes occupationes permittunt. At uerò contra hunc eorum errorem primum, nonnulla, licèt paucissima, libet producere.

Diuinatio aduersariorum.

Errores aduersariorũ.

Quòd ergo dicunt, ius diuinum debere haberi ex uerbo diuino, uerum est, & nostrum est dictum, nostra fides, nostra confessio, & nostra professio. Nos sumus priores illis in Ecclesia, hoc ipsi à nobis receperunt, & in hoc nobiscum conueniunt, sicut & in multis aliis: quãuis & in multis aliis à nobis differant, propter quæ sua errata, à fide deficiunt

Ius diuinũ habetur ex uerbo diuino.

Ius diuinũ. est ius diuinitus promulgatũ. S. Tho. secunda 2. quæst. 57. art. 2. ad 3. arg.

Christiana, atque extra Ecclesiam Christi reponuntur. Est hoc nostrum dictum, quia nos palàm docemus, ius diuinum dici, quod diuinitus promulgatur. At quidem non uidetur quomodo posſit ius aliquod promulgari diuinitus, nisi aliquo Dei uerbo. Si enim diuinitus debet promulgari, ab ipso Deo proculdubio debet exprimi. Exprimitur autem aliquid ab aliquo, uerbo: quia est uerbum, uehiculum, seu declaratiuum cogitationis, aut conceptus mentis, seu mentalis. ut tamen uerbum extendatur ad signum uocale, uel scriptum, uel naturaliter inditum, uel aliquo modo menti impressum, uel huiusmodi. Itaque ius diuinum dicitur, quod diuinitus promulgatur. Vnde consequenter uidetur dicendum, quòd ius diuinum ex aliquo Dei uerbo haberi debet, aut probari.

Contra aduersarios, dicẽtes uerbum Dei ĩ sola scriptura esse quærendum. Verbũ Dei est, secundũ Dei reuelationem. Dei uerbũ est, Dei reuelatio. Dei reuelatio, est Dei locutio. Reuelatio per se, abstrahit ab scriptura.

Quòd autem aduersarij dicunt, uerbum Dei in sola diuina scriptura esse quærendum, uel ostendendum, est falsissimum, nec potest sustineri, nec potest dici inter Christianos. Verbum enim Dei, est secundum Dei reuelationem, & secundum quòd Deus ueritates suas alicui reuelauit, aut reuelauit Ecclesiæ suæ: ut Dei uerbum sit, Dei reuelatio. Eo nāque modo nobis Deus loquitur, quo nobis aliquid reuelat: ut sua reuelatio, quædam sit eius locutio. Vnde stultiſsimum est, nedum stultum, dicere, quòd in sola diuina scriptura est Dei uerbum, aut Dei loquutio; sicut stultiſsimum est dicere, quòd in sola diuina scriptura est Dei reuelatio. Primùm, quia Dei reuelatio, prout sic, & per se, abstrahit ab omni scriptura, ab omni uerbo uocali, & ab omni uerbo mentali: utpote quòd est quid communius, ut palàm est omnibus sapientibus. Deinde, quia de facto reuelauit Saluator noster multa Apostolis suis ante passionem, atque post resurrectionem, per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei: è quibus reuelationibus, nulla tunc fuit scriptis mandara. Similiter & in aduentu Spiritus sancti, dum ipse docuit eos omnem ueritatem, & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Nunquid non fuerunt illis temporibus multæ reuelationes diuinæ, factæ Ecclesiæ in illis personis? Immo fuerunt. Nunquid fuit tunc aliqua reuelatio facta à Christo, uel à Spiritu sancto

in ſcriptis? Abſit. Sed deinde poſt multos annos, edita fuit omnis ſcriptura noui teſtamenti. Erat ergo tunc Dei reuelatio, & nullum erat tunc Dei uerbum ſcriptum, uidelicet Teſtamenti noui. Aſtrahit ergo Dei reuelatio, à uerbo Dei ſcripto. Malè igitur extorquere à nobis nituntur aduerſarij, ut quoties eis ius diuinum opponimus, ipſi à nobis uerbum Dei ſcriptum exigant. Quod certè à nobis bene rectèque urgerent, ſi eis opponeremus præceptum diuinum ſcriptũ. Nãque omne Dei ſcriptum ius, habet Dei ſcriptum uerbum, ſeu Dei ſcriptam reuelationem. Sed quod à nobis petunt uerbum diuinum in particulari, id eſt, ſcriptum, dum eis opponimus ius diuinum in communi, id eſt, abſtrahendo ab ſcripto, nulla eſt ratio, nulla lex, nulla fides, nulla conſcientia, nulla conſequentia. Errant ergo grauiſſimè in ſua ipſorum petitione.

Multis annis fuit Eccleſia Chriſtiana, ſine noui teſtamenti ſcriptura.

Errant etiam aduerſarij noſtri grauiſsimè, in eo, quòd, ut manifeſtant in ſuis dictis, falsò docent, omnem & totam reuelationem factam à Deo Eccleſiæ ſuæ Chriſtianæ, eſſe iam reductam ad ſolam ſcripturam: quaſi non niſi per ſcripturam, antiquas reuelationes retineat, & non niſi per ſcripturas, aliquam nouam reuelationem accipiat. Non ſecus hic error eorum eſt intolerabilis, quàm præcedens. Errãt, inquam, aduerſarij ſic dicentes, tum, quia ex uerbo Dei, quod eſt ualde commune ſecundum Dei reuelationem, mentalem, uocalem, ſcriptam, uel naturalem ſcriptam in cordibus, faciunt, ſeu recipiunt ſolum uerbum Dei in mẽbranis, cartis, aut papyris ſcriptum: & ſic uerbo Dei derogant, illud minuentes, & illud ad quandam certam ſpeciem uerbi Dei ſcripti extrinſecè, ſeu exterius, reducentes. Tum, quia falſum eſt dicere, quòd omnes reuelationes factæ Eccleſiæ à Chriſto per ſeipſum aut per Spiritum ſanctũ, reductæ ſint ad ſcripturam, & in ſcriptura ſint iam poſitæ. Immo enim primi patres, id eſt, Apoſtoli, qui primò receperunt, primitias ſpiritus habuerunt, repleti ſunt Spiritu ſancto, & ab ipſo omnem ueritatem ſunt edocti; quædam ſibi reuelata nobis tradiderunt ſcripto: quædam autem nõ ſcripto, ſed uerbo. Vnde Apoſtolus dicit, Cætera autem cum uenero, ego diſponam. Et alibi, Itaq; fratres ſtate, 2. Cor. 11 2. Theſſ. 2.

Cõtra aduerſarios, docentes omnem reuelationẽ factã à Deo eſſe poſitã ĩ ſcriptura ſacra.

& tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Quo uerbo, satis declarat, se quædam tradidisse per scripturam: quædam autem non nisi per sermonem: & ut uidemus, non minus iubet teneri traditas sermone, seu uerbo, quàm traditas epistola, seu scripto.

DIONYSIVS Areopagita.

Cap. 1. Dionysius Areopag. in de Ecclesiastica Hierarchia, inquit, Substantia enim sacerdotij nostri, scriptura sacra est, nobis diuinitus tradita. Porrò huiusmodi plena uenerationis eloquia dicimus, quæ à beatissimis patribus nostris, à quibus sacris mysteriis imbuti sumus, in sanctis ac theologicis commendata sunt libris. Ac præterea quæque ab eisdem sanctissimis uiris, sacratiore & purgatiore & propinqua quodammodo cœlesti hierarchiæ doctrina, sancti duces ac præceptores nostri didicerunt, ex animo in animum (medio intercurrente uerbo, corporali quidem, sed quod carnis penitus excedat sensum) sine literis transfusa sunt. Ecce multa ab Apostolis ad nos uenerunt, non scripto, sed uerbo. Et addit Dionysius, Et ipsi quoque sanctissimi principes nostri, dum sacrá publicè agenda instituerunt, non apertis ac patulis sensibus, sed signis augustioribus tradiderunt. Est enim non omnis sanctus, neque 1. Cor. 8. omnium scientia est, ut sacra testantur eloquia. Hæc ille. Et secundum hanc Dionysij doctrinam atque monitionem, locuti sunt etiam omnes alij sancti patres, quotquot fuerunt, & de traditionibus Ecclesiasticis habuerunt sermonē.

BASILIVS.

cap. 27. Basilius in libro de Spiritu sancto, ait, Si aggrederemur non scripto proditas cōsuetudines, uelut non magnam uim habentes reiicere, imprudentes etiam ipsis principalibus Euāgelij partibus damnum inferremus: immo potius ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus. Velut, uerbi gratia, ut eius, quod primum & com-

Qui abiicit consuetudines nō p. ditas scri.

mũnifsimum eſt, primam mentionem faciam, figura Crucis ſignare eos, qui in nomen Domini noſtri IESV Chriſti ſpem habent, quis ſcripto docuit? Inuocationis uerba dum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculũ benedictionis, quis ſanctorum, ſcripto nobis reliquit? Non enim his contenti ſumus, quorum Apoſtolus aut Euangelium mentionem facit, ſed & antea, & poſtea alia quædam dicimus, uelut magnum robur ad myſteria habentia, ex doctrina, ſcripto nõ prodita, aſſumpta. Benedicimus aquam baptiſmatis & oleum unctionis, ex quibus ſcriptis? Non'ne à tacita, & arcana traditione? Ipſam uerò olei illitionem, quæ doctrina ſcripto docuit? ex qua ſcriptura? Non'ne ex hac non publicata, id eſt, non ſcripta, & arcana doctrina, quam in minimè curioſo, ac ſollicito ſilentio patres non conſeruauerunt: rectè illi, utpote doctè myſteriorum reuerentiam ac auctoritatem ſilentio cuſtodiri. Hæc ille.

pto, principalibus Euãgelii partibus damnũ infert, & Euangelii prædicationem ad nudum nomẽ cõtrahit.

O' uerè Chriſtianam, uerèque Catholicam hanc diui illius magni Baſilij ſententiam, qua fatetur, quòd ſi conſuetudines non ſcripto proditas abiicimus, ipſi principalibus Euangelij partibus dãnum inferimus: & rurſus, quòd tunc ipſa Euangelij prædicatio, ad nudum nomen contrahitur.

Notanda ſententia Baſilii.

AVGVSTINVS.

Auguſtinus ad Ianuarium, Illa autem, quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, uel ab ipſis Apoſtolis, uel plenariis conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atq; ſtatuta retineri: ſicuti quòd Domini paſsio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & aduentus de Cœlo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Infrà, propoſitis quibuſdam quæſtionibus ipſius Ianuarij, dicit idem Auguſtinus, Ad hæc itaque ita reſpondeo, ut quid horum ſit faciendum, ſi diuinæ ſcripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum quin ita facere debeamus, ut legimus: ut iam non quomodo faciendum, ſed quomodo ſacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiam ſi quid horũ tota die per Orbem frequentat

Epiſt. 118. tom. 2.

Saluberrima auctoritas eſt in conciliis.

Insolentissimæ isania est, disputare de eo, quod Ecclesia frequẽtat tota die per Orbem. Dist. 11. c. In his.

Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Hæc ille. Idem in Casulanum presbyterum, In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum, pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.

HIERONYMVS.

1. Cor. 11.

Hieronymus circa illud, Si quis autem uidetur contentiosus esse, &c. existimat hoc dictum esse aduersus eos, qui solas scripturas petunt, dicentes, Vbi est scriptum? Ait enim, Præuênit illos, ne quis diceret: ubi scriptum est? Vel aliis argumentis, huic resisteret rationi. Quomodo præuênit? Nos talem consuetudinem, inquiens, nõ habemus, neque Ecclesia Dei: siue contendendi, siue talia faciendi. Sic non admittit Hieronymus, immo ut bene notat Hieronymus, non admittit Paulus, ut quis in rebus Ecclesiasticis seu Christianorum probandis dicat, Vbi est scriptum? Vtpote quòd sufficit Ecclesiæ traditio, mos, aut consuetudo. Idem ad Lucinium, Ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita obseruandas, ut à maioribus traditæ sunt.

Idẽ auctor tom. 1.

CHRYSOSTOMVS.

2. Thess. 2.

Chrysostomus circa illud, Itaque fratres state, & tenete traditiones. dicit, Traditionem quoque Ecclesiæ, fide dignám putamus. Traditio est, nihil quæras amplius.

ATHANASIVS.

Athanasius seu Vulgarius super eundem locum, inquit, Itaque & Ecclesiæ traditionem dignam existimemus, cui præstanda sit fides: ut si quid ab ea sit traditum, nihil ulträ perquiras.

CYPRIANVS.

Cyprianus, Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor: in cæteris, homines Spiritum sanctum habuere doctorem: & sicut par est, Spiritui sancto, & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas, & potestas. *Serm. de ablutione pedum.*

HILARIVS.

Hilarius in de Trinitate, agens de fide, quam à maioribus acceperat, dicit, Ab his ergo, quæ teneo, doctus sum: his immedicabiliter imbutus sum: & ignosce omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, sed commori possum. *lib. 6.*

IRENEVS.

Ireneus refert, maiores nostros obseruantias, traditiones Apostolicas, secundum quas instituerunt Ecclesias, sedulò perquirentes, scriptis, uerbis, & gestis, posteris cōmendasse. Idem aduersus Valentinum, cæterosq; sui temporis hæreticos. Traditionem Apostolorum toto Orbe manifestam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui uera audire uoluerint; eam uidelicet, quam primitiua illa Ecclesia ab Apostolis acceptam per successionem continuã patrum, & Episcoporum, transmisit ad nos. Sed quoniam per omnes Ecclesias discurrere prolixum fuerat, & infiniti operis; ex omnibus maximè antiquissimam, ac omnibus cognitam, Romæ à gloriosissimis duobus Apostolis, Petro, & Paulo, fundatam eligens, eius fidem, traditionéq;, quam habet ab ipsis annuntiatam, & per successiones Episcoporum ad nos peruenientem indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo pacto, uel per sui placentiam, uel uanam gloriam, uel cæcitatem, & malam sententiam, fidem præterquàm oportet, colligunt. *Lib. 3. Contra hæres. Euseb. in ecclesiastica hist. lib. 3. cap. 12.*

Polycarpus.

Vt refert Ireneus. Polycarpus etiam Ioannis Apostoli auditor, hoc ipsum testatur, prout Ireneus de eodem refert; dicens, Polycarpus, qui non solùm ab Apostolis eruditus est, neque solùm conuersatus est cum iis, qui Dominum uiderant; sed ab ipsis Apostolis ordinatus Smyrneorum Episcopus, quem nos quoque in prima nostra ætate uidimus. Infra, Docebat semper ea, quæ sub Apostolis ipse didicerat; & hæc Ecclesiæ tradebat, quæ solo uerbo dicenda sunt. Sequitur, Qui etiam sub Aniceto Romam perrexit, & multos ex supradictis hæreticis ad Ecclesiam Dei conuertit: hanc solum prædicans tenendam esse ueritatem, quam ipse sciret se ab Apostolis suscepisse, quam & tradebat Ecclesiæ.

Origenes.

De principiis Christianæ uitæ. Orgenes in inquisitionibus de principiis Christianæ uitæ, ait, Sicut multis apud Græcos & Barbaros pollicentibus ueritatem, dissueuimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, post quàm credimus Filium Dei esse Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cùm multi sint, qui se putant scire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur uerò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est ueritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat. *Idē auctor Homil. 5. sup Nume.* Idem auctor, Ex traditione didici de quatuor Euangeliis, quòd hæc sola absque ulla contradictione suscipi debeant in omnibus, quæ sub cœlo sunt, ecclesiis Dei. Ita enim tradiderunt patres nostri. Et quòd primum omnium sit Euangelium à Matthæo scriptū, qui aliquando fuerat publicanus, Hebraicis literis, & traditum his, qui ex circuncisione crediderant. Secundum uerò scriptum esse à Marco, iuxta ea, quæ &c.

Tomo 1. cōmētariorū i Matt. teste Eusebio Ecclesiast. historiæ. lib. 6.

Conclusio

Conclusio ex præcedentibus patrum dictis. CAP. V.



Ta ergo omnes hi patres olim cognouerunt & tractauerunt negocium Christianum, ut omnes confiterentur in traditionibus Ecclesiasticis esse quid diuinum, uerbum, reuelationem, locutionem, aut promulgationem, cui nobis Christianis standum est: siue in uera intelligentia diuinarum scripturarum, siue in conseruatione illorum, quæ per solam consuetudinem morum habemus. Qui sunt hi patres? Qui iam dicti sunt, & qui statim tanquam sub Catalogo scribuntur, aut nominantur denuò,

- Dionysius.
- Basilius.
- Augustinus.
- Hieronymus.
- Chrysostomus.
- Athanasius, seu Vulgarius.
- Cyprianus.
- Hilarius.
- Ireneus.
- Polycarpus.
- Origenes.

An fuerunt ij soli patres in hac sententia? absit. Non enim hos memorauimus ad hanc ueritatem, tanquam solos, sed quidem, tanquam primos. Quos etiam, quot quot successerunt in tempore, secuti sunt in hac doctrina. Sed nunc omittamus alios, & de his attendamus tantillum. Sunt ij patres antiquissimi; uerùm iam suo tempore, condita erat tota scriptura sacra. Nihilominus ipsi pro religione Christiana conseruanda, nullo modo solam scripturam commendabant, sed quidem scripturam ipsam, & Catholicæ Ecclesiæ Christianæ traditiones. Vnde traditionem Ecclesiasticam seu Ecclesiæ consuetudinem aut consuetudines ita prædicabant, tanquam irrefragabilem ac diuinam auctoritatem haberent: tanquam quoddam Dei Optimi.

Chrysost.

uerbum, non scriptum, sed memoria, aut moribus conseruatum. Quapropter dixit Chrysostomus, ut iam posuimus, Traditio est, nihil quæras amplius.

Errant igitur aduersarij, in eo, quod putant, diuinum uerbum, aut diuinam reuelationem omnem Christianam, esse in sola diuina scriptura. non enim ita est; quin potius etiam in Ecclesiasticis traditionibus Ecclesiæ Dei, est diuinum uerbum, est diuina reuelatio: non in scriptis, sed in moribus, & obseruantia. Vt diuinum uerbum, diuina reuelatio, diuinaque auctoritas quoad ea probanda, quæ sunt fidei aut religionis Christianæ, reperiatur in diuina scriptura, in traditionibus Ecclesiæ, & in multis aliis, de quibus abundè diximus aliàs.

In Axiomatibus Christianis passim.

Alius error aduersariorum refertur & impugnatur. CAP. VI.



Errant etiam aduersarij in eo, quòd non solùm petunt uerbum Dei scriptum, sed etiam petunt pro omnibus rebus Christianæ religionis probandis, uerbum Dei scriptum & expressum. Nãque & hic error non minor est, quàm præcedens, immo uidetur maior, quia aliquid addit super præcedentem errorem. Primus & præcedens error dicit, nihil esse credendum aut faciendum in Ecclesia Christiana sine Dei uerbo scripto: & hic error dicit, nihil esse credendum aut faciendum in Ecclesia Christiana sine Dei uerbo scripto expresso.

Contra errorem aduersariorũ pro omnibus faciendis aut uitãdis, &c. petẽtiũ uerbũ Dei scriptum expressum.

Qui ita petunt iuxta hunc errorem statim positum, multò plus impiè agunt. Ex isto nãque errore abiiciunt, uel coguntur abiicere, primùm omnes Ecclesiasticas traditiones seu consuetudines non scriptas: secundò, omnes conclusiones in bona consequentia deductas ex sacris scripturis, quæ in illis non sunt expressæ: tertiò, omnes ueritates: quæ licet in diuinis scripturis per se contineantur quoad substantiam rei, non tamen in illis exprimuntur uocabulis expressis. Quòd hæc sequantur ex isto errore, & quòd ista sint falsissima atque impiissima, constat omnibus: & per consequens constat omnibus, hunc errorem esse falsissi-

mum, & impiissimum, ex quo sequuntur hæc impiissima, & falsissima. Vnde contentiosi sunt profectò ac pertinaces, qui semper clamant, Euangelium Christi, Euangelium Christi, Verbum Dei expressum, Verbum Dei expressum, de unaquaque re hactenus in Ecclesia obseruata exigentes testimonium expressum, & quo'nam scripturæ loco hæc, aut hæc demonstrentur. Homines quidem (quemadmodum dicit Augustinus) arrogantes, & insanæ mentis, dum contemnunt uniuersalem Ecclesiæ obseruationem, ab ipsis fidei initiis custoditam: quæ non aliud est, quàm Christi & Apostolorum aut successorum Spiritu sancto loquentium, traditio & doctrina. Coguntur necessariò ex illo principio abiicere omnes traditiones Ecclesiæ, omnes conclusiones scripturæ, omnes scripturarum sanctarum non expressas ueritates, fidem trium personarum diuinarum in una essentia diuina singulari, & multa alia grauissima. Sed quid plura? sufficit eorum absurditas, pro eorum abundante impugnatione.

Aduersus hos duos errores aduersariorum præcedentes, de uerbo Dei ab ipsis malè intellecto. CAP. VII.



Duersarij ergo errant grauissimè, tum in eo quod dicunt aut docent, nullum esse quoad nos uerbum diuinum, nisi scriptum: tum in eo quod aiunt, nullum esse quoad nos uerbum diuinum, nisi scriptum expressum. Errant, inquam, in his, quæ sic adstruunt, quia sunt hæc duo falsissima: atque errant deinde, in illis quæ ex his duobus sequuntur. Ex his enim, illis fit, ut neque aliqua credibilia, neque aliqua Dei mandata recipiant, nisi in diuinis scripturis scripta & simul expressa. Aduersus eos dico, qui ita insaniunt, & ita obganniunt.

Pugnat cum prædictis aduersariis tota scriptura diuina, tota ratio naturalis colligens ex manifestis, tota sanctorum patrum doctrina, & tota communis Ecclesiæ Dei obseruantia. Quod non accipiunt ius diuinum, nisi ex diuina promulgatione, & per consequens ex uerbo Dei, accipimus;

ut iam dictum est. Quod autem non accipiant ius diuinum, nisi ex uerbo Dei scripto expresso: nec accipimus, nec admittimus: quia nec est accipiendum, nec admittendum, nec audiendum. Multis enim temporibus nihil ualuit hæc quæ subiicitur cōsequentia, Diuina iura sunt, ergo diuina uerba sunt scripta expressa: Quia uidelicet illis temporibus, multa erant diuina iura, pro quibus nullum erat uerbum diuinum scriptum, nedum expressum.

Quæ tempora sunt aut fuerunt illa? Omnia, quæ præcesserunt ab initio usque ad tempora Mosis, ante legem datā sibi à Deo pro filiis Israël. In omnibus enim illis tēporibus multa fuerunt diuina iura quo ad homines illorum temporum, nullum tamen uerbum diuinum scriptum expressum, uel non expressum tunc fuit, & si multæ fuissent diuinæ reuelationes de illis diuinis iuribus. Igitur nulla est consequentia. Sic etiam Noë post diluuium, sic & Abraham suo tempore particularia mandata acceperūt à Deo, ad quæ absque dubio tenebantur. Non autem habuerunt aliquod uerbum diuinum scriptum, ut palàm est omnibus. Eandem ueritatem reperimus in his, quæ ad nos pertinent & nouum Dei concernunt testamentum. Longo nāque tempore Ecclesia Christiana fuit, multa habens diuina iura tum credendorum, tum faciendorum, aut uitandorum, ante uerbum diuinum scriptum, quod ad nouum testamentum pertineret. Sic ergo illis temporibus nullo modo potuerunt fideles Dei recipere diuina iura secundum Dei uerbum scriptū; neque tunc audirentur, nec in Ecclesia Dei permitterentur, qui non admitterent diuina iura, nisi ex Dei uerbo scripto. talis fuit status Christianorum in primitiua Ecclesia Christiana, ante scriptum Christi euangelium. Erant multa tunc diuina iura prædicta, nullum erat tunc Dei scriptum uerbum.

Qui ergo sunt, aut quam rationem habent aduersarij, qui modò in Ecclesia Christiana nullum admittunt ius diuinum, nisi ex Dei uerbo scripto expresso? Ingenuè fateor non uideo unde sic somniare aut fingere potuerunt, nisi fortè imaginentur omnes diuinas reuelationes à Deo Ecclesiæ Christianæ factas, reductas fuisse ad scripturam sacram no-

ui testamenti; quasi omnis diuina reuelatio reducta sit & contracta ad huiusmodi scripturam. Si ita fingunt, possunt dicere quidquid libuerit, modò sciant id falsissimum esse dictum, absque ueritate, absque ratione, absque fundamento, & contra omnes doctores sanctos, quotquot fuerunt in Ecclesia Dei. Omnes nãque sancti patres, etiã antiquissimi, quotquot hac de re loquuti sunt, fatentur quasi ore uno loquentes, Apostolos & primores patres, nobis suis posteris tradidisse ea, quæ diuinitus acceperunt, partim scripto, partim uerbo. Boni testes illi sunt, prout superius memorauimus, Dionysius, Basilius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Athanasius, seu Vulgarius, Cyprianus, Hilarius, Ireneus, Polycarpus, Origenes; & alij omnes. Ergo aduersarij nostri falsum sibi fingunt, & ex eo, quod falsò fingunt, deducunt quod uolunt, sua culpa est, & sua proteruia.

Quomodo accipiendum sit uerbum Dei scriptum. *CAP. VIII.*



Nos autem Christiani Catholici, quantum ad uerbum Dei scriptũ attinet, maximè uolumus illud: sed non petimus illud expressum; nec mordicus contendimus illud expressum esse petendum. Non contendimus de nominibus, quando constat de re: & conclusiones omnes accipimus, quæ ex sacra scriptura in bona consequentia deducuntur. Sic accipiendum est uerbum Dei scriptum: non amarè, non strictè, non hæreticè, non indoctè; sed amplè, latè, Catholicè, scienterque: cum omnibus, quæ continet explicitè aut implicitè, & cum omnibus, quæ infert. Vt uerbum Dei scriptum, ex quo accipimus ius diuinum scriptum, intelligatur sicut uerbum Dei naturaliter inditum, ex quo accipimus ius diuinum naturale, scriptum interius in cordibus; cum utrunque horum sit ius diuinum, utrunque diuinitus promulgatum, licèt diuersis modis, & utrunque per consequens habeat diuinum uerbum. Ius enim naturale scriptum in cordibns hominum

Verbũ Dei, quomodo accipiẽdum sit.

etiam est diuinum, quemadmodum diuinum ius est illud Dei positiuum scriptum in sacris scripturis externis: quia idem auctor est Deus, dum scribit in cordibus, & dum scribit in membranis. Quòd si utrunque est ius diuinum, ut re uera est, & omnes fatentur: utrunque debet dici diuinitus promulgatum, & utrunq; habet suam diuinitus promulgationem, & suum diuinum uerbum. Ius diuinum naturale, uerbum diuinum naturale: ius diuinum scriptum, uerbum diuinum scriptum. Quomodo debet igitur intelligi uerbum Dei scriptum exterius? Sicut intelligitur uerbum Dei naturale scriptum interius. Quomodo intelligitur uerbum Dei scriptum interius? Vt intelligitur ipsum naturale ius, ipsa naturalis lex. Quomodo intelligitur naturale ius diuinum, seu lex diuina naturalis? Profectò non solùm cum solis suis principiis aut mandatis primis, sed etiam cum suis conclusionibus, quæ ex ipsis principiis deducuntur in bona consequentia. Ergo eodem modo debet intelligi ius diuinum scriptum, seu lex diuina scripta exterius: ut ad ipsam pertineant non solùm sua prima principia, quæ continet expresse, sed etiam suæ conclusiones, ex ipsis principiis deductæ, aut deducibiles. Itaque hoc modo debet intelligi exterius scriptum Dei ius, atque exterius scriptum Dei uerbum; amplè, scienter, & catholicè, ut iam superius proposuimus.

Ad legem ergo diuinam naturalem scriptam in cordibus nostris debemus respicere; ut intelligamus legem diuinam positiuam scriptam in nostris libris externis: quia utraque harum legum diuina est, & utraque absque dubio Deum auctorem habet. An fuit unquam aliquis doctus uir in mundo, Christianus, aut Ethnicus, qui negaret pertinere ad legem naturalem, eas conclusiones, quæ ex principiis naturalis legis in bona consequentia eliciuntur? Lex æterna, est quidem summa ratio in Deo existens, præsertim prout est omnium actionum & motionum in proprios fines directiua: quam & si nullus possit cognoscere in seipsa aut secundum se, nisi solus Deus, & beati, qui Deum per essentiam uident: omnis tamen creatura rationalis ipsam cognoscit secundum aliquam eius irradiationem, uel ma-

August. De lib. arb. lib. 1. S. Tho. prima 2. quæst. 93. art. 1. Lex æterna, quid. S. Tho. ibi art. 2.

iorem, uel minorem. Etenim omnis cognitio ueritatis, est quædam irradiatio & participatio legis æternæ, quæ est ueritas incommutabilis: & ueritatem omnes aliquo modo cognoscunt, saltem quantum ad prima principia legis naturalis: licèt in aliis quidam plus, & quidam minus participent de cognitione ueritatis, & per consequens plus uel minus cognoscant legem æternam. Rursus, omnis lex à lege æterna deriuatur, sicut legimus, Per me reges regnāt, & legum conditores iusta decernunt: ob quod & August. in de Libero arbitrio dicit, quòd in temporali lege nihil est iustum ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi deriuauerint. Porrò lex naturalis, quæ in nobis à lege æterna deriuata est, siue ipsa sit propriè habitus, siue id de quo est habitus, siue sit idem realiter quod intellectus aut ratio, siue sit aliquid superadditum, illa est prima regula rationis practicæ: licèt tamen lex naturalis sit aut dicatur esse, aliquid per rationem constitutum. Habet autem sua principia seu præcepta prima, ueluti ea, Quod tibi uis fieri, alteri facias. Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Bene uiuendum est, &c. Vt primum præceptum sit, Bonum est faciendum & prosequendum, malum uerò uitandum. An habet lex naturalis, unum tantùm præceptum? absit. Quinimmo sic se habent præcepta legis naturalis in homine, quantum ad operabilia, sicut se habent prima principia in demonstratiuis. Sed prima principia indemonstrabilia sunt plura in demonstratiuis: ergo etiam præcepta legis naturæ sunt plura. Verùm quemadmodum quoad speculatiua datur unum primum principium, fundatum quidem super rationem entis & non entis. quale est illud, Non est simul affirmare & negare de eodem. super quo principio omnia fundantur alia; Ita quoad practica seu operabilia datur unum primum principium, fundatum utique super rationem boni & mali, quale est illud, Bonum est faciendum & prosequendum, & malum uitandum. super quo fundantur omnia alia sunt præcepta legis naturæ. Vt etiam Saluator noster nos docuit, dicens, Omnia ergo quæcunque uultis ut faciant uobis homines, ita & uos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ. Itaque sicut est

Augustinus in de Vera relig.

Omnis lex, deriuatur à lege æterna.

Prouerb. 8.

August. lib. 1.

S. Tho. ubi supra. quæst. 94. art. 1. et 2. Et q̃st. 95. art. 2.

Metaph. 4.

Matth. 7.

unum principium primum speculatiuum, & nihilominus sunt plura principia speculatiua indemonstrabilia: sic est unum principium primum practicum, & nihilominus sunt plura principia practica; quæ omnia pertinent ad rationem practicam, & ad naturalem legem. Et licèt principia huiusmodi, sint quædam præcepta legis naturæ, & quasi primi gradus aut primi ordinis naturalium præceptorum: nullus tamen fuit unquam sapiens, qui negaret, pertinere etiam ad legem naturalem omnia alia præcepta, quæ ex his primis, tanquam eorum conclusiones, in bona consequentia deducerentur. Quin potius omnes conformiter dixerunt semper, huiusmodi præcepta pertinere ad legem naturalem, quasi in secundo loco, gradu, aut ordine: tanquam præcepta legis naturæ mediata, habentia alia priora & immediatiora, quibus probentur. Quibus etiam ueritatibus nonnulli doctores addiderunt, uolentes id insuper debere dici de lege naturali, quasi in tertio loco, quod & si non deducatur ex principiis naturalibus in consequentia manifesta, probabilius tamen deducitur ex illis, quàm eius oppositum ex illis deducatur. Vt sic, in lege naturali, latè pateat diuinum ius, & diuinum uerbum. Ad legem ergo diuinam naturalem scriptam in cordibus nostris respicientes, tria inuenimus genera præceptorum, ordines, aut gradus. Ad primum pertinent omnia eius præcepta prima & indemonstrabilia. Ad secundum pertinēt omnia eius præcepta, quæ ex illis primis sequuntur in consequentia manifesta. Ad tertium pertinent omnia eius præcepta, quæ non in consequentia manifesta, sed in consequentia magis probabili, quàm eorum oppositum, ex præceptis primi aut secundi generis inferuntur.

Andreas à Nouo castro. lib. 1. sent. in uariis locis.

Simili autem modo nobis dicendum est, de lege diuina scripta in nostris externis libris: ut in ea etiam distinguamus tria genera mandatorum diuinorum, respondentia prædictis tribus generibus præceptorum legis diuinæ naturalis. Quæ nāque in lege diuina scripta Euangelica sunt expressa, sunt quasi mandata primi generis, per se nota, & nulla alia probatione indigentia: quia eo ipso, diuina auctoritate, qua edita est sacra scriptura, statim probantur.

tur. Quæ in diuina ſcriptura huiuſmodi non ſunt expreſſa, ſed ex ibi expreſsis deducuntur in bona conſequentia, ſunt quaſi ſecundi generis. Quæ autem in ſcriptura non ſunt expreſſa, nec in conſequentia manifeſta ex expreſsis deducũtur, ſed tamen ex expreſsis probabilius eliciuntur, quàm oppoſitum, ſimili modo, tertij generis ſunt dicenda.

Errant ergo grauiter, qui non admittunt diuinum ius, niſi ex diuino uerbo ſcripto: quia ſic, excludunt à diuino iure, omnes conſuetudines Eccleſiæ, omnesque traditiones Eccleſiaſticas. Sed grauius & peius errant, qui non admittunt diuinum ius, niſi ex diuino uerbo ſcripto expreſſo: quia ſic, excludunt à diuino iure omnes conſuetudines & traditiones ſanctæ matris Eccleſiæ, atque omnia diuina præcepta tertij, & ſecundi generis: partibus principalibus Euangelij inferunt damnum, & Euangelij prædicationem contrahunt ad purum ſeu nudum nomen.

Oſtenditur quàm latè pateat Catholicis Chriſtianis, Dei uerbum, & Dei ius, & quam latè debet patère omnibus. CAP. IX.



Obis catholicis Chriſtianis latius patet tum diuinum ius, tum diuinum uerbum. Dicimus enim ius diuinum, ius diuinitus promulgatum: ubicunque illud ſit, ſiue ſcriptum in libris externis, ſiue ſcriptum in cordibus, ſiue in conſuetudinibus aut traditionibus Eccleſiæ, ſiue in conformi patrum ſententia, ſiue in determinationibus ſacrorum conciliorum. In omnibus his eſt ſuo modo diuina auctoritas, apud quodlibet horum eſt ſuo modo diuina reuelatio, in quolibet horum reperitur diuinum uerbum, à quolibet horum petimus diuinum ius. Latius ergo nobis patet & uerbum diuinum, & ius diuinum. Verè ſpiritu Dei loquens, Apoſtolus dixit Corinthiis, An à uobis uerbum Dei proceſsit? Aut in uos ſolos peruênit? Sic & nos ingenuè hîc duo confitemur; Alterum eſt, Verbum Dei non proceſsit à nobis: Alterum eſt, uerbum Dei non peruênit in nos ſolos. Quibus duobus, addi- 1. Cor. 14.

mus hoc tertium, uerbum Dei nõ peruênit ad nos primùm, seu immediatè: sed alij primò receperunt à Christo & à Spiritu sancto, nobisque suis posteris tradiderunt. Manifesta sunt hæc tria. Si autem uerbum Dei non processit à nobis, si uerbum Dei non peruênit ad nos solos, si uerbum Dei non peruênit ad nos primùm aut immediatè, sed mediatè, atq; si uerbum Dei uenit ad Ecclesiam Christianam, & fuit in illa multos annos ante omnem scripturam sacram Noui testamenti, ut etiam est uerissimum & manifestum; profectò nos, qui modò sumus, non debemus quærere uerbum Dei, admittere, uel abiicere, uel interpretari pro nostro libito. Sed potius à primis patribus debemus exigere de uerbo Dei cognitionem, & locum: quod est, ubi est. Eo maximè, quòd nobis est notissimum, omnes hæreticos, qui pro tempore fuerunt, hunc morem semper seruasse, ut scripturam & uerbum Dei prætexerent suis dogmatibus, atque prætextu uerbi Dei, suos defenderent errores. Vnde Hilarius ad Constantium, eum præmonens de hac hæreticorum consuetudine, dixit, Memento neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum scripturas prædicare ea, quæ blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcion, uer bum Dei cũ legit, nescit. Hinc Photinus hominem IESVM Christum cum loquitur, ignorat. Hinc & Sabellius, dum quòd Ego & pater unum sumus. non intelligit, sine Deo patre, & sine Deo filio est. Hinc & Montanus per insanas fœminas suas, Paracletum alium defendit. Hinc & Manichæus & Marcion legem odit; quia litera occidit, & mundi princeps diabolus est. Omnes scripturas sine sensu loquuntur, & fidem sine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo: non in præuaricatione sunt, sed in charitate. Hæc ille. Non ergo licet nobis pro nostro libito admittere, abiicere, aut interpretari uerbum Dei: quia non processit à nobis, quia non peruênit ad nos solos, quia non peruênit ad nos primùm, & quia prætextu uerbi Dei perperam intellecti hæretici, qui fuerunt, sua falsa dogmata prædicarunt, & pro posse defenderunt. Ab aliis ergo, Dei uerbum nobis est petendum. à quibus? Sine dubio à sancta matre Ecclesia, quæ est do-


Mos hæreticorum.

Hilarius ad Constantium.

Ioan. 10.
2. Cor. 4.

mus Dei, columna & firmamentum ueritatis: à ſuis traditionibus, State igitur fratres & tenete traditiones: & à ſanctis patribus antiquiſsimis, Interroga patrem tuum, & dicet tibi: maiores tuos & annuntiabunt tibi. Nec eſt ignotum, quòd ab ore ſacerdotis debemus exquirere ſcientiam & legem. Hos ergo conſulamus. Ab hiſque petamus de Dei uerbo, Quid eſt? Vbi eſt? Ipſi autem nobis oſtendũt, quoad primum, quòd uerbum Dei non eſt ſolum ſcriptum in ſcripturis externis, ſed etiam eſt mentale ſcriptum in cordibus, conſuetudinarium, ſitum in traditionibus, aut huiuſmodi: & quoad ſecundum, quòd apud ſcripturas externas uel internas, apud traditiones Eccleſiæ, aut apud ſanctorum doctorum conformes ſententias, debemus illud quærere, atque inuenire. Pſal.

Oſtenditur quòd licèt apud nos Chriſtianos Catholicos latius pateat diuinum uerbum & diuinum ius, quàm apud aduerſarios, nullibi tamen reperitur diuinum uerbum aut diuinum ius, quo teneantur omnes fideles Chriſtiani communicare ſub utraque ſpecie. CAP. X.



Ecundum ea, quæ dicta ſunt, & ſecundum ueritatem, nobis Chriſtianis Catholicis latius quàm aduerſariis noſtris Neochriſtianis patet, & uerbum diuinum, & ius diuinum: ut ex iam dictis facillimè omnibus conſtare poterit, qui uidere uoluerint. Accipimus enim nos uerbum Dei in tota ſua amplitudine & extenſione, atq; ſecundum omnes ſuas ſpecies, aut genera: illudq; in multis locis quærimus, inuentum intelligimus, accipimus, commendamus, credimus, confitemur, & iuxta noſtram fragilitatem obſeruamus. Aduerſarij autem noſtri non ſic, ſed unam ſolam ſpeciem uerbi Dei accipiunt, hoc eſt, uerbum ſcriptum in ſcripturis externis: atq; illam ſpeciem uerbi Dei ita ſcripti mutilant, detruncant, contrahuntque nimis: quia nec uerbum Dei ſcriptum accipiunt, niſi expreſſum, paruifacientes & relinquentes omnia, quæ in uerbo Dei ſcripto continentur implicitè, & omnia, quæ

ex illo deducuntur in bona consequentia. Quo fit etiam, ut uerbum Dei nec accipiant, nec recognoscant, nisi in externa scriptura sacra sit scriptum expressum: nec illud alibi quærant, nec illud in alio loco admittant oblatum, aut allegatum. Nobis ergo patet latius, quàm illis. Verùm & si apud nos latius pateat, quia & in omnibus suis speciebus, & in omnibus suis gradibus, & in multis locis: nullibi tamen apud nos reperitur aliquod Dei uerbum aut ius, quo omnes Christi fideles teneantur communicare in utraque specie sanctissimi sacramenti Eucharistiæ. Non enim in scriptura Dei externa, non in scriptura Dei interna, non in traditionibus Ecclesiæ, non in consuetudinibus, non in conformi sanctorum patrum sententia, non in determinationibus conciliorum: ut ex dicendis erit notum, postquàm obiectionibus aduersariorum fuerit responsum.

Signum euidentissimum huius ueritatis Catholicæ est, quòd quàm primùm in Ecclesia Latina apud Bohemos ortum habuit illa hæresis, quæ asserit, necessariò sub utraque specie, scilicet panis & uini, esse communicandum, ita quòd qui sub una specie tantùm communicat, etiam si laicus sit, peccet: statim sancta mater Ecclesia, quam primùm potuit, illi errori occurrit, illumque damnauit: non esse laicis necessariò de necessitate salutis communicãdum sub utraque specie declarauit, & ne aliquis deinceps absq; Ecclesiæ auctoritate communionem sub utraque specie acciperet, præcepit. Verba decreti sunt.

Decretum Concilij Constantiensis.

Concilium Constant. Sess. 13. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen. Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere sacramentum Eucharistiæ sub utraque panis & uini specie suscipere, & non solùm sub specie panis, sed etiam sub specie uini, populum laicum passim communicent, etiam post cœnam uel aliàs non ieiuni, & communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam

tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc est, quòd hoc præsens concilium sacrum generale Constantiense, in Spiritu sancto legitimè congregatum, aduersus hunc errorem, saluti fidelium prouideri satagens, matura plurium doctorum tam diuini quàm humani iuris deliberatione præhabita, declarat, decernit & diffinit, quòd licèt Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub utraque specie panis & uini hoc uenerabile sacramentum, tamen hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, quòd huiusmodi sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis, à iure uel Ecclesia concesso, uel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad euitandum aliqua pericula & scandala rationabiliter introducta, quòd licèt in primitiua Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, posteà conficientibus sub utraque, & à laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur; cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quàm sub specie uini, ueraciter contineri. Vnde cùm huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata sit, habenda est pro lege, quam nō licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc consuetudinem aut legem obseruare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum: & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt & grauiter puniendi per diœcesanos locorum seu officiales eorum, aut inquisitores hæreticæ prauitatis in regnis seu prouinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid fuerit forsan attentatum, aut præsumptum, iuxta Canonicas & legitimas sanctiones, in fauorem Catholicæ fidei contra hæreticos & eorum fautores, salubriter adinuentas.

Ecce uerba decreti sancti & uniuersalis concilij Constantiensis, in quibus satis declaratur, hanc consuetudinem communicandi fideles Christianos non celebrantes, sub al-

tera tantùm ſpecie, eſſe ab Eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introductam, & diutiſsimè obſeruatam, atque pro lege habendam. Signum manifeſtum, quòd non ſit aliquod diuinum uerbum aut ius, de oppoſito faciendo ex neceſsitate ſalutis: nanque ſi eſſet, illud cognoſceret profectò ſancta mater Eccleſia prioribus ſæculis, illud cognoſcerent ſancti patres, illudque inueniret & cognoſceret concilium Conſtantienſe uniuerſale; in quo abſque dubio, multi patres conuenerunt, & ſanctiſsimi, & doctiſsimi. Eandem ueritatem habemus ſecundò determinatam in concilio Baſileenſi; in quo patres præhabita omni diligentia, & diuinarum ſcripturarũ conſideratione, ita dixerũt, ut ſequitur.

Decretum concilij Baſileenſis, ſuper modo communionis.

Concilium Baſileen. Seſſi. 30. Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, uniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Vt lucidius uideatur pro declaratione ueritatis, quid circa perceptionem ſacræ Euchariſtiæ tenendum ſit, & agendum pro utilitate & ſalute populi Chriſtiani, poſt diligentem perſcrutationem diuinarum ſcripturarum ſacrorumque canonum, & doctrinarum à ſanctis patribus & doctoribus traditarum, in hac ſancta ſynodo longis temporibus habitam, conſideratisq; omnibus, quæ pro declaratione huius rei conſideranda fuerunt, decernit & declarat eadem ſancta ſynodus, quòd fideles laici ſiue clerici communicantes, & non conficientes, non aſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet & uini, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum. Sed Eccleſia, quæ regitur ſpiritu ueritatis, ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet uſque ad conſummationem ſæculi, ſicut ait diuina ſcriptura, ordinare habet, quomodo ipſis non conficientibus miniſtretur, prout pro reuerentia ipſius ſacramenti & ſalute fidelium uiderit expedire. Siue autem ſub una ſpecie, ſiue ſub duplici quis communicet, ſecundum ordinationem ſeu obſeruantiam Eccleſiæ, proficit dignè communicantibus ad ſalutem. Nec ullatenus ambigendum eſt, quòd non ſub ſpe-

cie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie uini ſanguis tantùm: ſed ſub qualibet ſpecie eſt integrè totus Chriſtus. Laudabilis quoque conſuetudo communicandi laicum populum ſub una ſpecie, ab Eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſsimè obſeruata, & à doctoribus diuinæ legis, ſacrarum ſcripturarum, atque canonum, multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda eſt; nec alicui licitum eſt eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſam immutare. Datum Baſileæ in noſtra ſolenni & publica ſeſsione, decimo Calendas Ianuarij, anno à natiuitate Domini, milleſimo, quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

Ecce & illi patres poſt diligentem perſcrutationem diuinarum ſcripturarum, ſacrorumque Canonum, & doctrinarum à ſanctis patribus & doctoribus traditarum, longis temporibus adhibitam, & conſideratis omnibus, quæ pro declaratione huius ueritatis conſideranda fuerunt, decreuerunt, & declarauerunt, quòd fideles laici ſiue clerici communicantes & non conficientes, non aſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub utraque ſpecie, panis uidelicet & uini, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum.

Concilium Colonienſe.

Colonienſe concilium prouinciale, etiam de hac re ita definiuit, Vbi ſunt, quibus contra Eccleſiæ conſuetudinem perſuaſum eſt, oportere laicos participare corpus & ſanguinem Domini ſub utraque ſpecie: ibi docebit parochus hos, qui grauatam habent conſcientiam, corpus & ſanguinem Domini altera tantùm ſpecie perfectè conſiſtere, adeò ut laicus, qui ſub ſpecie panis communicat, non tantùm corpus, ſed & ſanguinem Domini non minus recipiat, quàm qui capit ſub utraque ſpecie & panis & uini. Eccleſiam quoque laicis unam tantùm ſpeciem dare, quo pro reuerentia ipſius ſacramenti & ſalute fidelium, Eccleſia, cui diſpenſatio ſacramentorum Dei commiſſa eſt, ſic uiderit expedire. Nam cùm nullatenus ambigendum ſit, ſub ſpecie panis non tantùm carnem, nec ſub ſpecie uini ſanguinem tantùm, ſed

part. 7. cap. 15.

ſub qualibet ſpecie Chriſtum contineri: cur ſe laicus iudicio Eccleſiæ, quam Dominus audiri uoluit, non ſubmittet? Quæ non temere, ſed multis rationibus permota, decreuit ſalubrius eſſe, ut non tantùm populus, ſed & ſacerdotes non ſacrificantes, Chriſtum ſub una tantùm ſpecie, quàm ſub duabus perciperent. Quid enim panis uinique ſpecies aliud ſunt poſt conſecrationem, quàm ſpecies ſacramentales, & accidentia ſine ſubiecto? Vt non habeat laicus cur queratur, ſibi alteram ſubtrahi ſpeciem, ubi totum, quod ſub utraque ſpecie continetur, integrè accipiat. Hæc ibi in actis illius concilij.

Diuus Thomas.

Sanctus Thomas mouet quæſtionem, Vtrum liceat ſumere corpus Chriſti ſine ſanguine? id eſt, An liceat ſumere corpus Chriſti ſub ſola ſpecie panis? Reſpondet autem ſecundum partem affirmatiuam quæſtionis huiuſmodi, & aſſerit quòd ſic. Adducit primùm in probationem, multarum Eccleſiarum uſum, in quibus populo communicanti datur corpus Chriſti ſumendum, non autem ſanguis, hoc eſt, non ſanguis ſub ſpecie uini. Latius autem reſpondendo dicit. Dicendum, quòd circa uſum huius ſacramenti duo poſſunt conſiderari; unum ex parte ipſius ſacramenti, aliud ex parte ſumentium. Ex parte quidem ipſius ſacramenti conuenit, quod utrunque ſumatur, ſcilicet & corpus & ſanguis: quia in utroque conſiſtit perfectio ſacramenti. Et ideò quia ad ſacerdotem pertinet hoc ſacramentum conſecrare & perficere: nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine. Ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reuerentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod uergat ad iniuriam tanti myſterij. Quod præcipuè poſſet accidere in ſanguinis ſumptione: qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi. Et quia creuit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes & iuuenes & paruuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum huius ſacramenti adhibeant; ideò prouidè in quibuſdam eccleſiis obſeruatur, ut populo

ſanguis

sanguis sumendus non detur, sed solùm à sacerdote sumatur. Hæc ille.

Ita ergo tam concilia, quàm doctores sancti & catholici seorsum scribentes, probant hanc consuetudinem communicandi populum, uidelicet laicos, atque clericos non celebrantes, in altera specie tantùm: & asserunt eam esse laudabilem, prouidam, multarum Ecclesiarum, & diutissimè obseruatam in Ecclesia Christiana. Tanquam pro certo habeant, nullum prorsus esse diuinum uerbum, diuinum ius, aut diuinum præceptum, seu mandatum, de opposito faciendo: nanque contra diuinum uerbum, ius, præceptum, aut mandatum, nulla potest esse laudabilis consuetudo.

Ostenditur eadem ueritas ex antiquitate huius consuetudinis, ex ritibus, atq; ex statutis, quæ de hac re extant. CAP. XI.



Ntiquitas huius consuetudinis, uidelicet cōmunicandi fideles non celebrantes in altera tantùm specie, tanta est, & à tot retro sæculis, ut ea probet atque demonstret satis hanc ueritatem, de qua agimus. Fuit enim à temporibus sanctorum, cōfessorum, martyrum, immo & Apostolorum, immo & ipsius Saluatoris nostri, post resurrectionem, & ante in cœlos ascensionem: ut infra palàm ostenditur, ubi agitur de antiqua consuetudine etiam communicandi laicos in ambabus speciebus. Probat ergo satis intentum, hæc antiquitas huius consuetudinis: tum ex multis aliis, quæ nunc omittimus, inferius tractanda & ostendenda: uidelicet ex eo quòd & Saluator noster per se, & Apostoli eius, alios cōmunicauerunt aliquando in sola panis specie: tum, quia hæc antiquitas huius consuetudinis nunquam habuit doctorem aliquem sanctum aut catholicum, qui eam damnaret, aut contra eam ageret. Haberet autem profectò, si contra ius diuinū fuisset: quia nihil abundantius aut oculatius faciebant patres, quàm quòd diuina iura commendarent, & contra trāsgressores clamarent. Fuisset autem hæc consuetudo cōtra ius diuinum, si ius diuinum, præciperet eius oppositū.

Ergo ius diuinum non præcipit oppositum huius antiquitatis, aut huius antiquæ consuetudinis.

Habemus huius antiquitatis multos testes antiquissimos, & notissimos, in quorum libris uidemus, eam consuetudinem olim fuisse, ut fideles Christiani, etiam laici, in manus acciperent Eucharistiam, & domum portarent: utque sanctissimi Romani Pontifices, sacram Eucharistiam mitterent aliis Episcopis. Et hoc quidem non in utraque specie, panis & uini, propter fluxibilitatem specierum uini, & facilem conuersionem in acetum: sed in sola specie panis, ut etiam ex multis constat. Audiamus ergo patres, de hac re disserentes.

Irenævs.

Euseb. refert Ecclesiast. hist. lib. 9. cap. 26.

Ireneus nomine fratrum per Galliam, quibus præerat, scripsit, Victoremque summum Pontificem admonuit, ne cunctas Ecclesias Dei antiquæ consuetudinis traditionem retinentes, uidelicet de obseruando ieiunio aut celebrando die Paschæ, alienaret: quin potius cum eis seruaret pacem, ut sui fecerant prædecessores. Adduxit in exemplum multos summos Pontifices, uidelicet, Anicetum, Pium, Higinum, Telesphorum, & Xistum, qui ante Soterem fuerunt, pacem cum seruantibus suam consuetudinem retinuerunt, & Eucharistiam fratribus illarum parœciarum, qui suo more seruabant, miserunt. Ecce Eucharistia sacra mittebatur, & constat quòd non nisi in specie panis.

Anicetus, Pius, Higinius, Telesphor. Xistus.

Dionysivs Alexandrinus.

Euseb. refert Ecclesiast. hist. lib. 6. cap. 44.

Dionysius Alexandrinus, Fabio cuidam, schismati sese quodammodo submittenti, inter alia, hæc scripsit, Vnum autem hoc tibi exemplum, quod apud nos contigit, exponam, Serapion quidam erat apud nos fidelis senex, qui diu quidem inculpatè uixerat, in persequutione uerò ceciderat. Hic sæpenumero recipi petierat, uerùm nemo illi attenderat, sacrificauerat enim. In morbo autem constitutus, totum triduum mutus & sensuum facultate destitutus

mansit. Post ubi quarto die nonnihil conualuisset, nepoti ex filia ad se uocato dixit, Quousque ò fili, detinetis me? Obsecro properate, & me uelociter absoluite. Voca ad me aliquem ex presbyteris. Quibus dictis, iterum obmutuit. Cucurrit puer ad presbyterum, Erat autem nox. Presbyter ægrotabat, ideoque ire cum puero non poterat. Quoniam uerò mandaueram, morituros, si petant, & maximè si etiam antea suppliciter petierunt, admitti debere, ut spe bona fulti migrent, parum Eucharistiæ puero dedit, iussitque, ut id infunderet, & in os senis instillaret. Puer redit, adferens Eucharistiam. Cum autem è uicino esset, antequam ingrederetur, rursus Serapion, Venis, inquit, fili? Presbyter quidem uenire non potest, tu uerò confestim facito quod ille præcepit, meque dimitte. Infudit puer, ac simul ori senis instillauit. Qui cum parum gustasset, mox spiritum reddidit. Ecce in sola specie panis Eucharistia missa fuit, quæ madefacta, ori senis instillata est.

CYPRIANVS.

Cyprianus in sermone de Lapsis, refert de muliere quadam, quæ in arca sacram Eucharistiam reposuerat, & quia indignis manibus eam tractauerat, quando arcam aperire tentauit, igne inde surgente deterrita est, ne attingere auderet. Ecce & mulier illa, in domum suam portauit sacram Eucharistiam. Non dubium, quin ex more, nec dubium, quin in sola panis specie.

TERTVLLIANVS.

Tertullianus in de Corona militis fatetur, quòd Eucharistiæ sacramentum, & in tempore uictus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium accipiebant fideles sui temporis. Alibi autem explicans, quòd à sacerdote accipientes, in suas portabant domos, dicit ad uxorem, Non sciet maritus quid secretò, ante omnem cibum gustes. *lib. 2. ad uxorē.*

AMBROSIVS.

De excessu fratris sui. cap 7. Ambrosius de Satyro fratre suo, commendans eius erga Deum pietatem & deuotionem, refert quòd constitutus in naufragio non mortem metuens, sed ne uacuus mysterij è uita exiret, ab his, quos initiatos esse cognouerat, diuinũ illud fidelium sacramentum dari poposcerit, ut fidei suæ tali sacramento consequeretur auxilium, quodque datum sibi sacramentum ligari fecerit in orario, & orarium in collo inuoluerit, atque ita se in mare deiecerit, non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat: unde tandem primus seruatus est, & in portum terrenæ stationis euectus. Ecce illi, qui initiati erant in naui, secum hoc diuinum sacramentum portabant: à quibus beatus ille Satyrus petiit, & accepit, & in orario ligari fecit, & orarium in collo inuoluit, postea communicaturus. Constat autem illud diuinum sacramentum non haberi tunc in naui, nec à beato Satyro accipi, nisi in altera tantùm panis specie, quæ in orario ligari potuit.

Ecce de consuetudine illa: de qua ij suprà nominati patres tradunt, & nullus eam reprehendit: quod profectò facerent, si fideles tenerentur communicare sub utraque specie, & non esset eis licitum in iure diuino communicare sub altera tantùm.

Spectant eodèm, idque satis probant sanctiones patrum, de custodia sacrosanctæ Eucharistiæ in loco tutissimo & mundissimo, pro fratribus infirmis communicandis. Constat enim de illis, & constat quòd non erant de custodienda sacra Eucharistia in ambabus speciebus, sed in una specie panis.

CLEMENS Martyr.

De consecr. dist. 2. c. Tribus gradibus. Clemens Martyr, Petri Apostoli discipulus, & in cathedra Apostolica successor, narrat multa, quæ se à beato Petro accepisse asserit: inter ea dicit se ab eo accepisse hoc,

quòd tribus gradibus commiſſa ſunt ſacramenta diuinorum ſecretorum, Presbytero, Diacono, & Miniſtro: qui cum timore & tremore reliquias corporis Domini debent cuſtodire fragmentorum, ne qua putredo in ſacrario inueniatur, &c. Ecce à temporibus Apoſtolorum eſt ſacrarium, in quo reconditur & ſeruatur corpus Domini: quod inſuper tanta cum uigilantia & munditia curari debet, ne in eo aliqua inueniatur putredo.

Concilium Vuormat.

Concilium Vuormatien. ſanciuit, quòd Presbyter Euchariſtiam ſemper habere debeat paratam; ut ſi quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur: cum ſacroſancta Euchariſtia, morientibus ſaluberrimum & tutiſsimum ſit uiaticum. *De conſecr. diſt. 2.*

Concilium Arelat.

Concilium Arelatenſe, grauiter animaduertit in eos, qui negligentes ſunt, in ſacræ Euchariſtiæ cuſtodia.

Concilium Lateran.

Concilium Lateranenſe, cui quatuor Patriarchæ interfuerunt, & ingens Epiſcoporum multitudo ex toto terrarum orbe ſub Innocentio tertio celebratum, conſtituit ut ſacra Euchariſtia cum chriſmate ſub fideli cuſtodia clauibus & ſeris adhibitis conſeruetur, ne temeraria ad ea manus extendi poſsit.

HONORIVS III.

Honorius tertius præcepit, ut ſacra Euchariſtia in loco aliquo ad hoc deſtinato & mundo honorificè reponatur, ac per fideles & pios cuſtodiatur.

Concilium Tridentinum.

Concilium Tridentinum ita etiam definiuit, & decreuit, quòd consuetudo asseruandi in sacrario sacram Eucharistiam, adeò antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni concilij agnouerit: & Canonem aduersus contradicentes

Can 7. adiecit, dicens, Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reseruari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos honorificè deferatur, Anathema sit.

Ecce uidemus multas admodum sanctæ Ecclesiæ, sanctorum conciliorum, & sanctorum patrum sanctiones, in quibus statuitur de custodia sacræ Eucharistiæ pro communicandis infirmis fidelibus, etiam à tempore antiquissimo: & certo certius nouimus, hoc de sacra Eucharistia in sola specie panis fuisse semper intellectum, & usque ad nostra hæc tempora obseruatum. Species enim uini nullo modo poterant custodiri, propter earum facilimam cōuersionem in acetum, immo & propter necessariò eminens periculum effusionis, uel distillationis earum, si ad infirmos deportarentur.

Multa possunt uideri de hac re, in de consecratione. dist. 2. cap. Qui bene: cap. 20. Et de custodia Eucharistiæ. cap. statuimus. In Clement. Ad nostrum. de hæreticis. Clement. unica. de reliquiis & uenera. sanctorum. De celebrat. Missarum. cap. Sanè. Et apud Augustinum, De uisitatione infirmorum. lib. 2. cap. 4. Vbi aut de custodia, aut de ueneratione est sermo.

August. lib. 3. Chrysost. Homil. 17. Theophil. Beda. Supradictis patribus addimus, Augustinum in de consensu Euangelistarum, Chrysostomum super Matthæum, Theophylactum super Lucam, & Bedam super Lucam: qui omnes asserunt Saluatorem nostrum communicasse duos illos discipulos; et constat quòd in sola specie panis.

Catalogus doctorum, catholicorum sanctorumque, tam recentiorum quàm antiquorum, sacrorumque conciliorum, in quibus reperitur communio laicorum aut clericorum non celebrantium, sub altera tantùm specie:

non ut reprobata, nec ut diuino iuri contraria, ſed ut laudabilis, bona, iuſta, ſancta, & diutiſsimè obſeruata, cum fidelibus infirmis, & pariter cum fidelibus in ſanitate conſtitutis: inter quos patres ponitur & Tertullianus, in teſtem antiquitatis.

Alexander de Ales.
Sanctus Thomas.
Sanctus Bonauentura.
Ioannes Gerſon.
Gabriel Biel.

Facultas Theologiæ uniuerſitatis Pariſien.
Facultas Theologiæ uniuerſitatis Louanien.

Ruardus Tapper.
Alfonſus à Caſtro.
Stanislaus Hoſius.
Concilium Conſtantien.
Concilium Baſileen.
Concilium Colonien.
Ireneus Martyr.
Dionyſius Alexandrinus.
Euſebius Cæſarien.
Cyprianus Martyr.
Tertullianus.
Ambroſius.
Clemens Martyr.
Concilium Vuormatien.
Concilium Arelaten.
Concilium Lateranen.
Honorius tertius.
Concilium Tridentinum.
Auguſtinus.
Chryſoſtomus.
Theophylactus.
Beda.

Reperimus ergo hanc communionem & eius antiquitatem apud multos, ueteres antiquos & neotericos: ſed profectò apud nullum reperimus huius communionis repræhẽſionem, nec ullum reperimus, qui eam damnet, tanquam

iuri diuino contrariam. Ratio huius rei est manifesta, quia uidelicet ius diuinum nec omnibus fidelibus communionem sub utraque specie præcipit, nec fidelibus non celebrantibus cōmunionem sub altera tantùm specie prohibet.

Sit ergo conclusio omnium præcedentium in hoc articulo primo, seu ad illum, uerissima & constantissima, quòd licèt omnes fideles Christi cum ad annos discretionis peruenerint, teneantur ad sumptionem sacræ Eucharistiæ, & licèt omnes sacerdotes celebrantes teneantur sub utraque specie sumere: modus tamen, quo uel laici, uel clerici nō conficientes tenentur communicare, non est præfixus diuino iure: sed potest esse uel unus, uel alter: sub utraque specie, aut sub altera tantùm. Vt modus huiusmodi sit commissus, aut relictus sanctæ matri Ecclesiæ: sitque in sua potestate & gubernatione situm, hunc uel illum statuere, prout iudicauerit expedire. Omnino sicut dixit Augustinus ad Ianuarium de hoc diuino sacramento ante alium cibum, uel post alium cibum, sumendo.

Quoad clericos celebrantes. Gelasius. De consecr. dist. 2. c. Comperimus.

August. epist. 118. tom. 2.

Atque profectò nisi aut increduli, aut pertinaces esse uoluerimus in contrarium, de utroque modo habemus exemplum; primum à Saluatore nostro proprio, deinde ab eius Apostolis. Etenim idem Saluator, qui in cœna nouissima communicauit Apostolos in ambabus speciebus: post resurrectionem apud Emaus communicauit duos alios discipulos suos, in sola specie panis. Vt re uera, constanter intellexerunt, & interpretati sunt, Augustinus in de consensu Euangelistarum, Chrysostomus super Matthæum, Theophylactus super Lucam; Beda item super Lucam, et alij patres penè infiniti. Apostoli etiam utrunque modum seruarunt. ut de communione sub utraque specie, constat ex epistolis ad Corinthios; & de communione sub specie panis tantùm, constat ex actibus Apostolorum. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus, &c.


Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. Lucæ 24. August. lib. 3. Chrysost. Homil. 17. Theophyl. Beda. 1. Cor. 10. & 11. Act. 2.

De his autem, inferius dicuntur multa: ubi ostenditur ambas has consuetudines fuisse olim seruatas in Ecclesia Dei, ut sic uel sic ab antiquissimis temporibus, laicorum aut clericorum non celebrantium haberetur communio

Inferius lib. 3.

Probationes

Probationes primæ conclusionis, ad Artic. 2. CAP. XII.



Rima conclusio responsiua ad secundum articulum probatur ex multis, præsertim ex nonnullis præstantioribus. Primùm ex auctoritate, sanctitate, ac sapientia sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ipsas rationes probauit. Probatio 1.
Est enim Ecclesia Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis: estque regina, sponsa, unica, dilecta, tota formosa; & super hæc, firmissimas promissiones habet sponsi sui Saluatoris nostri, quòd portæ inferi non præualebūt aduersus eam. nec in fide, nec in moribus, nec in cognitione ueri, nec in cognitione boni aut mali. Vnde ipsa errare non potest. Alioquin iam portæ inferi aduersus eam præualere possent. non possunt autem. Ex quo igitur sancta mater Ecclesia illas rationes probauit, constat eo ipso, eas rationes esse probandas. Secundò, constat idem ex modo, quo Ecclesia probauit illas rationes. Quia profectò in concilio uniuersali Constantien. in quo multi uiri doctissimi conuenerunt, & magna discussione ac deliberatione præhabita, ita determinauerūt, ut illas rationes probarent, & populo non nisi communicationem seu communionem sub altera specie concedebant. Fuit igitur illud iudicium commune, cui si quis præponat suum iudicium particulare, genus quoddam est ariolandi. Melior est enim obedientia, quàm uictimæ: & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Est autem uox domini quidem uel in sacra scriptura, uel in sacris uniuersalibus conciliis, uel in generalibus traditionibus antiquissimis. Et quantum nobis omnibus sit parendum iudicio communi multorum patrum, notauit diuus Bernardus ex illo eodem uerbo: Sed abundantius id notauit diuus Augustinus in de ciuitate Dei, auctoritatem septuaginta præponens cunctis aliis interpretibus. Tertiò probatur eadem conclusio & ueritas ex ipsismet rationibus, quas non potest non probare statim omnis intellectus

1. Timo. 3. — Matth. 16. — Proba. 2. — 1. Reg. 15. — Proba. 3.

Christianus, mundus, pius, sanus. Illæ nanque rationes fuerunt istæ sequentes, Prima enim ratio, cur sancta Ecclesia catholica hunc introduxit ritum communicandi laicos ac sacerdotes non celebrantes sub altera tantùm specie, est, Vt euitetur periculum distillationis & effusionis sanguinis Christi, qui non nisi cum magna cautela & prouidentia est tractandus propter fluxibilitatem specierum uini, sub quibus continetur; quæ de facili possunt effundi. Præsertim in tanta multitudine communicantium; cum ad communicandum persæpe conueniunt homines tremuli, barbati, infirmi, paruuli; qui non possunt sanguinem sumere satis prouide, quin de facili peccata & pericula grauia sequantur. Quantum autem peccatum, & quàm graue sit stillatio uel effusio sanguinis Christi, satis declarat pœnitentia sacerdoti iniungenda, per cuius negligentiam gutta sanguinis cadit in terram uel pallam altaris. Iuxta decretum Pii Papæ, qui, ut refert Augustinus ad Generosum, fuit decimus Papa post beatum Petrum, & sedit in cathedra eius circa annum centesimum quinquagesimum tertium. Nec solùm propter periculum effusionis, sed etiam propter periculum conseruationis speciei uini, aut portationis de loco ad locum pro infirmis. Periculum enim fuisset in conseruatione specierum uini pro infirmis, pro quibus semper parata haberi debet sacrosancta Eucharistia, ut sacra iura præcipiunt. Periculum quidem in conseruando ne uerterentur in acetum, & ita desinerent esse sacramentum. Ne congelarentur in hyeme. Ne bibiones & muscæ generarentur in æstate, aut aliàs, species corrumperentur, quantumcunq; uas obstrueretur. Et ita aut redderentur ad sumendum abominabiles; aut si species uini corrumperentur, daretur infirmo occasio idololatrãdi, & sumendi pro sacramẽto, quod non esset sacramentum. Periculum deferendi quandoque etiam in equis ad loca remotiora, ubi cadere posset sacerdos, siue eques, siue pedes. Etiam propter uasa, in quibus oportebat fieri tanti uini consecrationem, quo sufficeret pro decem aut uiginti millibus personarum, & propter negocium, quod esset in re huiusmodi. Rursus quia esset hoc sumptuosum nimis & laboriosum præsertim in his re-

Ratio 1. quare sancta Ecclesia interdixit non celebrantibus cõmunionẽ sub utraq; specie.

Gabriel refert has rationes super Canonem Missæ. lect. 84.

De consecr. dist. 2. c. Si per negligentiam. August.

De consecr. dist. 2. c. Sed presbyter. & c. Qui bene.

gionibus, in quibus uix inuenitur uinum pro celebratione, de longinquo, & pretio caro deportatum. Secunda causa seu ratio cessationis ab huiusmodi ritu fuit, atque est, ut tollerentur errores, qui ex communione sub utraque specie orti fuerunt, & oriri poterunt. Credere enim poterat communis populus ex tali communione, Christum non esse totum uerum & perfectum hominem sub una specie, nec tantum esse sub una specie quantum sub duabus, sicut multi hæreticorum de facto astruxerunt. Nestorius enim sub specie panis tantùm corpus Christi esse, dogmatizabat sine sanguine: et sub speciebus uini, sanguinem tantùm sine corpore: pro eo quod in Parasceue corpus fuit separatum à sanguine. Quæ sua argumentatio nihil ualet, cùm talis sit Christus in sacramento, qualis est in sua naturali consistentia. Ob quod si Apostolus aliquis in Parasceue consecrasset, sub speciebus panis, fuisset corpus sine anima & sanguine, uidelicet post expirationem in cruce. Nunc autem, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur; si consecratur, utrobique est uiuus; ergo sanguis utrobique, & corpus. Ad tollendum etiam illum errorem, quem tenuit Pelagius, quòd communio sub utraque specie sit laicis de necessitate salutis: secundum quod, quidam deducere nisi sunt ex illis uerbis Domini, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Vnde Pelagius sub utraq; specie communicabat etiam paruulos. Ac multi præterea ultra Pelagianos errantes, occasione dictorum uerborum, communicabant etiam in utraque specie iam iam mortuos, ut refert Beda in quadam homilia. super Matthæum. Tertia est, Quia ex illo errore dicente, quòd communio sub utraque specie, est de necessitate salutis, sequuntur alij errores non minus periculosi, & uitandi, damnandi, atque extirpandi, ut recitant doctores catholici: Vnus quòd tanta esset dignitas laicorum circa sumptionem corporis Christi, sicut sacerdotum. Aliud, quòd perierunt omnes & pereunt aliter sentientes, facientes, aut docentes; omnesque generaliter tã clerici quàm doctores & prælati, qui non posse tenus opposuerunt se tali consuetudini, uerbis, scriptis, aut senten-

Ratio 2. eiusdē rit.

Ioan. 6.

Ratio 3.

tiis; & quod sacram scripturam omnes illi peruerterunt. Aliud, quòd sancta Ecclesia Romana non ritè sentit de sacramentis, nec in hoc esset imitanda. Aliud, quòd concilia generalia, & specialiter Constantiense & Basileense errauerunt in fide & bonis moribus. Aliique plures errores ac seditiones grauissimæ, ex illo errore, facillimè possunt suboriri. Istæ sunt rationes potissimæ, quibus adducta fuit sancta Ecclesia Catholica, ut illam communionem sub utraque specie laicis & clericis non celebrantibus interdiceret: de quibus, ex ipsismet uisis & consideratis, constat statim, quòd fuerunt bonæ, iustæ, sanctæ, sufficientes, & piissimæ. Atque eas ut tales, recollegit, & commendauit

lect. 84. Gabriel super Canonem Missæ: apud quem facilè uideri possunt, cum multis alijs, quæ ibi adducit in commendationem huius communionis laicorum ac etiam clericorum

Proba. 4. non celebrantium, sub altera tantùm specie. Vltimò probatur eadem conclusio, ex communi consensu omnium doctorum catholicorum, & sanctorum uirorum, qui de hac re tractauerunt, & ipsas rationes seu causas probarunt:

S. Tho. part. 3. quæst. præsertim Sanctus Thomas, Sanctus Bonauentura, Alexander de Ales, Ioannes Gerson, Gabriel Biel.

Alfonsus Castrensis.

lib. 6. hæresi. 12. contra Eucharistiã. Causas huiusmodi prohibitionis expressit etiam Alfonsus à Castro, in suo opere aduersus hæreses, dicens, Causæ quidem ad id tollendum plurimæ subsunt. Prima, numerosa fidelium multitudo in dies crescens, propter quam cõmunicandam periculum erat effusionis sanguinis, quod in præcedente tempore propter populi paucitatem non adeò timendum erat. Altera huic proxima, delatio uini ad loca distantiora pro communicandis infirmis. quo casu, timendum ualde erat, ne inopinato deferentis lapsu, sanguis effunderetur. Nam ob aliam similem causam, cum olim communio sub utraque laicis daretur, sanguinem Domini à Diacono fuisse fusum, in uita sancti Donati Episcopi & Martyris legitur: ubi hæc uerba habentur, Cumque die quadam Missam celebrasset populo, & de corpore Christi

uenerabiliter recrearetur, Diaconus sanguinem sacrum po pulo tradens, cecidit, & sanctum calicem comminuit. Hæc ibi. Deinde ne uinum pro infirmis conseruatum, uertatur in acetum, quod plurimùm contingere solet. Quarta ratio est, quòd apud plerasque gentium nationes magna est uini raritas, ob quam difficillimùm esset, & aliquando imposibile, ut sub uini specie totus populus communicaret: quoniam uinum deesset, quod tantæ multitudini sufficeret. Et quod præ his omnibus magis curandum erat, ne scilicet homines, hac occasione, in eum ducerentur errorem, ut crederent sub utraque Eucharistiæ specie non æquè totum Christum contineri: sicut de quibusdam, nempe Nestorianis, dicitur in hunc errorem lapsos fuisse. Quo fieret, ut cùm laboranti in extremis, species uini propter quasdam urgentes causas subtraheretur, suspicaretur se non integrè communicatum. Causæ ergo suppetunt, æquè non contemnendæ. Nec auctoritas defuit. Hæc ille.


CAIETANVS.

Caietanus mouit quæstionem, Vtrùm expediat Ecclesiæ Christi, quòd, populus communicet sub utraque specie? & determinat hanc quæstionem secundum partem negatiuam, docens quòd non expediat. Causam uerò huius determinationis asignat unā, tanquam sufficientem, ad prohibitionem populi in ambabus speciebus. Ea causa est, ut declarat, uitatio irreuerentiæ huius diuini sacramenti. Existimat enim, quòd popularis communio sub utraque speciè habeat annexam irreuerentiam huius sacramenti: quæ irreuerentia est sacrilegij peccatum, cum sit irreuerentia rei sacratisimæ. Probat quòd huiusmodi popularis communio habet annexam irreuerentiam huius sacramenti, dicens, Nam in populis tanta est diuersitas communicantium, ut imposibile sit (humano more de imposibili loquendo) fieri communionem tot populorum, sub utraq; specie, absq; effusione sanguinis sub specie uini. Vnde stante populi communione sub utraque specie, ponit ipse Caietanus eam effusionem sanguinis non inter casus inopina- *par. 3. quæst. 80. art. 12.*

tos aut rarò contingentes, sed inter casus necessario quodam modo euenientes: & sic asserit hoc sacrilegium imputari populo & rectoribus Ecclesiæ, nisi illi tanto malo subueniant, illudque præuideant, & uitent. Itaque secundum ipsum doctorem, causa, quare interdicta est populo communio sub utraque specie, est uitatio irreuerentiæ sacramenti, & uitatio sacrilegij, quæ in ea est.

Quocunque autem modo procedamus, siue considerando hanc causam, quam explicat Caietanus, siue eas, quas explicat Alfonsus à Castro, siue quas primùm posuimus ex Gabriele, inter quas etiam hæc causa à Caietano posita continetur: semper uerum est, sanctam matrem Ecclesiam bonis, iustis, & sanctis causis, ac rationibus adductam eò fuisse, ut populis communionem sub utraque specie prohiberet. Præsertim, quia id non fecit, tanquam ipsa communio in ambabus speciebus sit per se mala, aut aliquo diuino iure prohibita (absit) sed solùm ut errores extirparet, ut ueram fidem in animabus fidelium conseruaret integrã, ut peccatum irreuerentiæ ac sacrilegij uitaret, ut saluti filiorum suorum prouideret. Constat autem harum causarum bonitas, sanctitas, iustitia.

Probatur eadem ueritas in terminis fortioribus. CAP. XIII.



I communio omnium fidelium esset diuino iure præcepta in utraque specie, posset esse dubium apud doctores Christianos, an ex prædictis causis debuit aut potuit sancta Ecclesia, huiusmodi communionem interdicere populis? Et forte etiam tunc non deessent doctores Catholici, qui dicerent, posse Ecclesiam non diuinum præceptum mutando, sed diuinum præceptum in eo casu interpretando, statuere ex prædictis causis, ut populus non in utraque specie, sed in altera tantùm communicaret. Esset enim illud præceptum, si esset, non naturale, seu non morale legis naturalis, & sic non de iusto naturali: sed esset quidem positiuum diuinum, seu legis diuinæ positiuæ, & sic quodammodo de iusto politico. Est autem lo-

cus Epiiciæ, græcè dictæ, circa iustum politicum. Quidem positiuum præceptum erat olim de panibus propositionis, sicut scriptum est, Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: quorum senos altrinsecus super mensam purissimã coram Domino statues, & pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domino. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti à filiis Israël fœdere sempiterno: eruntque Aaron & filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo. Ecce præceptum Domini, quo non licebat aliis ab Aaron & filiis suis comedere panes illos: neque eis, nisi in loco sancto. Hoc tamen non obstante, esurienti Dauid dedit Achimelech sacerdos non laicos panes manducandos, sed panem sanctum, qui sublatus fuerat à facie Domini, ut poneretur calidus. Non tamen legitur sacerdos ille unquam punitus, aut eius rei gratia reprehensus.

Epiicia, habet locum. Ethic. 5. *Leuit. 24.* *De panibus propositionis.* *1. Reg. 21.*

Similiter præceptum erat de obseruando die sabbati, & non faciendo in eo opus aliquod seruile: sacerdotes tamen in templo aliqua faciebant die sabbati, de his, quæ erant ad ipsum templum eiusq; præparationem necessaria. Quæ Saluator noster refert, ut legimus apud Matthæum, non tanquam mala aut peccata: sed tanquam facta quædam, iustis de causis à peccato libera. Qua etiam ratione discipulos suos ostendit innocentes in eo, quòd esurientes cœperunt uellere spicas, & manducare, in sabbato: aduersus Pharisæos, qui eos in eo facto accusabant, quasi non liceret eis id facere in sabbatis. Ecce uidemus Epiiciam, olim habuisse locum, etiam circa mandata Domini. Ex qua etiam fortaßis Apostoli aliquando baptizarunt in nomine Christi, ut legitur in Actibus Apostolorum: quibus tamen dixerat Dominus, Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Licèt iam dicatur eos baptizari in nomine Trinitatis, qui baptizantur in nomine Christi, ut Ambrosius in lib. de Spiritu sancto, & Nicolaus Papa cum Ambrosio. De qua re multa uideri possunt apud Magistrum

Leuit. 24. *Num. 28.* *Matth. 12.* *Act. 8. & 10.* *Matth. 28.* *Ambr. cap. 3.* *Nicolaus. De consecr. dist. 4.*

A quodã. sententiarum; ubi dicit, Sed quod est illud uerbum, quo
Magi. sent. lib. 4. dist. 3. accedente ad elementum, fit sacramentum? &c.

Admiserunt ergo olim illa mandata Dei positiua, Epiiciam, gracè dictam: quia talia erant ex natura rei, quæ possent illam uirtutem, eius actionem, seu directionem, aut interpretationem admittere. Sic posset uideri doctoribus, ut tantundem tribuerent sanctæ Ecclesiæ Christianæ, in qua est omnis potestas Ecclesiastica, quæ necessaria est ad bonam gubernationem animarum in salutem æternam. Quemadmodum Saluator noster dixit Petro,
Matt. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues
Ioan. 21. regni cœlorum, &c. Pasce oues meas, &c. Ex quo enim Ecclesia habet plenissimam potestatem Ecclesiasticam atque spiritalem diuinitus sibi datam, quanta necessaria est ad bonam gubernationem & ædificationem animarum: & ex quo nouit omnia diuina sacramenta esse propter animarum salutem instituta, præceptaque de illis esse diuina positiua, & cæremonialia nouæ legis sanctissima; non uideretur abs re, si quis dixisset, posse sanctam Ecclesiam etiam eo casu posito, non contraueniendo Saluatori nostro, nec aliquid mutando circa sacramenta ipsa, sed Epiicizando, in modo dispensandi aliquid statuere, prout sibi uidebitur, aut uideretur, ad salutem animarum necessarium: secundum mutationes temporum, locorum, personarum. Ad hoc enim uidentur facere multa; qualitas seu natura præcepti, quia est illud quidem positiuum; potestas spiritalis Ecclesiæ, quia est potestas diuina, seu diuinitus data, & est plenissima quoad regimen animarum: atque Epiicia ipsa, non parua uirtus, nec superflua, nec diminuta. Maximè, quia non animæ creatæ sunt, propter susceptionem sacramentorum: sed sacramenta instituta sunt, propter salutem animarum.


Inter omnia diuina sacramenta nostra noui testamenti, sacramentum Baptismi uidetur profectò apprimè & maximè necessarium: quia absque dubio est sacramentum regenerationis & renouationis, atque ianua omnium sacramentorum, primaque tabula post naufragium. Vnde præce-

ptum

ptum de illo ſuſcipiendo, uidetur magis urgere, magiſque obſeruandum, quàm alia præcepta de aliis ſacramẽtis percipiendis. Quum autem olim eſſet quæſtio de baptizatis inter hæreticos ſeu ab hæreticis, An eſſent rebaptizandi? dicebat Auguſtinus ſecundum ueritatem, quòd non. Vrgentibus uerò atque contendentibus Donatiſtis è contrà, quòd ſic: inſtabat Auguſtinus aduerſus eos fortiſsimè, ex multis. Videns autem Auguſtinus ipſe, obiectiones aduerſariorum, & quas producebant, & quas producere aut formare poterant, conſtanter aſſeruit, nullam eſſe tantam iacturam ex omiſsione alicuius rei externæ, quæ non poſſet compenſari fide Catholica, pace Chriſtiana, ac dilectione Dei & proximi. Sermo erat de baptiſmo. Non timuit tamen Auguſtinus ita aſſerere, docens, quòd & ſi baptizati ab hæreticis, eſſent iterum baptizandi, totum nihilominus damnum ex omiſsione proueniens compenſaretur, ſi ſecundus ille baptiſmus omitteretur propter ſeruandam unitatem ſpiritus in uinculo pacis. Tanquam fides Catholica, pax Chriſtiana, charitaſque Dei & fratrum, ſatis eſſent ad reſarciendum, compenſandum'ue damnum illud, & iacturam. Mihi ergo nullum eſt dubium quin firmiſsimè credere debeamus omnes, Auguſtinum ſimili modo dicturum eſſe, ſi de hac noſtra quæſtione interrogatus fuiſſet. Vt re uera, & ſi communio in utraque ſpecie omnibus fidelibus eſſet præcepta diuinitus, ſicut baptiſmus cunctis hominibus eſt præceptus, aut quidem ex contractu Dei neceſſarius; dum ex rationabilibus cauſis ſancta Eccleſia aliquam ſpeciem omitteret, fides catholica, pax Chriſtiana, & charitas compenſaret. Vnde potuit Auguſtinus ita audere, aut ita dicere? Dicendum uidetur, quòd ex natura ſeu qualitate præceptorum huiuſmodi, quia ſunt poſitiua, licèt diuina, & ex fine ſacramentorum, quia propter animarum ſalutem ſunt inſtituta.

Auguſt.

Ostenditur eadem ueritas seu conclusio ex terminis facilioribus, in quibus est casus noster. CAP. XIIII.



NOs autem in casu faciliori sumus, & in aliis terminis non ita difficilimis. Quippe quia & uerè & constanter dicimus, communionem sub utraque specie, non esse cunctis Christianis diuino iure præceptam, sed bene quidem esse cunctis Christianis diuino iure licitam. Vt iam non de re præcepta, sed de re aliàs licita sit sermo noster. Prohibitionibus autem rerum aliàs licitarum, plenus est totus mundus: quia quoties opus est ex aliqua honesta causa sufficiente, toties honestè fit; siue lege Ecclesiastica, siue etiam lege ciuili quoad ea, quæ sunt sui iuris. Vt possint principes suis legibus prohibere, non solùm quæ in diuino iure positiuo aut naturali sunt prohibita: sed etiam quæ in quouis illorum iurium sunt licita: modò id fiat iustis de causis, & prout satis declaratum est per doctores.

Licita est igitur huiusmodi communio etiam quoad laicos non præcepta, stando in iure diuino: quia de illa nullum est diuinum præceptum negatiuum, nec aliquod affirmatiuum. Quòd non sit præcepta, iam ut arbitror, monstrauimus satis ad præcedentem articulum contra aduersarios. Quòd uerò sit licita, libenter concedimus. Rursus quòd iustis atque rationabilibus de causis, possit sancta Christi Ecclesia prohibere ne fiat hoc, quod aliàs licebat, etiam non potest uerti in dubium: quia hoc pertinet ad plenitudinem potestatis, quam habet, & de qua non licet nobis dubitare. Sic sancta Ecclesia olim iustis de causis præcepit fratribus, qui erant Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ ex gentibus, ut abstinerent se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato: quæ iam aliàs, eo tempore licebant. *Act. 15.*

Sed nunc de causis agimus in particulari, quibus sancta Ecclesia adducta fuit, ut hanc communionem laicis, uel etiam clericis non celebrantibus interdiceret, aut prohiberet; & de his causis in particulari dicimus, quòd fuerunt

bonæ, iustæ, sanctæ, rationabiles. Causas iam proposuimus, atque explicauimus satis: Earum autem causarum, bonitas, iustitia, sanctitas, rationabilitasque, per se patent: quia causæ illæ fuerunt in summa obseruantia reuerentiæ debitæ huic diuino sacramento. Vitatio sacrilegij, extirpatio errorum, salus animarum. Habent uerò hæc, suam bonitatem, iustitiam, sanctitatem, rationabilitatem, atque pietatem manifestam: ut superfluum uideatur, uelle probare de ipsis causis, quòd habeant has proprietates, aut prærogatiuas. Vnde ad probandum satis hanc nostram conclusionem primam huius articuli secundi, sufficit ipsarum causarum propositio, atque explicatio: ut statim quiuis uel mediocriter sapiens, cognoscat in illis bonitatē, iustitiam, sanctitatem, rationabilitatem.

Nunquid & sufficientiam? Etiam profectò. Etenim nulla causa uidetur magis sufficiens in huiusmodi prohibitionibus rerum aliàs licitarum, quàm ea, quæ sancta est, iusta, bona, rationabilis: & quæ insuper reuerentiam debitam diuino sacramento respicit, sacrilegij uitationem, errorum extirpationem, animarum salutem.

Probatur secunda conclusio, qua secundo articulo respondetur. *CAP. XV.*



Ecunda conclusio secundi articuli est, Illæ tamen rationes non sic sunt retinendæ aut credendæ, ut nulla ratione, nullaque ex causa, calicis usus cuiquam de prædictis laicis, uel non celebrantibus clericis sit permittendus.

Probatur autem hæc conclusio eodem modo, & non minus manifestè: licèt alia uia, & aliis mediis. Sicut enim certum est ex primo articulo, communionem laicorum sub utraque specie non esse aliquo iure diuino præceptam; sic certum est, eam nō esse aliquo iure diuino prohibitam. Nāque sicut quod fieri præcipitur, habet aliquod præceptum affirmatiuum: sic quod fieri prohibetur, habet aliquod præceptum negatiuum. Non est autem aliquod præceptum diuinum negatiuum, de communione, de com- Probatio.

municando, seu de non communicando laicos uel clericos non celebrantes in ambabus speciebus, uidelicet panis & uini. Ostenditur hæc ueritas eodem modo, quo est superius ostensum, non esse aliquod præceptum diuinum affirmatiuum, de communicando laicos uel clericos non celebrantes in utraque specie. Primum, quia sancta Ecclesia catholica, aliquando communicauit & præcepit communicari laicos in duabus speciebus, in odium erroris Manichæorum, atque Nestorij: quæ, si tale fuisset aliquod præceptum diuinum negatiuum, nec illud ignoraret, nec contra illud cognitum faceret. Non enim consueuit facere quicquam contra ius diuinum, quin potius semper omnia diuina iura commendauit, in quocunque euentu. Secundò, quia concilia uniuersalia non interdixerunt laicis & clericis non celebrantibus, communionem sub utraque specie, tanquam aliquo iure diuino prohibitam: sed id fecerunt ob alias causas seu rationes, quas paulò ante memorauimus, iustas, sanctas, bonas, & sufficientes. Tertiò, quia Ecclesia Corinthiorum olim, & nonnullæ aliæ Ecclesiæ particulares postea, seruauerunt illam consuetudinem communicandi in duabus speciebus: & Apostolus Paulus sciebat consuetudinem illam Corinthiorum, non tamen prohibebat. signum euidentissimum, quòd illa non erat contra aliquod ius diuinum. Quartò, quia doctores antiqui & sancti loquuntur de illa communione, tanquam de re licita, sancta, iusta, & bona: ut diuus Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus, sicut constabit ex dicendis. Vnde certè manifestum est, quòd non putauerunt illam esse prohibitam aliquo iure diuino. Quintò de illa non est aliquod præceptum diuinum negatiuum, quia nullum tale præceptum reperitur in diuina scriptura, aut in aliqua antiqua consuetudine tanquam per traditionem, aut in aliqua determinatione alicuius concilij uniuersalis, aut in aliquo alio illorum locorum, in quibus nos solemus diuina præcepta quærere, uel inuenire. Constat ista ueritas discurrendo per singula loca eiusmodi. Firmum igitur esse debet apud omnes Christianos Catholicos, eam communionem non esse aliquo præcepto diuino negatiuo prohibitam, seu

aliàs interdictam. Ex istis autem fundamentis iam sequitur, eam communionem in iure diuino esse licitam. Quandoquidem quod in iure diuino non est prohibitum, profectò in iure diuino est licitum. Deinde uerò sequitur ulterius non minus euidenter, quòd ea communio ex aliquibus rationibus uel causis potest alicui uel permitti, uel concedi. Nihil enim est licitum aliàs, quod non possit ex aliquibus rationibus uel causis concedi alicui: quia hæc est conditio, naturaq; omnium licitorum. Nec aliquid est, quod non possit ex aliquibus iustis ac rationabilibus causis alicui concedi, nisi odium Dei, furtum, adulterium, uel generaliter aliquod eorum, quæ ex natura rei habent inuolutam malitiam, de quibus dixit Aristoteles in suis Ethicis, & multa dicunt doctores Scholastici in suis sententiis. Ista autem communio non habet sic inuolutam malitiam, quia aliàs fuisset iure diuino prohibita, mediatè uel immediatè, directè uel reductiuè: ergo illa potest concedi alicui, rationabilibus, iustisque de causis. De re habente aliquam deordinationationem, ut expresse de pluralitate beneficiorum, concedit Sanctus Thomas, quòd potest sic ex quibusdam rationibus honestari, ut licitè concedatur: multo igitur magis hoc ipsum dicere debemus de ista communione, quæ nullam talem habet deordinationem aut deformitatem. Ita & de matrimonio docent doctores communiter, quòd cùm aliàs habeat coniunctio illa carnalis nescio quid deformitatis, excusatur tamen per bona matrimonij. Si enim attendimus, non admittunt doctores quòd illa pluralitas beneficiorum aut etiam carnalis coniunctio, sint ex suo genere ita indifferentia, sicut leuare festucam: sed alio modo illa considerant, & nihilominus illa & rationabilibus causis saluant, atque concedunt. Quanto magis in ista communione? Ista nãque nullum habet inconueniens ex se, nec aliquam de se habet deformitatem aut deordinationem: sed omnia iuconuenientia sunt, illi extrinseca, & quæ possunt ab extrinseco accidere, uel nõ accidere.

Quid sit licitum in iure diuino.

S. Tho. quolib. 9. quæst. 7.

Lib. 4. sent. dist.

Eodèm spectat, quòd doctores agentes de ista communione, non agunt de illa, tanquam de re illicita, sed solùm tanquam de re non expediente. Vnde Caietanus ita mouit

Caietanus. par. 3. quæst. 80. art. 12. quæstionem, An expediat Ecclesiæ Christi, quòd populus communicet sub utraque specie? & cum putasset aut iudicasset quòd communio populi sub utraque specie habet periculum connexum irreuerentiæ in spargendo sanguinem Christi, quod esset grauissimum & maximum sacrilegium, ita posuit conclusionem, Expedit igitur Christianis populis communicare sub speciebus panis tantùm, & ad euitandum sacrilegij periculum, & ad meritum, tam obedientiæ prælatis sedis Apostolicæ communionem hanc habentibus parendo, quàm reuerentiæ, magnificando plus sacramentum hoc, quàm affectum proprium ad utranque speciem. Quod autem ex natura sua non est illicitum; sed ex quibusdam aliis accidentibus est non expediens: sublatis illis ex quibus non expedit, iam licet. Licebit igitur sine dubio ista communio ex aliquibus rationibus, quæ euenire possunt: ita simul prouidendo, ut non sit periculum necessarium, probabile, aut frequenter, seu ut in pluribus aut ut in plurimum contingens: modo etiam alia tollantur inconuenientia. De hac re autem, abundantius & specialius statim ad articulum sequentem. Interim quatuor ego hîc considero, quæ mihi hanc ueritatem demonstrant. Primùm, quòd communio laicorum sub utraque specie, de se in iure diuino, & secundum sibi intrinseca, est licita: quia ut sic, nullam includit malitiam, aut deformitatem, aut prohibitionem. Secundum, quòd illa communio est magis consentanea per modum assimilationis, institutioni sacramenti, integritati sacramenti, & integritati sensibilis Caietanus. ubi supra. refectionis: ut etiam notat, & concedit Caietanus. Tertium, quòd illa communio fuit in nonnullis ecclesiis olim obseruata, tempore Apostolorum, Martyrum, & aliorum sanctorum, ut palàm est omnibus, & constabit inferius ex dicendis. Quartum, quòd ex iustis causis Leo Papa concessit illam generaliter, ut est notum. Ex istis enim iam sequitur euidenter, quòd & modò ita potest fieri: si uidelicet causa talis suppetat, iusta, rationabilisque. Confirmatur hoc manifestè, quia concilium Basileense antequàm declinaret, concessit huius modi communionem sub certis regulis, conditionibus, doctrinis, aut decretis, creden-

dis & obseruandis. Ergo illæ rationes non sic sunt retinendæ, ut nulla ratione, nullaque ex causa, calicis usus cuiquam de prædictis, laicis uel clericis non celebrantibus sit permittendus, aut concedendus: quin potius uidetur & est dicendum, posse dominici Calicis usum concedi, si causa adsit iusta, honesta, rationabilis, modo exposito, & seruatis seruandis.

An nunc subest talis causa, iusta, honesta, rationabilisque, concedendi calicem Domini aliquibus laicis? De hac quæstione, paulò post. Nunc enim de eo solo agimus, & ad hoc atq; in hoc nitimur, ut ostendamus sanctam matrem Ecclesiam olim ex iustis causis huiusmodi communionem iustè laicis atque clericis non celebrantibus interdixisse, & eandem sanctam matrem Ecclesiam modò ex iustis causis huiusmodi communionem iustè laicis atque clericis non celebrantibus concedere posse. Ea duo genera hominum mihi summè displicerent. Primum, si qui dixissent sanctam matrem Ecclesiam, etiam supposita iusta causa, non posse hanc communionem ullis laicis concedere. Secundum, si qui dixissent non posse nunc aut ex nunc aliquam talem iustam causam subesse, qua adducta sancta mater Ecclesia ualeat hanc communionem laicis aliquibus iustè concedere, aut rationabiliter, & sanctè. Potest enim sine dubio talis causa subesse iusta: quia eam esse nec repugnat, nec aliquam contradictionem implicat. Atque ea causa posita, non potest esse dubium, quin sancta mater Ecclesia id concedere possit. Habet nanq; totā potestatem plenissimā pascendi, gubernandi, dirigendiq; omnes Christi oues in cœlum: sicut Dominus dixit Petro, Tibi dabo claues regni cœlorum. Et iterum, Pasce oues meas.

Ponuntur iterum conclusiones respondentes ad tertium articulum, & probantur. *CAP. XVI.*



Rticulus tertius duas sortitus est conclusiones, quarum prior est, Si honestis & Christianæ charitati consentaneis rationibus cōcedendus alicui uel nationi uel regno calicis usus uideatur, ille non absolutè, sed sub

aliquibus conditionibus concedendus est, propter rerum & temporum difficultates. Posterior est, Conditiones sub quibus eo casu ita alicui nationi uel regno usus calicis concedendus sit, uidentur debere esse illæ, quæ in concilio Basileensi antequàm declinaret, sunt expressæ, cum nonnullis aliis, quæ inferius explicantur.

Conclusio prior probatur, Primùm, ut secundum morem priorum patrum procedamus, qui ad eandem rem ante nos, sapienter, piè, ac prudenter processerunt. Etenim in concilio Basileensi cùm patres istam communionem ex iustis causis concedere Boëmis uoluissent, eam non absolutè, sed sub quibusdam conditionibus præstiterunt; quas paulò pòst ad sequentem conclusionem explicabo. Secundò, quia cùm ista communio non simpliciter & absolutè, sed propter rationabiles causas fuisset populis prohibita, ad extirpandos errores, uitandaque pericula: consequens est, ut modò etiam non simpliciter & absolutè, sed sub quibusdam conditionibus concedatur, quibus & errores, & pericula prædicta probabiliter euitentur, prout humana potest uel facere, uel cogitare conditio. Alias profectò non uidetur tutum, nec placet. Nec nos meliores sumus aut prudentiores quàm patres præcedentes, qui istam communionem populis non nisi sub quibusdam conditionibus concedebant in prædicto Basileensi concilio, quibus & erroribus & periculis subuenire curabant. Posterior conclusio probatur, tum quia illæ conditiones in se uidentur bonæ iuxta materiam: tum quia illæ iam à patribus fuerunt probatæ, uiris catholicis, & doctissimis. Sunt autem illæ conditiones, quæ sequuntur, Prima, quòd crederent communionem sub utraque specie, non esse præceptam. Secunda, quòd crederent & docerent laicos non peccare, qui sub una specie communicant. Tertia, quòd crederent & docerent, non plus sumi sub duabus speciebus, quàm sub una: Quarta, quòd sub una specie sumatur totus Christus, id est, tam corpus eius, quàm sanguis. Quinta, quòd aduersarij in Ecclesiis suis laico petenti alteram speciem, non denegent. Sexta, quòd cura adhibeatur per utranque potestatem, ne sacramento calicis irre-

uerentia exhibeatur. Igitur in concilio Basileensi iam olim tractatum fuit, An adiectis conditionibus, populo utraque species permitti possit? & propositis illis sex conditionibus, satis probabile uidebatur, quòd sub utraque specie communicarent Boëmi.

Illæ sex conditiones per modum articulorum, doctrinarum, aut dogmatum bene instituunt homines contra errores, Nestorij, Manichæi, ac Pelagij: & ut uidetur, etiam contra omnes alios, qui circa istam sacram materiam euenire possunt. Non tamen aliquid agunt, aut tradunt de periculis uitandis, effusionis sanguinis sub specie uini, stillationis, conseruationis pro infirmis, portationis ad infirmos: quibus tamen prouidere, non minus uidetur necessarium fore, propter sacrilegium uitandum. Addere igitur illis sex conditionibus alias, quæ concernerent pericula uitanda, seu potius periculorum euitationem. Eæ autem sunt, Prima, ut sanguis Domini non reseruetur sub speciebus uini, pro infirmis uel aliis communicandis. Secunda, ut sanguis Domini non portetur extra Ecclesiam ad infirmos. Tertia, ut sacerdos non communicet de Calice Domini populum in magna multitudine simul, propterea quòd in magno numero personarum, probabile sit periculum effusionis, distillationis, uel irreuerentiæ. Istæ duæ conditiones primæ, id est 1. & 2. uidentur ualde rationabiles, & conformes antiquis iuribus olim obseruatis: etiam eo tempore, quo populus de Calice Domini communicabat: & tertia non minus est rationabilis & iusta, ut constat omnibus. Positis autem istis conditionibus, iam periculum effusionis sanguinis Domini, uel sacrilegium inde sequutum, non erit casus probabilis, eueniens ut plurimum, aut frequenter: sed utiq; erit de raro contingentibus, & non opinatis. Sic uerò cùm casus fuerit ita mutatus, ut iam sit rarò contingens, & inter casus inopinatos computandus: non uidetur, quare illa dicta communio non possit concedi laicis, urgentibus aliis rationibus: & ipsis eam petentibus, propter specialem deuotionem. Placet igitur, ut dicamus huiusmodi communionem posse licitè concedi, seruatis illis sex conditionibus, & seruatis istis tribus: quibus suffi-

De consecr. dist. 2. c. Peruenit. c. Presbyt.

Ll

cienter contra errores, atque contra pericula præcauetur.

Vbi supra. Caietanus, ut iam diximus paulò ante, mouit quæstionem, An expediat Ecclesiæ Christi, quòd populus communicet sub utraque specie. Respondendo autem notat nonnulla notabilia, inter alia est, quòd communio popularis sub utraque specie, est cum periculo irreuerentiæ in spargendo sanguinem Christi, & habet annexam irreuerentiam sacramenti. Alterum est, quod huiusmodi irreuerentia, est sacrilegij peccatum. Primum probat, ut inquit, per experientiam & rationem: quia in populis tanta est diuersitas communicantium, ut impossibile sit (humano more de impossibili loquendo) fieri communionem tot populorum sub utraque specie, absque effusione sanguinis sub specie uini. Secundum probat, & supponit quasi per se notum, quoniam est irreuerentia rei sacratissimæ. Ex istis concludit, quòd expedit Christianis populis communicare sub specie panis tantùm, & ad uitandum sacrilegij periculum, & ad meritum obedientiæ: licèt communio populi sub specie utraque, sit magis consentanea per modum assimilationis institutioni sacramenti, & integritati sacramenti, & integritati sensibilis refectionis. *Ruardus Tapper. art. 15.* Ruardus Tapper in explicatione articulorum facultatis theologicæ uniuersitatis Louaniensis, simili modo quæsiuit, quid magis expediat Ecclesiæ? An quòd populus sub utraque specie communicet? An sub altera tantùm? quid'ue sit melius? Et, An eis, qui sub utraque specie communicare consueuerunt, hoc sit permittendum, maximè si hac permissione conciliari possit pax & tranquillitas Ecclesiæ? Deinde dicit, Hunc enim articulum iam multis annis urgent Germani, ut eis permittatur atque concedatur, sicut Boëmi tempore concilij Basileen. Respondendo autem sentit cum Caietano, & ait, Primùm, quòd habito respectu ad sacramẽtum eiusq; perfectionem, magis conueniret sub utraq; specie fieri communionem, quàm sub altera tantùm. Hoc enim magis consonum est eius institutioni & integritati, & refectioni corporali, immo & exemplo Christi & patrum primitiuæ Ecclesiæ, qui extra Iudæam sub utraque specie sacram Eucharistiam dispensabant in Ecclesia etiam Romana, ut su-

prà diximus. Nam in canone missæ simul complectendo assistentes dicimus, Vt quotquot ex hac participatione, filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, &c. & expressior est mortis domini repræsentatio. Secundum, quòd alia tamen consideratione, reuerentiæ uidelicet, quæ huic sacramento debetur, utque in eius usu omnem uitemus irreuerentiam, minus conuenit atque etiam malum est, nulloque modo Ecclesiæ expediens, quòd populus Christianus sub utraque specie communicet. Nam hæc communio popularis sub utraque specie, periculum sacrilegij habet annexum in spargendo sanguine Christi. Hæc ille. Et paulò pòst, Omnibus igitur, inquit, consideratis, Christiano populo magis expedit communicare sub specie panis tantùm. Et postea, Ex quibus, inquit, patet, quòd non expedit concedere uel permittere Boëmis & Germanis, ac his, qui iam multis annis ita communicauerunt, ut sub utraque specie communicent: non solùm ob periculum sacrilegij & irreuerentiæ erga istud sacramentum, uerùm etiam propter hæreticam radicem, ex qua primùm apud eos utriusq; speciei communicatio est nata, quam eorum doctores & pastores palàm docuerunt & docent ex Christi præcepto & institutione esse necessariam. Et ideò quia ex hoc errore ortum habet hæc communio, nec causæ cessant, ob quas ab ea per totam Ecclesiam recessum est, nullo modo est con cedenda, nec expressè permittenda, si utiliter prohiberi possit, ne fomentum & fauor pestilenti & hæretico errori præstetur. Hæc ille. Paucis interpositis, dicit iterum, An autem adiectis conditionibus, populo utraque species permitti possit, tractatum fuit in concilio Basileensi in gratiam Boëmorum, & propositis sex articulis, satis tolerabile uidebatur, quòd sub utraque specie communicarent. Hæc ille. Qui auctor cum ibi explicasset illos sex articulos, eos uidelicet, quos suprà memorauimus, adiecit statim, Quibus admissis, An ob communem pacem & tranquillitatem, & schismaticorum ad Ecclesiam catholicam reductionem, hæc permissio eis fieri possit, potissimùm ad prudentiam pertinet. Ponderandum nāque est periculum iniuriæ sacramento inferendæ, & mala, quæ ex hac per-

missione uerisimiliter sequentur. E diuerso autem expectandum est & lucrum animarum, & Ecclesiæ tranquillitas: quid horum, alteri secundum ueram æstimationem præponderet. Quãdiu enim permanent in opinione necessitatis sumendi utranque speciem contra Ecclesiæ consuetudinem & conciliorum definitiones, grauiter peccarent, immo ad iudicium & animarum damnationem sacramentum susciperent, nec sacerdos eis sacramentum istud sic ministrare posset, dicente domino, Nolite sanctum dare canibus, &c. Ita procedit semper illæ auctor, ut magis uideatur uel asserere uel innuere, quòd nec sic sub illis conditionibus expediat laicis communionem utriusque speciei concedere.

Verùm nos, omnibus his uisis, omnibusque consideratis, magis accipimus sententiam patrum, qui in concilio illo Basileensi fuerunt, antequam declinarent; ut secundum illam credamus firmiter, quod sub illis sex conditionibus, quæ errorem tollunt, & sub aliis, quæ cõtra irreuerentiam sacratissimi sacramenti atque contra sacrilegium & pericula prouident, potest huiusmodi communio laicis, concedi, nec solùm permitti. Maximè attentis istis, quæ modò in isto sacro concilio generali Tridentino proponuntur, Vt catholici in sancta Ecclesia conseruentur; ut qui exierunt, reducantur, pax & tranquillitas fidelium, & schismaticorum ad Ecclesiam catholicam reductio. Præsertim quia cùm Imperator & nonnulli Reges ac principes id petant, nullum potest ex tali concessione uenire scandalum: nisi fortè ex opposito magis scandalum oriatur, si huiusmodi communio non concedatur. Itaque igitur, ego (saluo meliori iudicio) in ea sum sententia, qua firmiter credam, eam communionem sub prædictis conditionibus aut regulis posse concedi laicis.

Moueor ad istam sententiam, ex illis rationibus, quas paulò ante iam posui, quando secundam conclusionem secundi articuli probaui. Illa enim communio laicorum sub utraque specie, quidem secundum intrinseca sibi, stando in diuino iure & secundum illud iudicando, est licita: atque nec per se ullo modo, nec ab intrinseco habet ullam

malitiam. Sed si quæ sint, unde illa fuerit prohibenda, ea sunt illi communioni accidentalia, & ab extrinseco. Non est autem dubium, quin contra accidentia extrinseca posit sufficienter prouideri in materia præsenti; nec potest dubitari, quin illis omnibus sufficienter prouideatur, modo prædicto, cum illis omnibus conditionibus. Deinde, quia illa communio, ut iam dixi, fuit olim seruata in nonnullis Ecclesiis temporibus Apostolorum, Martyrum, & aliorum uirorum sanctorum: ut constat de ecclesia Corinthiorum illis primis diebus, ex Apostolo: ut constat de ecclesia Dionysij Areopagitæ, ex ipso Dionysio in de Ecclesiastica Hierarchia: ut constat de ecclesia Hierosolymitana tempore Cyrilli Episcopi illius, ex ipso Cyrillo. Tertiò, quia illa communio est magis consentanea per modum assimilationis, institutioni sacramenti, integritati sacramenti, & integritati sensibilis refectionis: accedit enim magis ad institutionem, quia ea fuit & est in utraque specie: accedit etiam magis ad sacramenti integritatem, quia sacramentum Eucharistiæ in utraque specie integratur quodam modo speciali: accedit quoque magis ad integritatem refectionis, quia illam expressius repræsentant duæ species, quàm altera tantùm. Quartò, quia Leo Papa, uir quidem sanctissimus & doctissimus, istam communionem ob certas causas seu rationes iustas, concessit aut præcepit generaliter omnibus: ita uolens ut omnes sub utraque specie communicarent, uel saltem communionem huiusmodi non relinquerent. Quintò, quia uniuersale concilium Basileense cum illis prædictis regulis, illam concedebat Boëmis. Ergo sancta Ecclesia, quæ modò est, potest non secus idem ex rationabilibus & iustis causis concedere. Habet enim eandem potestatem, habetque eandem prouidētiam, & gubernationem, auctoritatem, atq; idē imperium. Et ut constat ex eodem concilio Constantiensi, ipsum non interdixit huiusmodi communionem laicis utcunque, sed eam non esse illis necessariam ad salutem, declarauit, & ne quis deinceps illam sine licentia Ecclesiæ acciperet, præcepit. Nota sunt hæc ex uerbis illius concilij suprapositis.

1. Cor 10. & 11.
Dionysius. cap. 3.

Ostenditur sanctam matrem Ecclesiam modò iustam & rationabilem causam habere concedendi quibusdam laicis hanc communionem in utraque specie, sicut olim habuit dum eam laicis concessit. CAP. XVII.



AN sancta Ecclesia habet modò iustas & rationabiles causas cocedendi, sicut olim habuit? Alia est quæstio. Hic nunc requiritur iudicium. Ad sanctissimum dominum nostrum Pium IIII. Papam pertinet iudicare de his, qui modò est Christi Vicarius generalis cum plenitudine potestatis, & Petri Apost successor, cui in Petro primùm & principaliter & quantum ad totam
Ioan.21. solicitudinem, dixit Saluator, Pasce oues meas. Quia uerò, ipso agente, hic patres congregati sumus, & quia nobis ad proposita respondentibus, etiam de hac re licet dicere nostras sententias, dicam ex corde, quid sentio. Audiui in hoc sacro senatu coram illustrissimis dominis Legatis & reuerendissimis patribus, illustres legatos sacræ Maiestatis, Christianissimi ac inuictiss. Imperatoris Ferdinandi semper Augusti, proposuisse per sua scripta, nonnulla, quæ istam materiam concernebant, idque nomine Cæsareo; affectuosè petentes communionem sub utraque specie concedi populis Christianis, Vngariæ, Boëmiæ, & nonnullarum partium Germaniæ. Addentesque his, hoc sibi uideri necessarium, tum, ut populi, qui hactenus in illis partibus sunt Christiani Catholici, in ea catholica religione conseruentur; tum, ut de reditu aliorum, qui aliàs à nobis Satanica suggestione desciuerunt, aliquando possimus aliquam concipere spem bonam. Asserentes insuper, quòd nisi hoc concedatur illis, qui apud eas partes Catholicam fidem atque sanctæ Ecclesiæ Romanæ obedientiam retinent, & obseruant, quasi certum esse, illos breui perditum iri, & Catholicam fidem relinquere: nec eos posse Imperatorem aliàs in Christiano officio catholico continere. Audiui oratores Christianissimi Regis Gallorum, postea in hoc eodem sacro conuentu supplicantes

nomine Regis ſui, ut ea petitio Oratorum Imperatoris, admitteretur; declarantes ſimul ſe non habere in mandato ſuo ſpecialiter, ut hoc nomine Regis ſui poſtularent: habere tamen clauſulam generalem de procurandis bonis, quæ ad bonum ſtatum Eccleſiæ & ſalutem animarum pertinerent. Virtute cuius declarauerunt, ſe hoc petere, tanquam rem importantiſsimam, & ſaluti animarum uel maximè, uel ualde neceſſariam, his temporibus: Non quaſi dicerent illam communionem eſſe præceptam, ſed tanquam ſentirent, eam eſſe à multis multum deſideratam. Audiui & hîc etiam Oratorem eccellentis Ducis Bauariæ in ſua oratione publica, nomine ipſius domini Ducis, idem aſſerentem, idemque petentem, quod oratores Cæſareæ Maieſtatis. Vnde ij omnes in eam ſententiam conueniunt, qua exiſtiment neceſſarium ad Chriſtianos homines in Catholica religione Chriſtiana continendos, concedi laicis illarum partium, communionem ſub utraque ſpecie, Imperator inuictiſsimus, Chriſtianiſsimus Rex Gallorum, & excellens Princeps ſupra dictus, Dux Bauariæ. Ob quod inſuper, illi omnes petunt hoc fieri, propter Eccleſiæ ſanctæ bonum, & animarum ſalutẽ. His autem omnibus auditis, conſideratis, & bene attentis, atque mecum ſæpe diſcuſsis, primùm & ante omnia firmiter credo eos tot, tantos, taleſque principes, in corde ſuo ita iudicare, atque ex corde ita nobis proponere per ſuos legatos, hanc communionem eſſe concedendam, ut homines Chriſtiani in Catholica religione contineantur. Secundò, ego credo eos in hac re eſſe fide dignos: tum ptopter qualitates ſuarum perſonarum, quibus ſunt omni acceptione digni, & omni exceptione maiores, tum propter experientiam eius rei, quam habent à multis diebus, de his, quæ apud eos in ſuis uaſſallis, ſubditis, aut populis uicinis ſciunt frequenter fieri. Tertiò & ultimò, iſtam neceſsitatem continendi Chriſtianos homines in fide Catholica & pace Chriſtiana, ego (ſaluo meliori iudicio, & ſub correctione huius ſacræ ſynodi) iudico in conſcientia mea, eſſe cauſam ſufficientem ut hominibus catholicis illarum partium concedatur communio ſub utraq; ſpecie, cum illis

conditionibus, considerationibus, ac regulis prædictis. Nec possum in conscientia mea iudicare hoc non necessarium, ex quo illi principes rerum omnium & maximè huius rei experti, hoc iudicant necessarium: nec possum istam necessitatem non iudicare esse causam sufficientem. Est enim profectò ipsa talis necessitas, causa sufficiens. Quid enim de rebus ex suo genere licitis non debemus facere, uel saltem non possumus facere, ut Christianos homines in fide Catholica & pace Christiana cõtineamns? Est ista causa sufficiens, ut statim constat per se omnibus considerantibus: sed constabit magis sua sufficientia, si ea cum aliis causis comparetur, propter quas sancta Ecclesia uel uniuersaliter, uel particulariter huius modi communionem aliquando concessit laicis. Semper enim in causa fuit, ut sancta Ecclesia suos filios uel à malo auocaret, uel in bono conseruaret, aut confirmaret. Ex quo igitur est potestas in Ecclesia ad hoc aliquando concedendum, est pietas in causa, est necessitas in personis ut contineantur in bono; non dubito quin hoc possit fieri iustè, licitè, atque sanctè: nec dubito ullo modo de sufficientia huius causæ, quæ assignatur.

Caietanus ubi supra. Quid dicendum ad sententiam domini Cardinalis Caietani, qui putauit, & in suis scriptis iudicauit expedire Christianis populis, communicare sub specie panis tantùm? Respondeo duobus modis. Primùm dico, ipsum locutũ esse de hac re simpliciter, & non in casu necessitatis: ut uidere est in tota illa sua quæstione, in qua non interponit ullam necessitatem. Secundò & melius dico, quòd ipse loquitur in alio casu, & non in nostro. Loquitur enim ipse, ut constat, in casu, quo communio laicorum habet necessariò annexam uel connexam effusionem sanguinis, & per consequens grauissimum sacrilegium, & irreuerentiam sacramenti: unde ipsum sacrilegium ponit non inter casus inopinatos, aut rarò contingentes, sed inter necessarios euentus morales. Nos autem non loquimur in eo casu, sed loquimur in alio differentissimo, uidelicet quando illa sanguinis effusio non potest computari inter casus moraliter necessariò uenientes: sed debet computari inter casus inopinatos,

opinatos, ac rarò contingentes. Quia non loquimur de communione laicorum absolutè, ut communicent omnes ubi, quando, aut quomodo uoluerint, & in quocunque numero: quia ut sic, fortaſsis moraliter loquendo, neceſſariò eueniet ſanguinis effuſio aliqua, propter multitudinem populorum ſimul communicantium, aut ſimul communicare uolentium. Loquimur autem de communione laicorum conditionaliter, aut ſecundum quid, id eſt, ſub certis conditionibus, regulis & decretis, quibus illa effuſio ex toto tollitur, uel ſaltem profectò à genere in genus ſecundum regulas morales mutatur. Quomodo mutatur? Quia in illa communione abſolutè conſiderata uenit illa effuſio quaſi neceſſariò moraliter, & eſt de futuris neceſſariis, ſeu de frequenter euenientibus, aut in plurimum: in iſta uerò communione conſiderata ſecundum quid, aut non ueniet illa effuſio, aut erit de caſibus inopinatis, uel rarò contingentibus, propter regulas appoſitas, quæ optimè prouident, cauent, & uitant. Tranſit ergo illa effuſio à genere in genus, ſecundum regulas & conſiderationes bonas morales. Et ſic, nihil determinamus contra Caietanum, ſed fortè ſentimus, aut ſentiremus cum illo, ſi eſſet ſermo de communione laicorum abſolutè. Ita etiam credimus quòd ipſe determinaret nobiſcum, ſi olim locutus eſſet de communione laicorum conditionatè, aut ſecundum quid, & cum prædictis modificationibus, uel aliis etiam opportunis. Aliud enim genus, aut alia ſpecies eſt futurorum neceſſariorum, frequenter, ſeu ut in plurimum uenientium: & aliud genus, aut alia ſpecies eſt futurorum inopinatorum, ſeu nunquam, ſeu rarò contingentium.

Explicatur magis eadem ſententia præcedens, latiusq; oſtenditur, triaq; adducuntur notabilia. CAP. XVIII.


Ideo his temporibus, & hoc in loco, ſanctiſſimos doctiſsimosque patres, in eo ſolo eſſe differentes circa huiuſmodi communionem concedendam uel non concedendam laicis prædictis, quòd quidam dicunt eam com-

munionem non expedire, quidam uerò ècontra existimant & ita aiunt eam expedire, ex causa prædicta & conditionibus appositis. Tanquam omnes in eo conueniant, quòd omnes fatentur hanc communionem laicis aliàs quantum est de se, esse licitam in iure diuino; sed eam nunc non expedire propter adducta inconuenientia, quæ iam memorauimus. Vt non sit quæstio inter patres de hoc, tanquam de re non expediente & aliàs etiam illicita: sed tanquam de re aliàs licita, ut dictum est, An sit expediens, aut non. hoc est, an expediat huiusmodi communionem concedere, uel non expediat. Et in hoc uersatur totum præsens negotium, quantum pertinet ad petitionem illustrissimorum Oratorum sacræ Cæsareæ Maiestatis, & aliorum nominatorum.

Placet in primis quòd omnes patres in eo conueniunt, ut omnes dicant communionem hanc aliàs licitam esse, uidelicet stando in solo iure diuino, & considerando illam secundum se in tali iure. Non tamen miror quòd quidam eam expedire negant: quidam autem eam expedire affirmant. Non miror, inquam, in eo quòd uideo hanc differentiam modò esse inter patres sanctissimos & doctissimos uiuentes: quia uideo eandem iam fuisse inter patres sanctissimos & doctissimos hac uita functos. Sic enim fuerũt differentes patres sanctissimi & doctissimi, qui fuerũt ante nos. Caietanus nãque & post ipsum Ruardus Tapper, ut constat ex allegatis dictis eorum, putauerunt hanc communionem non expedire: patres uerò qui fuerunt in concilio Basileensi antequàm declinaret, iudicauerunt hanc communionem expedire, sub illis certis conditionibus aut decretis. Et fœlicis recordationis Paulus tertius, illud idem concessit ad instantiam Caroli Quinti fœlicissimæ ac gloriosissimæ memoriæ. Hinc ergo rectè nõ miror in eo quòd uideo patres & doctores uiuos in ea re differentes esse, in qua re scio patres & doctores iam demortuos, differentes fuisse. Non igitur inficias eo aliquam earum sententiarum, aut defensores illarum: habet unaquæque auctores, quos sequatur, habetque fundamenta sua non contemnenda.

Caietanus. Ruardus.

Concilium Basileẽ. antequam declinaret.

Sed quæso, nos in quam sententiam præcedentium de-

clinamus? Vt uerum fateamur, omnibus consideratis, magis placet sententia patrum, qui sententiam concilij Basileensis sequuntur, quam tenuit de hac re, antequam concilium ipsum declinasset, tentando quoad alia, quæ tentare nec debuit, nec potuit: Et quam tenuit fœlicis recordationis Paulus tertius, eam communionem concedens. Nihilominus priusquàm meam explicatius proferam sententiam, nonnulla adnotare libet, pro abundantiori declaratione.

Primum notabile est, quòd licitum non expediens, non eodem modo, sed potius uariis & differentissimis modis accipitur à doctoribus nostris, & Catholicis & sanctis: estque sermo eorum audiendus & intelligendus & ualde notandus, ut ueram intelligentiam habeamus eius uerbi Apostoli, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. *Notab. 1. licitum non expediens, uariis modis accipitur.*

Apostolus ad Corinthios, non uno loco, sed duobus dicit, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. quibus locis, de licitis non expedientibus agit. Circa quod uerbum (cum tamen aliàs sit manifestum omnibus, quæ sunt licita, & quæ sunt non licita: quæ sunt expedientia, & quæ sunt non expedientia.) non ita omnibus manifestè liquet, quæ sunt licita non expedientia, aut quod, seu quid est licitum non expediens. *1. Corin. 6. & 10.*

Quidam enim uidentur sic existimare, ut licita non expedientia, eo casu, quo non expediunt, etiam non liceant: quãuis aliàs extra illum casum licerent, & licita essent ex iure extra illum casum. Verbi gratia, quemadmodum si quæ licita sunt in iure, in aliquo casu particulari afferrent scandalum, & præstarent alicui impedimentum salutis, aut essent paruulis causa ruinæ. Tunc enim manifestum est, quòd quæ aliàs licebant extra illum casum, iam non licent in illo casu: & quæ erant licita, fiunt non expedientia: atque per consequens, fiunt in illo eodem casu illicita. Hunc sensum uidentur innuere S. Ambrosius in suis cõmen. super Apostolum ad Corinth. S. Thomas in suis, & Opusculo 21. Nicolaus Lyra. in suis commentariis, & Adrianus in lib. 4. sententiarum. Quasi omne, quod licet & non expedit, eo casu quo non expedit, etiam non liceat: & si aliàs liceret, aut esset licitum. Possunt uideri omnes illi doctores. *Ambrosius, S. Tho. Nicol. Lyr. Adrianus.*

August. lib. 1. Tomo 6. cap. 15. Augustinus in de adulterinis coniugiis ad Polentium, ait, Omne, quod non licet, non expedit: nec tamen omne, quod non expedit, etiam non licet. Sunt quippe licita, quæ non expediunt, sicut Apostolo teste didicimus. Idem Augustinus infrà statim, continuando sermonem, inquit, Sed inter id, quod illicitum est, & ideò non expedit, atque id, quod licitum est, nec tamen expedit, quid intersit, aliqua uniuersali regula definire difficile est. Citius enim quis dixerit, Omne, quod fieri non expedit, peccatũ est. Omne autem peccatum, illicitum est. Omne ergo, quod non expedit, illicitum est. Et ubi erunt illa, quæ licita esse, sed non expedire, Apostolus dicit? si omne, quod non expedit, licitum non est? Quapropter quia, uerum dixisse Apostolum, dubitare non possumus; & aliqua peccata esse licita dicere nõ audemus; restat ut dicamus, fieri aliquid, quod non expediat; & tamen si licitum est, non esse peccatum, quãuis quoniam non expedit, non sit utique faciendum. Quod si absurdum uidetur, ut aliquid fiat, quod non expedit, & dicatur non peccasse, qui fecerit; intelligendum est hoc ex consuetudine sermonis absurdum, quæ ita latè patet, ut etiam iumenta, quãuis sint rationis expertia, tamen plerunque dicamus debere uapulare cum peccant. Peccare autem propriè non est nisi eius, qui utitur rationali uoluntatis arbitrio, quod in omnibus mortalibus animantibus non nisi homini est diuinitus attributum. Sed aliud est cum propriè loquimur, aliud cum uerba ex aliis rebus trãsferendo uel abutendo mutuamur. Hæc ille. Sequitur statim, Vt igitur si possumus enitamur, inter id, quod licet & non expedit, & id, quod non licet atque ideò non expedit, aliquo certo fine distinguere: ea mihi uidentur licere, & non expedire, quæ per iustitiam quidem, quæ coram Deo est, permittuntur, sed propter offensionem hominum, ne ob hoc impediantur à salute, uitanda sunt. Ea uerò non licere, & ideò nec expedire, quæ sic ipsa iustitia uetantur, ut facienda non sint: etiam si ab eis, quibus in notitiam fuerint perlata, laudentur. Quod si ita est, ideò non nisi illicita prohibentur à Domino, ut ea, quæ licita sunt, & non expediunt, non legis uinculo, sed libera discre-

(Margin notes: Ibidem cap. 16. — Ibid. cap. 17.)

tionis (uel aliàs, dilectionis) beneficentia caueantur. Hæc ille. Quæ, quo modo intelligantur, tum ex seipsis, tum ex antecedentibus & subsequentibus, constat satis.


Ireneus ille Christi gloriosus Martyr, sic alio modo putauit intelligendum hunc locum, seu uerbum Apostoli, ut omnia dicerentur dicta licita, propter libertatem uoluntatis, qua possumus omnia uelle atque facere, uel non uelle nec facere: non autem omnia dicantur expedientia propter legem prohibentem, quæ nonnulla prohibet. Ireneus.

Itaque igitur notum est omnibus, quæ sunt licita, quæ sunt non licita seu illicita: quæ sunt expedientia, & quæ nõ sunt expedientia. Quandoquidem licita sunt, quæ nulla lege prohibentur: illicita sunt, quæ aliqua lege sunt prohibita: expediens est seu dicitur & est, quod sine impedimento potest fieri: & non expediens, quod præstat impedimentum ad consecutionem finis intenti. Et rursus, expediens potest habere multas acceptiones aut significationes, sicut uerbum, expedio, expedis: atque sicut uerbum, expedire, in tertia persona singularis uel pluralis numeri: quo modo accipiendo, expediens est, utile seu bonum ac necessarium. Sic autem intelligendo, non expediens, est per oppositum.

Secundum notabile est, De Germanis, Boëmis, aut Vngaris, seu aliis etiam, uariis modis possumus agere uel loqui: quia possumus habere sermonem aut de Germanis populis, aut de Germanis hominibus: & iterum de Germanis hominibus dupliciter, quia de Christianis catholicis pacem, gratiam atque communionem Apostolicæ sedis habentibus, atque de aliis, qui aut hæretici aut schismatici, aut simul hæretici & schismatici sunt. Hæc quæ de Germanis populis aut hominibus dicimus, de Boëmis, Vngarisque dicta intelligimus: ut eadem omnino uel similis fiat distinctio in istis, quæ in illis. Refertque multum ita distinguere, ut per se satis constat omnibus, & constabit magis ex dicendis: ex quibus notum erit, aliud fore formandum iudiciũ de Catholicis, aliud de hæreticis aut schismaticis, & aliud de populis, qui utrosq; continent, aut utrosq; cõtinere possunt, catholicos & hæreticos aut schismaticos. Notab. 2.

Notab. 3. Tertium notabile est, Imperator per suos oratores non petit communionem sub utraque specie concedi Germanis, Boëmis, aut Vngaris hæreticis aut schismaticis, nec populis Germaniæ, Boëmiæ, aut Vngariæ continentibus aut continere potentibus hæreticos uel schismaticos: sed tantùm petit concedi hoc Christianis catholicis, habentibus gratiam & communionem sedis Apostolicæ. Est nota hæc sua sacræ Cæsareæ Maiestatis petitio, tum ex libello oblato, tum ex declaratione & proclamatione Oratoris sui pro regno Vngariæ, Reuerendiss. domini Episcopi Quinqueecclesiensis, coram sacrosancta synodo.

Pro sententiæ explicatione, tres ponuntur conclusiones, atque ex his prima, & secunda probantur. CAP. XIX.



His prænotatis, & aliis, quæ pariter prænotari potuerunt, omissis, ecce iam ponimus conclusiones, quibus explicatius nostram proferimus sententiam, salua correctione sacrosanctæ synodi, & cuiuslibet melius sentientis, quàm ego sentio.

Conclus. 1. Prima conclusio est, Non expedit neque licet, ut communio sub utraque specie concedatur hominibus hæreticis aut schismaticis Germaniæ, Boëmiæ, aut Vngariæ, aut cuiusuis alterius nationis: ipsis in hæresi aut schismate actualiter existentibus, uel remanentibus.

Conclus. 2. Secunda conclusio est, Non expedit nec licet, ut communio sub utraq; specie concedatur populis Germaniæ, Boëmiæ, aut Vngariæ, sub nominibus communibus & collectiuis, populi, uel populorum.

Conclus. 3. Tertia conclusio est, Licet quidem, & Ecclesiæ Dei expedire uidetur, ut sanctiss. dominus noster Pius Papa IIII. uniuersalis Ecclesiæ Dei pastor & rector concedat hominibus Christianis Catholicis, Apostolicæ sedis gratiam & cõmunionem habentibus, communionem sub utraque specie, in partibus Boëmiæ, ac Vngariæ; & ubi eadem ratio, uel similis, uel æqualis, uel maior reperta fuerit.; expedire, inquam, uidetur secundum conditionem, ne dicam

iniuriam præsentis temporis, & statum rerum præsentium: atque oppositis conditionibus suprà explicatis.

Prima conclusio est manifesta cunctis fidelibus Christianis, ex sancto Christi Euangelio, in quo prohibemur & sanctum canibus dare, & margaritas ante porcos spargere. Ait enim Saluator noster, Nolite dare sanctum canibus, Matth. 7.
neque mittatis margaritas uestras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant uos. In hoc autem uerbo intelligimus, Saluatorem nostrum regulare beneque instituere affectum hominis ad proximum respectu boni conferendi: quia malis hominibus in peccato obstinatis, non sunt sacramenta ministranda, uel secreta fidei reuelanda infidelibus obstinatis: quia ex prædictis sequitur contemptus sacramentorum Ecclesiæ, ut derisio fidei catholicæ, & occisio ministrorum. Apostolus Paulus etiam dicit ad Titum, Hæreticum hominem post unam & Ad Titū 3.
secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & derelinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Et Ioannes Apostolus inquit, Siquis uenit 2. Ioan. 1.
ad uos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi uobis, ut in die Domini non confundamini. Manifestumque est ex epistola Apostoli prima ad Corinthios, Quantam qualemque bonam dispositionem requirat ipse in suscepturis hoc diuinum sacramentum, fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, obedientiæ. Probet autem seipsum homo, & sic 1. Cor. 11.
de pane illo edat, & de calice bibat. Debet autem fides esse una atque integra in omnibus: quia, Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium. Ephes. 4.

Secunda conclusio simili modo est nota omnibus Christianis catholicis. Ostenditur nanque hæc conclusio ex conditione præsentis status populorum Germaniæ, Vngariæ, Boëmiæ: quo constat nobis omnibus, esse in illis partibus multos aut nonnullos populos, in quibus uel omnes de populo, uel multi, uel aliqui seu quidam aut nonnulli, sunt hæretici aut schismatici. Vnde iuxta fundamenta probationes, aut demonstrationes conclusionis præcedentis, fit

manifesta hæc præsens conclusio secunda: nec ipsa aliis fundamentis indiget, quibus sua ueritas ostendatur. Non debemus nec licitè possumus sanctum dare canibus, aut margaritas spargere ante porcos.

Multiplicibus probanda rationibus, tertia conclusio assumitur, ac primùm duæ ex eis explicantur. CAP. XX.



Ertia conclusio quemadmodum & multis aliis patribus probatur, ita & mihi, ex multis fundamentis.

Primùm enim mihi ostenditur ex natura rei, idest, ex institutione, efficacia, ualore atque significatione huius diuini sacramenti per Christi gratiam: ex quibus maximè certum est communionem in utraque specie, quantum est de se, bonam esse; sacram, & utilem, ad bona spiritalia atque animarum profectum. Non dicimus, necessariam, propter ea, quæ superius iam monstrauimus: sed dicimus bonam, sacram, utilem. Vnde per consequens ea, quantum est de se, est expediens Christianæ Ecclesiæ. Patet hæc consequentia, ex definitione aut descriptione rei conuenientis seu expedientis. Ex hoc autem sic deducimus ad propositum præsentis conclusionis tertiæ. Quia quod de se est bonum, iustum, sacrum, utile, atque expediens, non potest alicui esse non expediens aut inexpediens, seu non licitum, nisi ex aliquo accidente extrinseco: quo sublato, illud idem tale manet, quale erat antea, uel ex sua natura, uel ex sua institutione; bonum, iustum, sanctum, sacrum, utile, licitum, expediens. Ergò cum per supradictas conditiones explicatas & apponendas tollantur omnia inconuenientia, unde communio laicorum sub utraque specie est inexpediens: fit ineuitabiliter consequés, ut appositis illis conditionibus, ea communio sit expediens. Quòd si fortè dixerit aliquis eas conditiones non tollere omnia impedimenta, respondemus duobus modis, Vno, quòd immo tollunt, ut constat omnibus intuentibus, qui considerare uoluerint omnia inconuenientia, quæ uel antiquiores uel recentiores adduxerunt.

adduxerunt. Altero, quòd si fortè illæ conditiones non sufficienter tollunt inconuenientia extrinseca, possunt quidem apponi aliæ, & aliæ: tot etiam, ut nullum prorsus inconueniens eiusmodi sit, quod non sufficienter tollatur per aliquam conditionem appositam seu apponendam.

Secundò ostenditur mihi eadē conclusio tertia, ex fine, quem intendit sancta mater Ecclesia in omnibus, præsertim uerò in usu potestatis Ecclesiasticæ sibi à Christo Saluatore nostro traditæ, ad statuendas uel abrogandas leges & dirigendas animas sanguine Christi redemptas, in salutem. Ille enim finis est absque dubio, ædificatio ipsius Ecclesiæ, salus animarum, & perductio earum in uitam æternam. Ex isto fine notissimo deducendo, sequitur euidenter in hac materia morali, quòd expedit Ecclesiæ Christianæ ut huiusmodi communio concedatur prædictis hominibus Christianis catholicis. Quomodò sic sequitur? Quia in uniuersum, si quis intendit aliquem finem, ex uoluntate, deuotione, aut obligatione; ei expedit, ut accipiat medium sibi oblatum tanquam bonum, utile, expediens, aut necessarium, ad finem ipsum intentum consequendum. Hæc est tota moralis philosophia, & hæc est omnis scientia, omnisque ars. Cùm igitur sancta mater Ecclesia intendat salutem animarum illorum fidelium prædictorum, quemadmodum & omnium aliorum, & illi proponatur à fide dignis communio illorum laicorum sub utraque specie, tanquam medium conuenientissimum & moraliter necessarium ad hoc, ut ipsi contineantur in officio Christiano, in fide catholica, & pace Christiana: uidetur manifestè, quòd expediat sanctæ matri Ecclesiæ iuxta suum finem hunc, quē intendit, ut huiusmodi medium accipiat, & prædictam concedat communionem. Qui sunt ij, qui sanctæ matri Ecclesiæ proponunt hanc communionem tāquam medium bonum, utile, & quodam modo necessarium, ad continendos illos homines in officio Christiano, sine quo saluari non possunt? Inuictissimus Imperator semper Augustus, Christianissimus Rex Gallorum, & excellentissimus Dux Bauariæ: qui omnes per suos Oratores hoc postulant fieri, tanquam rem maximè utilem, & maximè necessariam.

Nn

Ingenuè fateor, hæc ratio, in hac materia morali mihi uidetur quasi demonstratio, procedendo à fine intento, ad medium probatum necessarium. Probatur autem mihi hoc medium necessarium ad salutem illorum multorum hominum, testimoniis prædictorum principum, prædictorumque suorum oratorum: & quia salutem illarum animarum summè desidero, & hoc medium testificatione tot, tantorumque principum necessarium iudico ad eam salutem, ideò probatur mihi tertia hæc conclusio. Si qui patres sunt, quibus hæc præclara testimonia non satis probant illam communionem esse medium necessarium ad prædictum finem, respondeant ut uoluerint, & suis conscientiis satisfaciant. Nos enim ita respondemus, quia testimonia tantorum principum, absque dubio credimus uera esse.

Mouet igitur me Imperatoris petitio, quia profectò mihi fidem facit sua assertio: asserit enim, & petit. Asserit hanc communionem esse medium necessarium, uel quasi necessarium & utilissimum ad continendos illos homines in officio Christiano, & per consequens ad salutem suarum animarum: tuncque petit, eam concedi. Vt facilè possimus uidere quis est, qui petit, quid petit, pro quibus petit: sicut olim bene distinxit Augustinus. Petit enim Imperator semper Augustus, Ferdinandus Primus, Catholicus & ut ita dicam, Catholicissimus, brachium nostrum Christianum contra Turcas, & omnes alios earum partium infideles, atque propugnaculum nostrum, murus & antemurale contra alios nostros aduersarios hæreticos; petit autem pro fidelibus Christianis, qui degunt in illis regionibus, non pro hæreticis, nec pro schismaticis ipsis in sua hæresi aut in suo schismate permanentibus. Petitque ille pro illis, quid? non rem malam ex suo genere, aut indifferentem, aut inutilem: sed rem ex suo genere, natura, uel institutione bonam, utilem, sacram, & sacratissimam. nempe communionem sub utraque specie, quam iudicat medium necessarium ut ipsi homines ab aduersariis non decipiantur, & in officio Christiano contineantur. Videtur itaque sua petitio admittenda: & ut iam dixi, quia mihi fidem facit eorum assertio, mouet me eorum petitio, quamobrem

libenter tum in sententia eorum patrum discedo, qui eam concedendam dicunt. Modò ipsa intelligatur, sicut eam paulò ante proposuimus à suis oratoribus explicatam.

Audio dici, Imperatorem non hoc petere ex sua sententia sed potius ab aliis quibusdam impulsum & quasi ab eisdem deceptum, qui uolunt hac uia calicem Domini obtinere, & deinde secretè Lutheri dogmati inhærere. Absit à me tale iudiciū, absit & talis suspicio. Nullo enim modo nostram puto uerā Ecclesiam Christianā ita à Deo Opt. Max. esse destitutam, ut talem habeat Imperatorem, qui in huiusmodi rebus religionis grauissimis, aut possit decipi, aut uelit eam decipere. Non potest profectò ea deceptio habere locum apud talem, tantumque Imperatorem, tantæ fidei, tantæ prudentiæ, tantæ rerum omnium experientiæ: apud Principem undequaque circunspectum, longeuæ ætatis, & continuè iam inde à pueritia seu adolescentia in magnis rebus uersatum. Nec sua assertio fundatur in dictis hominum decipientium; sed potius in quasi quadam continua defectione hominum deceptorum, qui ab aliis delusi, à uera fide catholica in dies deficiunt, & ad hæresim declinant.

Quòd si aliquis ita somniare ogganireq; audet de Ferdināndo Imperatore uiuo, quid dicet de gloriosissimo Carolo Quinto, iam hac uita functo? Ipse nāque eandem (ut existimo) habens mentem, quam & Ferdinandus frater eius habet, à fœlicis recordationis Paulo Papa tertio, pro eisdem hominibus, eandem communionem petiit, eandemque obtinuit: quāuis ea tunc, iniuria temporum & nostris peccatis impedientibus, parum boni fructus attulerit. An & Carolus Quintus tūc fuit deceptus? An non potius prudenter egit? Immo prudenter egit, & nequaquam ab aliquo deceptus fuit: quanquam res ex sententia non cesserit, optatumque finem non sortita sit ob alias causas. Neque enim uir sapiens statim iudicat aliquod medium sufficiens infallibiter ad consecutionem finis, quoties rectè iudicat idem medium necessarium ad consequendum eundem finem. Multa enim sunt necessaria ad aliquid, quæ singula nō sunt sufficientia ad illud. Vnde alia doctrina est de re necessa-

ria, alia regula & alia traditio: alia uerò est de re sufficiente. Ita est in proposito, quia non proponitur hoc medium tanquam præcisè sufficiens; sed proponitur tanquam medium quodam modo moraliter necessarium, & multum conducens secundum prudentem existimationem.

Accedit his Christianissimus Rex Gallorum, accedit & excellentissimus princeps Dux Bauariæ, qui omnes id per suos Oratores petunt. Nunquid omnes sunt decepti? nunquid omnes decipere uolunt? Absit tanta iniuria principũ.

Ipsi sunt Reges & principes terræ in suis ditionibus, asserunt se non posse continere fideles homines suarum ditionum in officio Christiano, nisi hoc eis concedatur: iudicet totus mundus si sunt fide digni.

Itaque quia scio sanctam matrem Ecclesiam hunc finem intendere, salutem spiritalem omnium hominum, & maximè fidelium: & quia uideo à fide dignis prædictis, proponi hanc communionem tanquam medium necessarium fidelium Christianorum earum partium, ne deficiant à fide, & religione, & salute: iudico expedire Ecclesiæ iuxta suum finem intẽtum, ut huiusmodi cõmunionem concedat.

Hîc mihi respondet quidam reuerendissimus, doctissimus, & mihi colendissimus pater, partim concedendo, partim negando uel alio modo demonstrationem declinando. Concedit enim id, quod est apud omnes notissimum, ei, qui intendit aliquem finem expedire ut accipiat mediũ probatum necessarium ad illum finem. Declinat autem, eo quòd, id non debet fieri, ubi ille finis & illud medium essent in præiudicium alicuius maioris boni: quia non debemus amittere uel negligere maius bonum, propter minus bonum. Admittimus hanc suam declinationem, quia est bona & rationabilis. Dicimus tamen eam prorsus nihil facere in proposito, nec ullum habere locum in præsentia. quandoquidem ex concessione huiusmodi communionis, & salute illorum fidelium seu conseruatione eorum in religione Christiana, nulla sequitur maior iactura in Ecclesia Christiana, quàm sit iactura illarum animarum si ab Ecclesia discesserint. Nec hîc potest habere locum ea imaginatio, qua fugitur ad scandalum. Nullum enim in hac re po-

test esse scandalum datum, aut pusillorum: ut infra paulò pòst demonstratur satis.

Rationes, tertia, quarta, & quinta, quibus eadem conclusio innititur, in aciem deducuntur. CAP. XXI.



Ertiò probatur eadem conclusio, ex eodem fundamento. Quia hoc medium non solùm proponitur tanquam quodam modo necessarium ad continendum eos fideles in officio Christiano; sed etiam proponitur tanquam multum conducens, ut uenire facilius posint ad nos, qui recesserunt à nobis. Quæ res quantum sit necessaria, ut uidelicet optemus & curemus reditum eorum, qui abierunt in regionem longinquam, & ouem perditam quæramus, quæramus insuper & perditam drachmam, etiã cum aliquali bona domus euersione, nullus est qui non uideat. At quidem proponitur nobis hoc medium, tanquam conducens, tanquam utile, tanquam quodam modo necessarium.

Duo ergo hîc iudico, testimoniis quibusdam ductus, quæ à magnis audiui uiris, fide dignisimis. Alterũ, quòd multi à nobis defecerunt ea una occasione, ut communionem in utraque specie à nobis sibi negatam, sibi retinerent, quam per aliquot annos obseruarant. Alterum, quòd multi qui à nobis recesserunt, ad nos redire cupiunt, sed detinentur, ne sibi suus reditus leuitati adscribatur, si sic stantibus rebus redierint: unde hac una mutatione facta, & hac sacra communione concessa, absque dubio redibunt.

Primum horum mihi probat satis testimonium Stanislai Hosij Episcopi Varmiensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & ad hoc sacrum uniuersale Tridentinum concilium Legati, uiri quidem doctisimi, omnibus bonis meritis præditi, & mihi colendisimi. Is enim, me præsente & audiente narrauit, fuisse in Episcopatu suo quandam ciuitatem, quæ hac sola occasione, quæ ab obedientia & nostra uera religione declinauit, quòd ipse ei non concesisset communionem huiusmodi, prout ipsa ante annos fermè

triginta, temporibus aliorum prælatorum solita erat in utraque specie communicare. Petiit ciuitas illa prædicta ab ipso, non obtinuit, recessit. Hæc cum audissem, quæsiui ab illo, quid sibi nunc uidebatur de eadem re: ipse mihi respondit, id quod tunc. Ego iterum declaraui me non quærere de hoc, sed quid sibi modò uidebatur de hac concessione aut petitione quoad calicis usum; & ut existimo, intelligebam de illa ciuitate. Ipse ingenuè dixit, quòd si hoc prodesset ad reditum ipsius ciuitatis, ipse idem hoc petiisset à sanctiss. domino nostro Romano Pont. Quod autem in ea ciuitate contigit, non abs re cogitari iudicarique potest, in aliis ciuitatibus nonnullis, ultra hos montes Tridentinos existentibus, contigisse. Huic ergo tantæ iacturæ nostræ, omnibus bonis modis subueniendum est.

Secundum mihi probat etiam ad sufficientiam, testimonium reuerendiss. domini Andreæ Duditij Sbardellati, Episcopi Tininiensis, D. Prælatorum, totiusque Vngariæ Cleri oratoris, qui suam proferens de hac re sententiam, inter alia, quibus ostendit fore nunc illis hominibus usum calicis concedendum, ita dixit, Hoc ipsum à uobis, uestri filij, catholici homines, uehementissimè expetunt, idq; non tam sua, quàm fratrum suorum gratia: qui hanc ob causam, aut recesserunt iam, aut propè est, ut à fide recedant. Infirmos confirmare hac re uolunt, transfugas inescare, & ad se allicere, & in rectam, à qua aberrauerunt, uiam reuocare cupiunt. Ne putetis paucos esse, patres amplissimi, ex illis, qui ad aduersarios nostros transierunt: qui, si utriusque speciei communicatione, ut in integrum sit, iterum ad nos cupidissimè redituri sint. Multos iam defectionis pœnitet, sed, ut est imbecillitas humanæ naturæ, inconstantiæ notam pertimescunt. Redire ad nos cupiunt illi quidem, sed uerecundia prohibentur. Quòd si hoc eis concedatur, si hoc habeant, quod ueluti prætextum quendam sui ad nos reditus possint obtendere, iam nulla fuerit causa, quominus ueluti postliminio ad nos reuertantur. Atque istius quidem generis hominum, & multi, & magni, atque nobilissimi uiri sunt, qui ne leues fuisse uideantur, miserè potius mortem obeunt, quàm ut ad nos cum

dedecore, quod ſibi fingunt, reuerti uelint. Ne miremini, patres, hæ ſunt huius mundi illecebræ, huius modi ſunt Satanæ fallaciæ, ita ille hominum oculis tenebras offundit. Hunc iſtis, patres, obicem, hoc impedimentum adimite: pernicioſo iſto pudore ad Eccleſiæ gremium reuertendi obſtructam illis uiam, hac conceſsione patefacite. Hoc nobis affirmantibus credite. Nam nemo noſtrum ita impius eſt, ut hoc loco, uobis audientibus, falſi quicquam comminiſci uelit. Sunt etiam aliqui, & ego imprimis, qui non amicos tantùm, ſed neceſſarios, atque adeò conſanguineos, hac opinione & pernitioſo hoc pudore infatuatos habemus, quorum ſalutem ſitientes, cum ad priſtinam eos fidem reuocare, quantum in nobis eſt, contendimus, planè intelligimus, nihil aliud illis, quàm iſtum pudorem obſtare, quominus ad nos reuerti uelint. Hæc ille.

Confirmari non parum poteſt hæc ratio, ut pro lucrandis huiuſmodi animabus hoc medium accipiamus, ex eo, quòd nos prælati Eccleſiarum: maximè autē ſummus Pontifex, Chriſti Vicarius generalis, uniuerſalis totiusque Eccleſiæ Chriſtianæ, Chriſti Saluatoris noſtri perſonā agimus: & non ſolùm illius Euangelici patris, qui filium prodigum à regione longinqua ad ſe reuerſum, miſericorditer paterneque ſuſcepit, amplexus eſt, & primam ſtolam reſtituit: *Luca 15.* quinetiam & Euangelici paſtoris illius, qui ut ouem perditam recuperaret, nonagintanouem in deſerto reliquit, *Ibid.* ad eam uenit, illam quæſiuit, inuentamque accepit, non percuſsit, non maledictis, conuiciiſque proſecutus eſt, ſed in propriis humeris poſuit, & ad alias reduxit. Nondum enim illa uenerat, nondum uenire diſpoſuerat, neque de reditu cogitauerat: & paſtor ille, illam omnino præuenit, ut eam errantem quæreret, ut quæſitam inueniret, atque ut inuentam cum gaudio & cum labore aſportaret. Huius paſtoris nos perſonam gerimus. Videamus, an nos ſimilia pro animarum ſalute perditarum, facere, ſeruatis ſeruandis, debeamus. Sed, quæſo, mulier illa eiuſdem ſancti Euangelij in eodem capite, quid non fecit, aut quid facere omiſit, ut drachmam perditam inueniret? euertit *Ibid.* enim domum. Et nos nanque, perſonam huius gerimus.

quandoquidem Saluator noster per hæc omnia, seipsum re-
2.Cor. 5. præsentabat, cuius nos uices gerimus, pro quo & legatione fungimur, Deo exhortante per nos.

Quia igitur hæc communio proponitur atque asseritur à uiris credendis, medium necessarium, tum ut Catholici in fide Catholica & religione Christiana conseruētur, tum ut qui à fide Catholica & religione Christiana defecerunt, ad illam redeant: uidetur mihi profectò tertia conclusio concedenda, uidetur asserenda, uideturque credenda & admittenda.

Si enim aliquando media aliqua sunt accipienda pro finibus consequendis: absque dubio ea media maximè accipienda uidentur, quæ ex sua natura uel diuina institutione in diuino iure stando, sunt bona, licita, iusta, sancta, sacra, utiliaque, & ad tales fines seu ad talem finem à fide dignis asseruntur necessaria, atque multum conducentia.

Obiectio.

Dixerit fortasſis quiſpiam, huius modi communionem non esse medium necessarium ex natura rei, seu aliqua necesſitate absoluta, pro conseruatione aut reductione illorum hominum prædictarum partium; sed solùm ex fragilitate, culpa, aut uoluntate eorum: quasi ideò non sit concedenda, uel accipienda pro medio.

Responsio.

Respondemus, neque hoc prohibet; quia neque hoc medium proponitur tanquam ullo modo necessarium naturaliter, sed tanquam aliquo modo necessarium moraliter, tanquam multum conducens, & quodammodo politicum, atque secundum prudentiam rerum agendarum ad finem intentum. Omnis infirmitas animæ, est uoluntaria, & quodammodo à uoluntate infirmi dependens: quia nulla est infirmitas animæ nisi peccatum, uel per peccatum. Peccatum autem, ut frequentisſimè dixit Augustinus, & recepit tota schola Christiana in libris sententiarum, adeò

est

est uoluntarium, quòd si non est uoluntarium, non est peccatum. Vnde similiter quòd anima in sanitate spiritali cõseruetur, quòd ab ipsa deficiat, & quòd ad ipsam redeat, à sua uoluntate quodammodo pendet in adultis: sicut hanc ueritatem iam latissimè demonstrauimus ex diuinis scripturis & sanctis doctoribus, in nostra Quadripertita iustitia. Quamuis tamen alio modo differentissimo à nobis pendeat nostra sanitas animarum, & alio longè distantissimo infirmitas earum. Quia ut sanitate conseruemur, atque ut ad sanitatem redeamus, pendet principaliter à gratia; quod autem peccamus, non à gratia, sed à nostra pendet uoluntate. At uerò his uerissimis existentibus, & nullo modo obstantibus, pro animabus in sanitate conseruandis, atque pro animabus ad sanitatem reducendis, & pro animabus ab infirmitate sua uoluntaria liberandis, remediis, mediisq; utimur opportunis, congruentibus, conducentibus, & in suo genere necessariis. Exemplis harum rerum, plena est scriptura sacra. Nihil ergo ualet obiectio. Manifestè notat Augustinus, attendendam esse infirmitatẽ hominum, in legibus humanis abrogandis, uel retinendis.

Augustinus in de lib. arbitrio & in De perfectione iustitiae. Magister sent. lib. 2. dist. 32. & dist. 41. & August. iterũ in lib. De uera relig. c. 14. et in Retract. lib. 1. cap. 13. Part. 1. lib 2. & par. 2. lib. 1.

August. epist. 119. tom. 2.

Quartò ostenditur eadem tertia conclusio, ex statu seu ratione status, in quo sunt illi fideles catholici, de quibus agimus, & pro quibus hæc sacra communio petitur. Nempe quia sunt ut plurimùm uel frequenter in locis, in quibus sunt, qui perperam & iniquè agentes contra statutum & sine licentia sanctæ matris Ecclesiæ in utraque specie communicant, & ab illis solicitantur, & quodammodo grauiter tentantur ad id faciendum. Solicitantur, inquam, uel libris, uel etiam uerbis, aut facto ipso; dum uident, aut alio modo certo sciunt, uicinos suos in utraque specie cõmunicare. Hanc ob causam iam non potest esse dubium, quin ipsi sint quodammodo in periculo; & saltem sunt propinquiores tentationi, atque sic etiam quasi in conflictu. Videtur ergo expedire sanctæ matri Ecclesiæ, ut hos suos filios abundantioribus gratiis & fauoribus prosequatur, quibus eos ab ipsis tentationibus liberet, aut eos in illis specialiter iuuet, & in suo bono statu fidei atque religionis corroboret. Sic enim facit Saluator noster, sanctæ matris

Ecclesiæ sponsus, qui optimus maximus, maximè tentatos, maximè iuuat. Ita dicit Apostolus, Fidelis Deus, qui non patietur uos tantari supra id, quod potestis; sed facit cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Expedire igitur uidetur Ecclesiæ, ut cum tentatis suis filiis id faciat exterius, quod bene nouit spõsum suum cum eisdem tentatis facere interius. Non dubitauit Scotus asserere Deũ ob suam misericordiam præstare abundantiorem deuotionem eis Christianis, qui inter infideles habitant; ut sic specialius consolati, religionem retineant, fidem & alia ad religionem pertinentia.

1. Cor. 19.

Scotus.

Rom 14.

Nicolaus.

Theophil.

Apostolus dicit, infirmum autem in fide assumite. Circa hoc uerbum, quidam nostri intelligunt infirmum in fide, esse de nouo conuersum & de lege catholica minus sufficienter instructum. Casus eo tẽpore sic erat, ut exponit Theophilactus, Plerique Iudæorum, qui Christo accesserant, post fidẽ adhuc, in ciborum obseruatione hærebant, à suilla carne abstinentes, nondum ausi prorsus à lege deficere. Deinde ut ne facilè caperentur, ut qui à sola porcina abstinerent, ab omnibus carnibus simpliciter sibi temperabant, solisque oleribus uescebantur. Alij rursus perfectiores uisi sibi, nihil obseruantes, obseruantibus conuiciabãtur. Terruit igitur eos Paul. ne quomodo importunè & minus decorè increpantes, perfectiores ipsi imperfectiores, à Christi fide decutiant. Sic Theophilactus proponit casum, & sic introducit Apostolum dicentem, Infirmum autem in fide suscipite. Ecce infirmum in fide appellat Apostolus, non solùm illum, qui retenta fide integra, in aliquo alio peccat ex ignorantia, aut fragilitate, aut malitia: sed etiam illum, qui minus doctus, in aliquo articulo dissentit: qualis erat ille infirmus, putans aliquo modo seruanda esse legalia, uel in toto, uel in parte. Eundem autem infirmum talem, non dicit Apostolus statim abiiciendum, conuiciandum, uel aspernandum: sed potius assumendum, atque suscipiendum, & quodam modo sustinendum, donec plenius doceatur. Infirmum autem in fide, inquit, assumite, seu suscipite. Verum est quòd dubius in fide, infidelis est; sed hoc non est ad propositum.

Docet planè Apoſtolus, quanta cum prudentia debemus curare infirmos omnes, exemplo Saluatoris noſtri edocti, de quo legimus, Arundinem quaſſatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet. Quo etiam exemplo inſtructus idem Apoſtolus dicebat, Factus ſum omnia omnibus, ut omnes Chriſto lucrifaciam. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?

Et nos ergo fratres noſtros curare debemus, infirmosq; in fide aſſumere ſeu ſuſcipere: ut ſanos conſeruemus, & ut infirmos ad ſanitatem reducamus. Sumus etenim & nos, ut paſtores ſpiritales animarum, ita & medici ſpiritales earum. Curare igitur eas debemus, tum ex charitate, tum ex officio. Quomodo autem? Ad modum, quo medici corporales curant corpora. Ipſi uerò quo modo curant? Non curando hominem in communi, & ſecundum ſpeciem, quia ſi ſic, cùm omnes homines ſint eiuſdem ſpeciei, & ut ſic, unus homo, quantum ad ſpeciem, ſingulos homines curarent eodem modo; ſed curant, curando hominem in particulari, & ſecũdum indiuiduum; conſiderando ipſum particulare ſubiectum, particulariaque accidentia, & naturalia, & accidentalia, à quibus abſtrahit homo communis, ſeu in communi. Tunc, particularibus infirmitatibus applicant particulares medicinas, iuxta ſubiecti infirmitatem & diſpoſitionem: ut prius intendant ſubiecti conſeruationem, & deinde eiuſdem ſubiecti ſanationem. Ita & nos facere debemus, ſpiritales medici animarum: ut eas ſpiritaliter curemus, conſiderando ſuas affectiones, actiones, paſsiones, amores, odia, & ſimilia. Sic eis poterimus prudenter atque ſapienter applicare medicinas, tam conſeruatiuas ſeu præſeruatiuas, quàm etiam curatiuas ſeu expulſiuas malorum. Supereſt uidere affectiones prædictorum hominum, quas habent uel habere poſſunt: ut ſic cognoſcamus, & curare ualeamus ſuas infirmitates. Quod non nouit medicina, non curat.

Curant etiam medici non rarò, concedendo infirmis, quod deſiderant.

Quintò oſtenditur eadem concluſio ex noſtra pluſquam centenaria experientia. Videmur enim, experientia tot

Ecclesiæ sponsus, qui optimus maximus, maximè tentatos, maximè iuuat. Ita dicit Apostolus, Fidelis Deus, qui non patietur uos tantari supra id, quod potestis; sed facit cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Expedire igitur uidetur Ecclesiæ, ut cum tentatis suis filiis id faciat exterius, quod bene nouit spōsum suum cum eisdem tentatis facere interius. Non dubitauit Scotus asserere Deū ob suam misericordiam præstare abundantiorem deuotionem eis Christianis, qui inter infideles habitant; ut sic specialius consolati, religionem retineant, fidem & alia ad religionem pertinentia.

1. Cor. 10. · Scotus.

Rom 14. · Nicolaus. · Theophil.

Apostolus dicit, infirmum autem in fide assumite. Circa hoc uerbum, quidam nostri intelligunt infirmum in fide, esse de nouo conuersum & de lege catholica minus sufficienter instructum. Casus eo tēpore sic erat, ut exponit Theophilactus, Plerique Iudæorum, qui Christo accesserant, post fidē adhuc, in ciborum obseruatione hærebant, à suilla carne abstinentes, nondum ausi prorsus à lege deficere. Deinde ut ne facilè caperentur, ut qui à sola porcina abstinerent, ab omnibus carnibus simpliciter sibi temperabant, solisque oleribus uescebantur. Alij rursus perfectiores uisi sibi, nihil obseruantes, obseruantibus conuiciabātur. Terruit igitur eos Paul. ne quomodo importunè & minus decorè increpantes, perfectiores ipsi imperfectiores, à Christi fide decutiant. Sic Theophilactus proponit casum, & sic introducit Apostolum dicentem, Infirmum autem in fide suscipite. Ecce infirmum in fide appellat Apostolus, non solùm illum, qui retenta fide integra, in aliquo alio peccat ex ignorantia, aut fragilitate, aut malitia: sed etiam illum, qui minus doctus, in aliquo articulo dissentit: qualis erat ille infirmus, putans aliquo modo seruanda esse legalia, uel in toto, uel in parte. Eundem autem infirmum talem, non dicit Apostolus statim abiiciendum, conuiciandum, uel aspernandum: sed potius assumendum, atque suscipiendum, & quodam modo sustinendum, donec plenius doceatur. Infirmum autem in fide, inquit, assumite, seu suscipite. Verum est quòd dubius in fide, infidelis est; sed hoc non est ad propositum.

Docet planè Apoſtolus, quanta cum prudentia debemus curare infirmos omnes, exemplo Saluatoris noſtri edocti, de quo legimus, Arundinem quaſſatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet. Quo etiam exemplo inſtructus idem Apoſtolus dicebat, Factus ſum omnia omnibus, ut omnes Chriſto lucrifaciam. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?

Et nos ergo fratres noſtros curare debemus, infirmosq; in fide aſſumere ſeu ſuſcipere: ut ſanos conſeruemus, & ut infirmos ad ſanitatem reducamus. Sumus etenim & nos, ut paſtores ſpiritales animarum, ita & medici ſpiritales earum. Curare igitur eas debemus, tum ex charitate, tum ex officio. Quomodo autem? Ad modum, quo medici corporales curant corpora. Ipſi uerò quo modo curant? Non curando hominem in communi, & ſecundum ſpeciem, quia ſi ſic, cùm omnes homines ſint eiuſdem ſpeciei, & ut ſic, unus homo, quantum ad ſpeciem, ſingulos homines curarent eodem modo; ſed curant, curando hominem in particulari, & ſecũdum indiuiduum; conſiderando ipſum particulare ſubiectum, particulariaque accidentia, & naturalia, & accidentalia, à quibus abſtrahit homo communis, ſeu in communi. Tunc, particularibus infirmitatibus applicant particulares medicinas, iuxta ſubiecti infirmitatem & diſpoſitionem: ut prius intendant ſubiecti conſeruationem, & deinde eiuſdem ſubiecti ſanationem. Ita & nos facere debemus, ſpiritales medici animarum: ut eas ſpiritaliter curemus, conſiderando ſuas affectiones, actiones, paſsiones, amores, odia, & ſimilia. Sic eis poterimus prudenter atque ſapienter applicare medicinas, tam conſeruatiuas ſeu præſeruatiuas, quàm etiam curatiuas ſeu expulſiuas malorum. Supereſt uidere affectiones prædictorum hominum, quas habent uel habere poſſunt: ut ſic cognoſcamus, & curare ualeamus ſuas infirmitates. Quod non nouit medicina, non curat.


Curant etiam medici non rarò, concedendo infirmis, quod deſiderant.

Quintò oſtenditur eadem concluſio ex noſtra plusquam centenaria experientia. Videmur enim, experientia tot

præteritorum annorum, compertum iam satis habere, nihil hâc prohibitionem quoad Boëmos profecisse, nisi quòd multi illorum facti sunt schismatici: ab unitate spiritus in uinculo pacis recesserunt, & in suo schismate perierunt: quia huiusmodi communionis prohibitionem non receperunt, & ab obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ se subtraxerunt. Expedire igitur uidetur sanctæ matri Ecclesiæ, ut iam nunc quasi medicinas mutando, prohibitionem amoueat, concessionem uerò adhibeat: saltem ut utrunque modum curandi experiatur, & utroque utatur, altero post alterum.

Confirmatur ex usu & consuetudine sanctæ matris Ecclesiæ, quæ semper nouit & usa est, omnibus subuenire, præsertim in illis, quæ ad salutem & bonum statum animarum pertinent: maximè quoad multitudinem, cuius absque dubio habenda est ratio. Multi autem sunt ij, de quibus loquimur. Deinde, quia ex hac concessione cum conditionibus explicatis, uel etiam cum aliis explicandis, quæ placuerint, nullum potest esse malum aut periculum, ut constat omnibus intuentibus: ex prohibitione autem iam cunctis patet, quid hactenus acciderit Boëmis: & timendum est, ne deterius sibi contingat, eadē prohibitione durante.

Affertur sexta ratio ad eandem conclusionem. CAP. XXII.



Extò ostenditur eadem conclusio ex dictis atque sententiis nonnullorum patrum, qui hîc sunt illarum partium. Etenim Reuerendissimi domini, Archiepiscopus Pragensis Boëmiæ, Episcopus Quinqueecclesiensis, Vngariæ, Episcopus Tininiensis Vngariæ etiam, hoc postulant. Non dubium, quin ideò, quia hoc iudicant bonum, utile, & quodam modo necessarium. Sunt enim uiri sanctissimi, doctissimi, & prudentissimi: quos omnes nouimus tales, quotquot hîc sumus. Sunt etiā hac in re maximè audiendi, quia sunt Episcopi illarum partium, sunt pastores illarum animarum, & habent experientiam earum rerum.

Reuerendus pater F. Frāc. Cordubenſis, ordin. Minorū, Hiſpanus, à ſecretis confeſsionibus ſereniss. Reginæ Boëmiæ, idem ſentit omnino, fore uidelicet huiusmodi communionem prædictis hominibus concedendam. Is enim, ut ait, in Germania nunc temporis reſidens, & tanquam Germanicarum rerum oculatus teſtis, de nonnullis nonnulla ſcripſit opuſcula, quæ ſanctiss. Domino noſtro Pio Papæ IIII. dicauit, id eſt, de Reſidentia prælatorum. De legibus abrogandis. Quomodo pro diuerſitate temporum expediat ſacratiſsimam Euchariſtiam adminiſtrari. De hæreticis recipiendis. In libello autem de Abrogandis legibus, ita procedit, primùm, oſtendit legem omnem iuſtam, ſicut & omnem poteſtatem, à Deo eſſe. Secundò, oſtendit ſolam legem naturalem eſſe inuariabilem ſuapte natura. Tertiò, oſtendit propter multitudinis bonum, legem eſſe abrogandam. Quartò, oſtendit ſatius eſſe eam legem abrogari, quæ non ſeruatur. Quintò oſtēdit, quòd propter hominum ingenia, leges expedit uariare.

Frater Frā ciſcus. Cap. 1. cap. 2. cap. 3. cap. 4. cap. 5.

In hoc autem quinto loco, ita dicit Pater ille, ualde doctus, ualde religioſus, & ualde notus, Cùm lex ſuapte natura, non propter particulare bonum, ſed propter commune, uniuerſaliter ſtatuatur: contra legis naturam erit, ſi quod ſtatutum eſt propter bonum commune, oppugnet ipſummet bonum commune. Sed aliquando accidit, quòd lex aut conſuetudo, quæ uni regioni conuenit, alteri magis nocet: & quæ præterito tempore bono Reipublicæ conſulebat, iam nunc propter ingenia hominum, in bonum eiuſdem reipublicæ non conducat, cum minimè homines in eodem ſtatu permaneant. Niſi ergo lex illa abrogetur, & conſuetudo, quæ malè pululare iam incipit, ſuccidatur, oppugnabitur ipſum bonum commune, quod maximum eſt inconueniens. Vnde quando multitudo populi eſt prona & inclinata ad aliquod opus, quod ſolummodò malum eſt, quia humana lege prohibitum, tunc ratione multitudinis habita; debet abrogari lex illa, cum expediat bono communi. Hac uerò lege abrogata, multitudo, quæ in opus uetitum antea nitebatur, ſanctè & religioſè poterit erga illud opus ſe gerere; uerbi gratia: populi Germanici

sunt proni & affecti ad communionem, sub utraque specie, quæ quidem de se mala non est, nisi quia propter aliquas causas iustas, laicis est in Ecclesia Latina prohibita. Expedit ergo, ut ratio multitudinis habeatur, & cum Germanicis populis dispensetur, ut sub utraque specie possint sacramentum suscipere. Vt uerò lex hæc abrogetur, iustior causa esse non potest, quàm quæ nunc est, uidelicet, propter tantæ multitudinis bonum, cui si communicandi sub utraque specie Ecclesia copiã fecerit, & sanctè sacramentum suscipiet, & Ecclesiæ copulabitur. Hæc ille.

Ecce reuerendus ille pater, uir quidem religiosus, & ualde doctus, Hispanus utique, sed in Germania nunc temporis residens, atque rerum Germanicarum oculatus testis, sic dicit expressè, Expedit ergo, ut ratio multitudinis habeatur, & cum Germanicis populis dispensetur, ut sub utraque specie possint sacramentum suscipere. Ad hoc autem faciendum, causam allegans, explicans, atque probans, dicit. Vt uerò lex hæc abrogetur, iustior causa esse non potest, quàm quæ nunc est; uidelicet propter tantæ multitudinis bonum, cui si communicandi sub utraque specie Ecclesia copiam fecerit, & sanctè sacramentum suscipiet, & Ecclesiæ copulabitur.

Idem auct. ibi. cap. 6.

Idem auctor in eodem libello asserit & probat quòd, quanuis leges humanæ sint iustæ, & antiqua consuetudine roboratæ, non tamen ex hoc sunt perpetuandæ: quia legem humanam esse perpetuam & irreuocabilem, est contra bonum & æquum. Adducit Augustinum in de Libero arbitrio; ex quo deducit, quòd pro diuersis temporibus & diuersis regionibus, leges contrariæ possunt esse iustæ: & per consequens, rationes contrariæ, propter quas legislator & uariat, & condit illas leges, possunt esse proculdubio iustæ. Agebat enim Augustinus de lege æterna, quæ impressa nobis est, & qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima: atque de lege humana seu temporali, quæ quanuis iusta sit, commutari tamen per tempora instè potest. Insertque idẽ auctor, dicens, Simili modo, eadem fide catholica in sua puritate manente, prohibitio communicandi sub utraque specie, potest, suadente ratione, pro tempore uariari, nec

August. cap. 6. tomo 1.

Ibid.

quia prohibitio iusta fuit, ideò abrogatio huius prohibitionis erit iniusta: sicut nec rationes, quibus communio sub utraque specie laicis concedi potest, erunt iniustæ, quia rationes quibus prohibita est, fuerunt iustissimæ: utrunq; enim exigit, & postulat bonum commune: quia hic modus communicandi non est de se malus, neque lege diuina prohibitus: immo pro diuersis regionibus & temporibus, laudabiliter & religiosè catholici, sub utraque specie communicarunt. Idem auctor in eodem opere probat, quòd ad conditorem legis, abrogatio legis expectat. Eò in loco adduxit Augustinum ita docentem, Vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem uitæ melioris, ubicunque institui uidemus, uel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur: si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, ut maiora studiorum lucra spectanda sint, quàm calumniatorum detriméta metuenda, sine dubitatione faciendum est: maximè illud, quòd de scripturis etiam defendi potest, sicut de hymnis & psalmis cantandis, &c. Ex hoc autem uerbo Augustini ita deducit idem auctor, Cum ergo prohibitio communicationis sub utraque specie uniuerso populo Germanico, magnum afferat detrimentum, neque maiora lucra, immo potius detrimenta maiora sperantes (hac enim de causa multi ab unitate Ecclesiæ separantur) non dubium quin expediat Germaniæ populis, calicis usum concedere, maximè, cum per interdictionem illam, fides non astruatur, nec per hanc concessionem ipsa periclitetur. Stat enim cum uera fide catholica, uterque modus communicandi. Aug. epist. 119. tom. 2.

Idem auctor in libello in quo agit, Quomodo pro diuersitate temporum, expediat sacratissimam Eucharistiã administrari, docet primùm laicos communicare sub utraque specie, non esse contra fidem catholicam, & omnibus exploratum esse satis, communionem sub utraque specie Ecclesiam nunquam damnasse, sicut neque illam, quæ sub una fit tantùm specie. Deinde ostendit quibus aut quãdo iustè denegari concedi'ue potest communio sub utraque Idem auct. cap. 1.

Ibidem cap. 2. ſpecie: & in hoc loco ſic dicit ad propoſitum. Ideò ſi accedentes cum debita reuerentia ad calicis ſumptionem, habeant fidem rectam iuxta communem ſenſum Eccleſiæ, tantùm abeſt ut ſacræ ſcripturæ aut religioni Chriſtianæ repugnet, eis ſub utraque ſpecie tradere ſacramentum, ut etiam diuinæ ſcripturæ & ipſi religioni Chriſtianæ ſit conſonum. Quapropter expediret ut Eccleſia ſaluti fidelium conſulens, eos, qui circa religionem uariant, ad ſuã unitatem, tanquam pia mater adduceret, & infirmos charitatis uiſceribus obfirmaret, & ſic eccleſiis Germaniæ concederet, ut laicis petentibus aut ſub una ſpecie aut ſub duabus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, liberè à ſacerdotibus poſſet adminiſtrari: dummodo communicaturi credant indubitanter, totum contentum in hoc ſacramẽto, utroque modo à fidelibus ſumi, eandemq́ue gratiam conſequi eos, qui hoc aut illo modo communicant; & deniq; utroque modo illud adimpleri præceptum. Amen amen dico uobis, niſi manducaueritis carnem, &c.

Ibid. cap. 3. Idem auctor in eodem libello aſſerit & probat, quòd pietati Eccleſiæ congruit, ut à fidelium communione non ſeparet eos, qui ſub utraque ſpecie communicant: niſi & ipſi in aliquo errent contra fidem. Adducit Euſebium in Eccleſiaſtica hiſtoria, Ireneum, cum cæteris, quibus præerat, Galliarum Epiſcopis, & Auguſtinum. In eodem loco ita inquit, Eodem ergo modo cùm antiqui patres, communicantes ſub utraque ſpecie, à communione fidelium non ſeparauerint, aut talem conſuetudinem uicio dederint, immo potius approbauerint, non expediet Eccleſiæ ob ſolam hanc cauſam, Germaniæ populos à communione fidelium ſeparare. Infra, Sic ergo expediet Eccleſiæ, ut qua poterit diligentia fiat, ne uarius communicandi modus, charitatis pacem abrumpat, ſicut nec olim ueram concordiam abrupit.

Euſeb. lib. 5. cap. 4.

Ibid.

Ibid. cap. 4. Idem auctor in eodem libello aſſerens & oſtendẽs, quòd expedit Eccleſiæ, quibuſdam propter inobedientiæ periculum, calicis uſum concedere, inquit, Quàm facile primo homini fuerit, Deo in omnibus obedire, neminem præterit: cum in ſtatu illo innocentiæ, in quo ignorantia

non

non excæcabat, nec inordinata concupiſcentia urgebat, operoſum non eſſet ei, complere mandata diuina. Accesſit ad hoc, quòd & ipſe Deus faciliorem obedientiam reddidit; quando enim Adæ eſum fructus unius ligni prohibuit, ei, ut de omnibus ederet, miſericorditer eſt largitus. Poſt peccatum tamen Adæ, quàm difficile ſit obedire, illum latet, qui neque Deum nouit in cœlis, neque hominem ſuperiorem in terris. Impedimento enim nobis eſt, non ſolum ignorantia, ſed etiam concupiſcentia. Ideò legum abrogationē fieri, multoties expedit, etiam ſi leges non ſint iniuſtæ, propter ſolam populi inobedientiam: nititur enim ſemper in uetitum populus. Ad rem ergo deueniendo, cū populi Germanici propter ſuam infirmitatem, ea concupiſcant, quæ ſunt ab Eccleſia prohibita, uidelicet, communionem ſub utraque ſpecie, neque poſsint ad unitatem catholicæ Eccleſiæ reduci, niſi illis hoc liberè concedatur, expediet ſine dubio ſtatutum hoc, de non communicando ſub utraque ſpecie abrogari, idque illis piè concedere, quod neque eſt contra fidem, neque contra bonos mores: ut in omnibus aliis ſubditi obediant Eccleſiæ, maximè cum ſummus Pontifex, non urgente neceſsitate, dignitate prouectis, utriuſque ſpeciei, uſum non ſemel conceſſerit, multisque ob ſuam deuotionem ipſemet utranque ſpeciem porrexerit. Hæc ille.

Sciens, uolens, & gaudens refero hîc, hæc multa loca eiuſdem prædicti auctoris, in quibus eandem frequenter habet explicatam & repetitam ſententiam, de huiuſmodi communione concedenda ſub prædictis cōditionibus, quibus & errores omnes, & pericula omnia, auferantur. Gaudens, inquam, multis de cauſis: his præſertim, tum, quia ſcienter loquitur ipſe auctor, tum quia Hiſpanus eſt, & ſine ſuſpicione agit, in Germania exiſtens, rerum Germanicarum oculatus teſtis, atque de re huiuſmodi experimētum habens. tum quia ego auribus meis audiui uirum hunc grauiſsimum & doctiſsimum referri in oppoſitam ſententiam, non abſque illius grauiſsima iniuria: à qua ut ipſum liberarem, ipſum hîc in tam plurimis locis retuli.

Afferuntur rationes septima & octaua ad eandem conclusionem tertiam. *CAP. XXIII.*



Eptimò probatur eadem tertia conclusio, ex statu huius sacræ rei, de qua agimus, quæ est communio sub utraque specie, quo ad laicos uel etiam clericos non celebrantes. Status enim eius rei talis est, Primùm, quòd huiusmodi communio, quantum est de se, ex institutione Christi, est bona, iusta, sancta, & utilis, ut ex dictis & confessione omnium fidelium constat satis. Secundò, quòd ab initio nascentis Ecclesiæ, & deinceps multis annis & in multis Ecclesiis particularibus fuit moribus obseruata: ut ex Apostolo Paulo ad Corinthios, ex Dionysio Areopagita in de Ecclesiastica Hierarchia, ex Cypriano Martyre, ex Leone I. ex Clemente Alexandrino in suis stromatibus, ex historia Tripartita, & ex aliis probatissimis etiam auctoribus satis manifestè apparet omnibus legentibus. Tertiò, quòd hæc res sic sancta, & sic multis sæculis apud multas Ecclesias particulares obseruata, non solùm nunquam & nusquam fuit damnata, sed etiam nunquam & nusquam fuit aliqua lege scripta probibita uel interdicta simpliciter & absolutè: quia neque ante concilium Constantien. nec in illo, nec post illud. Quod nunquam & nusquam fuit damnata, sic notum est, ut nulla egeat probatione. Quod autem nunquam & nusquam fuit prohibita seu interdicta simpliciter & absolutè, lege aliqua scripta, etiam est notum apud omnes fideles Christianos, ex eo quòd nullibi reperitur talis lex scripta, nec doctores catholici de ea faciunt aliquam mentionem, tanquam eam uidissent, aut de ea audissent, ante concilium Constantien. Quod uerò illud idem concilium non prohibuit consuetudinem communicandi in utraque specie, ubi illa esset ex antiquo seruata, satis est manifestum. Nam ut constat ex actis ipsius, hoc solùm fecit, quòd consuetudinem communicandi laicos aut etiam clericos non celebrantes in altera tantùm specie, laudauit, atque probauit, & damnantes

1. Cor. 1. & 11. Dionysius. cap. 3. Cyprianus Leo 1. Serm. 3. De quadragesima. Clemens. lib. 1. Tripartita lib. 9. cap. 3.

Concilium Constan. Sess. 13.

eam damnauit, simul decernens, quòd, cùm huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Ecce totum fecit, consuetudinem communicandi populum in altera specie confirmando; & nihil fecit, consuetudinem communicandi populum in utraque specie damnando. Neque illud concilium sic statuit absolutè illam consuetudinem communicandi populum in altera tantùm specie, quasi eam ostendisset aut prædicasset indispensabilem: sed sic, ut nulli liceret eam reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Vnde quisquis eam consuetudinem nullo modo reprobat, sed quidem cũ auctoritate Ecclesiæ mutat, nullo modo agit contra concilium, sed potius agit secundum concilium illud: quod benè significauit, posse neminem auctoritate Ecclesiæ mutare hanc consuetudinem.

Ecce quis, seu qualis est status nunc, huius rei, de qua agimus, sacratissimæ quidem quantum est de se, hoc est, ex sua institutione, continentia, & sanctitate.

Videtur ergo expedire Ecclesiæ Dei, ut hanc rem sacram in tali statu existentem concedat suis filiis catholicis Christianis; tum ut eos in religione fortiores seu alacriores conseruet; tum ut eos in numero augeat, alios, qui defecerunt, ad conuersionem prouocando.

Si aliquis dixerit, lucrum non est certum. Respondemus, si certum esset lucrum, iam nullum esset de hac communione concedenda dubium. Secundò dicimus, Et si nõ est certum, quòd erit lucrum intentum in hac concessione: saltem certum est, quòd nullum potest sequi ex ista concessione damnum. Videtur ergo expedire Ecclesiæ, ut id experiatur, ex quo nullum potest sequi damnum, & magnum possumus sperare fructum, magnumq; lucrum, & magnum gaudium. Remedium hoc est benignissimum, quia potest prodesse, & non potest obesse. Videtur ergo admittendum. Ingenuè fateor, non uideo quomodo hæc sacra communio possit non expedire; aut possit esse non expediens, appositis illis omnibus prædictis cõditionibus, cum

aliis opportunis, quæ uidebuntur, quibus omnes tollantur errores, omniaque auferantur pericula, & omnia inconuenientia.

Hæc omnia dixerim sub correctione huius sacrosanctæ synodi, nullam aliam Reuerendissimorum patrum sententiam damnando, nullam accusando, nullique in aliquo detrahendo.

Octauò mihi probatur eadem conclusio tertia, ex eo quòd profectò expedire uidetur Ecclesiæ Dei, ut ipsa & ter, & quater experiatur, immo experiatur sæpe, & sæpius pro salute animarum, id quod semel & bis iam eadem Ecclesia pro salute animarum experta est, absque ulla iactura sua, absque ullo detrimento, absque ullo damno. Sic enim magis assimilabitur Christo dicenti, Remittendum esse, non solùm usque septies, sed septuagiessepties. Hinc est, quòd cùm patres in concilio Basileen. antequàm declinassent, hanc communionem sub prædictis conditionibus iam concesserint ad petitionem Boëmorum, & postea fœlicis recordationis Paulus Papa tertius, hoc ipsum fecerit ad petionem Caroli Quinti: & cùm hoc semper his uicibus factum sit absque ullo præiudicio sanctæ matris Ecclesiæ: uidetur absque dubio, quòd & nunc sanctæ matri Ecclesiæ expediat, ut hoc concedat ad petitionem Ferdinandi Imperatoris, & aliorum principum nominatorum. Eadem est petitio, eadem est causa finalis pro qua petitur, & petentes non sunt minoris auctoritatis, dignitatis, aut acceptionis. Aut ostendat aliquis quod damnum euênit ex illis duabus concessionibus primis, seu quod damnum euenire potest ex hac concessione tertia. Nos enim scimus quòd ex illis nullum damnum euênit, & quod ex hac nullum damnum euenire potest, moraliter loquendo.

Confirmatur hæc ratio, ex eo quòd, duodecim horæ sunt in die, & sæpe Deus in una mouet alio modo quàm in alia: unde homines à Deo moti, quod bonum una hora non faciunt, in alia faciunt: at qui in una cadunt, in alia resurgunt: in una Deo uocanti non obediunt, in alia obediunt. Quid scimus, si in hac tertia concessione, tempus erit completum, conseruationis bonorum, & reuersionis

Ioan. 11.

malorum? Concessimus quidem iam bis, ut dictum est, sed utique non debemus imponere terminum diuinæ misericordiæ: ne nobis dicatur, quod olim Iudæis dixit Iudith, Posuistis uos tempus miserationis Domini, & in arbitrium uestrum diem constituistis ei. Iudith 8.

Ergo quod sancta mater Ecclesia hoc iam bis concessit absque ullo præiudicio, mihi est unum de præcipuis fundamentis ad hoc, ut ei expediat, quod & nunc tertiò idipsum conedat. Non est abbreuiata manus Domini. Sentiant homines ubique & semper, sanctæ matris Ecclesiæ clementiam. In his & similibus dico, in quibus nec est, nec potest esse ullum præiudicium.

Probatur conclusio prima ad quartum artic. CAP. XXIIII.



Rima conclusio quarti articuli est, Quãtum ad sacratissimam rem contentam, idest, Christum Saluatorem nostrum, non minus aliquid sumit, qui sub una tantùm specie hoc sacramentum accipit, quàm qui sub utraq;.

Conclusio hæc prima probatur primùm, ex illa quasi prima animi Christiani conceptione, qua omnes fideles Christiani catholici firmissimè credimus & nullo modo dubitamus, nunc totum Christum Saluatorem nostrum, corpus eius, sanguinem, animam, atq; diuinitatem, integrè esse, realiter atque præsentialiter sub qualibet specie huius sanctissimi sacramenti Eucharistiæ, immo etiam & sub qualibet particula cuiuslibet speciei illarum, etiam sub minima sensibili particula. Ex hac enim ueritate notissima omnibus Christianis, sequitur necessariò ista nostra prima conclusio, ut constat omnibus. Distinguimus nos quidem sic, quia sub specie panis ex ui uerborum Christi, quibus fit cõsecratio, Hoc est corpus meum. est ibi per se corpus Saluatoris nostri, de quo expressè est sermo: cætera uerò, quæ in illis uerbis nõ explicantur, sed corpori Christi realiter coniunguntur ut sanguis, anima, diuinitas, sunt ibi per concomitantiam. Rursusque distinguimus simili modo, quia sub specie uini ex ui uerborum Christi, quibus fit consecra-

tiō, Hic est calix sanguinis mei &c. est ibi per se sanguis Saluatoris nostri, de quo expressè est sermo: cætera uerò, quæ illis uerbis non explicantur, sed sanguini Christi realiter coniunguntur, ut corpus, anima, diuinitas; sunt ibi per concomitantiā similiter. Hac tamen una differentia salua, quòd sub specie panis aut uini, alia concomitantia est ibi diuinitatis; alia uerò aliorum: quia concomitantia diuinitatis dicitur remota, cum non pertineat diuinitas ad unā naturam cum corpore aut sanguine: ut doctores bene notant, præsertim Gabriel super Canonem. Verùm, quòd ibi sint corpus & sanguis Christi, constat ex ipsis uerbis Saluatoris nostri, quæ sine dubio illud efficiunt modo quodam mirabili, quod significant. Quod uerò alia sint ibi per realem quandam concomitantiam, eo constat, quo apud omnes est certum, ea, quæ realiter coniunguntur, non nisi secundum rationem separari. Omnia igitur sunt ibi; quæ in Christo realiter sunt coniuncta, aut hypostaticè unita.

Gabriel. lect. 53.

Verissimè ex toto corde ita credimus, atque ex toto corde ita ore confitemur; corpus Christi, quod sumptum est de sanctissima & semper Virgine Maria, quod passum est; & sepultum, quodque resurrexit & ad cœlum ascendit, ac sedet ad dexteram Dei Patris, in quo filius Dei uenturus est iudicare uiuos & mortuos, sub specie panis uerè & realiter contineri. Hanc ueritatem primùm probant uerba ipsa Christi dicentis, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur, quod pro uobis datur. Quod uerbum Saluatoris nostri nullo modo intelligitur figuratè; sed propriè, ac uerè propriè: quemadmodum uerba sacra tum antecedentia, tum subsequentia, satis indicant; iuxta modum intelligendi sacram scripturam, in libro 83. quæst. positum & ab omnibus receptum. Ita intellexerunt semper omnes sancti doctores, etiam antiquissimi, & Latini, & Græci. Eusebius Emissenus, dicens inter alia, Recedat ergo omne infidelitatis ambiguū, quoniam quidem, qui auctor est muneris, ipse etiam testis est ueritatis. Nam inuisibilis sacerdos, uisibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui uerbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite & comedite.

Matth. 26. Marc. 14. Luce 24.

August. quæst. 69. tom. Eusebius Emiss.

Hoc est corpus meum. Idem Leo Papa in synodo Romana. Hilarius in de Trinitate. Hieronymus in Sermone dominicæ quintæ post Epiphaniam, dicit, Singuli autem totum accipiunt Christum dominum, & singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed se in singulis præbet. Et ad Heluidium, Dominus IESVS ipse conuiua & conuiuium: ipse comedens, & qui comeditur. Ambrosius in libro de sacramentis, ait, Panis est in altari usitatus ante uerba sacramentorum, ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Infrà. Quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem: Quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi: & uinum cum aqua in calice mistum fit sanguis, consecratione uerbi cœlestis. Christus testificatur, quod corpus suum & sanguinem accipimus. De cuius fide & testificatione dubitare non debemus. Hæc ille dicit, & multa alia ualde notanda. Augustinus etiam de hac ueritate, multa præbet testimonia. In libro sententiarum Prosperi. Nos autem in specie panis & uini, quam uidemus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus: Nec similiter compræhendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem appræhendebamus: cum fideliter fateamur ante consecrationem esse panem & uinum, quod natura formauit; post consecrationem uerò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. In eodem lib. Caro eius (id est, Christi, de quo erat sermo) est quam forma panis opertam in sacramento accipimus. Et sanguis eius, quem sub uini specie & sapore potamus. Idem in de Trinitate. Idem in epist. ad Ireneum. Idem super psalmos, Accesserunt ad IESVM Iudæi ut crucifigerent, nos accedamus ut corpus eius & sanguinem accipiamus. Alibi ad Iudæos, Iam & securi bibite sanguinem, quem fudistis. Alibi, Ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. Alibi, De carne Mariæ, carnem accepit, & ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit. Idem Gregorius in homilia Paschæ. Basilius; O miraculum, ô Dei nimia beneuolentia, qua sursum sedet ad dexteram patris, sacrificij tépore

Leo. Hilarius lib 8. Hierony. Ambro. Augu. lib. cap. Psal. 33. Psal. 28. Psal. 75. Psal. 27. Gregorius. Basilius.

Hugo. lib. 2. par. 8. per multa capita.

manibus hominum continetur. Hugo in de sacramentis, Quod uidemus, species panis est & uini: quod autem sub specie illa credimus, uerum corpus Christi est & uerus sanguis IESV Christi, quod pependit in cruce, & fluxit de latere. Nec per panem & uinum corpus & sanguinem tantùm significari credimus, sed sub specie panis & uini uerum corpus & uerum sanguinem consecrari: & speciem quidem uisibilem, sacramentum esse ueri corporis & ueri sanguinis: corpus autem & sanguinem, sacramentum esse gratiæ spiritualis. Et quemadmodum species illic cernitur, cuius res uel substantia ibi esse non creditur: sic res ibi ueraciter & substantialiter præsens creditur, cuius species non cernitur. Videtur enim species panis & uini, & substantia panis & uini non creditur: creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & species non uidetur. Idem Innocentius in De officio Missæ, Cùm sacerdos illa Christi uerba pronuntiat, Hoc est corpus meum; Hic est calix meus; panis & uinum in corpus & sanguinem conuertuntur, illa uerbi uirtute, qua uerbum caro factum est, & habitauit in nobis: qua dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt uniuersa. Ego igitur, qui uitam æternam habere desidero, carnem Christi ueraciter comedo, & sanguinem eius ueraciter bibo: illamque carnem, quam traxit de Virgine, & sanguinem, quem effudit in cruce. Idem probat confessio Berengarij facta in Concilio generali, Nicolao Papa præsidente: & habetur in capitulo, Ego. Talis enim fuit sua confessio, Consentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi, & ore & corde profiteor, panem & uinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, sed etiam uerum corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi esse. Hanc ueritatem uniuersalis Ecclesia iam determinauit, cuius post Euangelium, nulla maior est auctoritas: etenim in Concilio uniuersali sub Innocentio tertio celebrato, ita habetur, Vna uerò est fidelium uniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur: in qua idem ipse sacerdos est & sacrificium, IESVS Christus: cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus, panis & uini ueraciter continetur. Hanc eandem ueritatem

Innocentius.

De consecr. dist. 2.

Confessio Beregarii.

Concilium uniuersale.

De sancta Trinit. & fide catho. c. Firmiter.

tem

tem Guilielmus Parisien. in tractatu solemni, quem de sacramentis edidit, in parte de sacramento Eucharistiæ, c. sine partitione. & iuxta principium, persuadet ex tribus officiis, quæ Christus pro nobis suscepit: scilicet, presbyteri, aduocati, & medici. Albertus etiam ad istam ueritatem dicit in libro de Sacra, Quid necesse est tantum facere apparatum pani & uino, nisi significarent corpus & sanguinem Christi? Quid ad hoc ordinarentur sacerdotes, consecrantur altaria, templa, ac cætera, quæ ad ritum & altaris cultum pertinent, si nihil in his fieret, nisi quòd panis benediceretur, qui corpus Christi tantùm significaret? Adhuc autem adoratio & ueneratio, quæ fit à populo, exhiberetur creaturæ: sicque in omni missa idololatria committeretur, quia cultus debitus creatori, puræ exhiberetur creaturæ. Quod nepharium est dicere. Ad istam eandem ueritatem est manifestè Magister sententiarum, & post ipsum atque cum ipso tota schola Christiana simul, nullo excepto: quam ueritatem & ipse Magister probat, & auctoritatibus sanctorum Patrum, & testimoniis diuinarum scripturarum. Adducit enim uerbum Christi, Accipite, Hoc est corpus meum. & iuxta hoc dicit ex Ambrosio, si tantùm ualuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non ualebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet? Refert iterum Ambrosium, & frequenter Augustinum: secundum quod Ambrosius in De sacramentis expressè dixit, Panem istum, quem sumimus in mysterio, illum intelligo utique, qui manu sancti Spiritus formatus est in utero Virginis, & igne passionis decoctus in ara Crucis. Probat etiam cur Saluator nobis dat semetipsum sub speciebus alienis. Sed hæc ex illo sufficiant. Eodem modo docent Alexander de Ales in suis partibus, Sanctus Thomas in scriptis & in partibus, par. 3. quæst. 76. artic. 1. 2. & 3. Scotus lib. 4. dist. 10. quæst. 1. Ockam in suo tractatu de Sacramento, Durandus, Gabriel Biel ibi & super Canonem, lect. 39. Sanctus Bonauentura, omnesque alij patres sine exceptione. Sic determinatum est etiam in concilio Constantien. Et sic docet diuus Dionysius Areopagita. ait enim in de Ecclesiastica Hierarchia, loquens de uenerabili Eucharistiæ sacramento.

Guilelmus Parisien. *Albertus. par. 2.* *Magister sent. lib. 4. dist. 12. et dist. 11.* *Ambrosius libro, de his qui mysteriis initiantur. cap. 9. tom. 4.* *De consecr. dist. 2. c. Omnia quæ.* *Alexand.* *S. Tho.* *Scotus.* *Ockam.* *Durandus,* *Gabriel,* *S. Bonauē.* *Dionysius cap. 3.*

At uerò Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit; & quæ ante laudauerat, uenerandis operta & abdita signis in conspectu agit; diuinaque munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos ut communicent hortatur. Et post multa, Describit enim Pontifex in his fermè sensibiliter muneribus in conspectu dans Christum IESVM nostram spiritalem ut in imaginibus uitam, & diuinitatis occultè perfecta & in confusa nostræ mortalitatis assumptione clementissimè proprietatem ex nobis accepisse, atq; ad diuisibile nostrum sine mutatione sui ex unitate naturali processisse. Per hanc beatificam clementiam ad participationem sui suorumque bonorum inuitare genus humanum. Si tamen ipsius clementiæ inseramur, ipsam quantum fas est imitando: sicq; ueraciter consortes Dei diuinorumque participes efficiamur. Hæc Dionysius. Concedant omnes catholici tractatores, Latini, Græci, Scholasticæ theologiæ, ac positiuæ, in eo quod in qualibet specie sanctissimi sacramenti Eucharistiæ, & in qualibet particula cuiuslibet speciei est totus Christus. Ergo quantum ad rem contentam, Christum Saluatorem nostrum, nemo minus suscipit sub altera tantùm specie, quàm sub utraque. Eodem modo probant idem doctores sancti, quòd substantia panis & uini non manet cum corpore & sanguine Domini, sed panis & uinum in corpus & sanguinem Christi substantialiter cõuertuntur ac transsubstantiantur: de qua ueritate modò non plura dicimus, eo quòd iam de ea dixerimus latè in libro præcedenti, in quo etiam continentiam huius diuini sacramenti ostendimus. Dixi in conclusione, Nunc, ut magis declararem ueritatem. existentia enim sacramentalis Christi in sacramento, præsupponit existentiam realem: ob quod si aliquis Apostolus in triduo mortis consecraret, non esset in sacramento Christus, quia re uera tunc Christus erat mortuus: esset tamen tunc corpus Christi sub specie panis, & esset sanguis Christi tunc sub specie uini: sed separatim, sicut erant extra sacramentum. Vnde tunc non haberet locum illa prædicta concomitantia sanguinis cum corpore, aut corporis

S. Tho. par. 3. quæst. 81. art. 4.

cum sanguine; quia corpus & sanguis non se habebant coniunctim in re, sed seiunctim. Nunc autem aliud est, quia corpus Christi modò est corpus uiuum, dispositum per sanguinem, & informatum per animam: similiter sanguis Christi modò non est separatus à corpore, sed est intra uenas inclusus. Ideò nunc habet locum illa concomitantia, de qua loquuntur doctores, & bene dicunt, exactè, atque sapientissimè. De ordine etiam ipsius concomitantiæ, id est, qui seruatur inter ea, quæ ibi sunt per cõcomitantiam, dixit Franciscus de Maronis, & post ipsum Gabriel Biel super canonem Missæ, latè satis: ibi de hoc quilibet plenè uidere potest. Tali enim modo corpus & sanguis & anima sunt in sacramento quantum ad hoc, quali sunt in sua propria consistentia siue existentia naturali. Quæ ut interim melius percipiantur, ita dicimus, Quatuor pertinentia ad perfectam corporis Christi cõsistentiam, sunt in sacramento uenerabili, sub qualibet specie: corpus Christi gloriosum, preciosus eius sanguis, benedicta eius anima, & diuinitas excellentissima. Sed hæc ita ordinantur quantum ad esse ibi per se ex ui consecrationis, atque ex ui concomitantiæ. Sub specie panis, est corpus ex ui consecrationis. cætera uerò tria, per concomitantiam. Est autem illa concomitantia non confusè, sed ordinatè; uerbi gratia, sanguis est ibi ex concomitantia immediata, quia pertinet immediatè ad dispositionem corporis, ut sit susceptiuum animæ; quia uidelicet anima non uiuificat corpus sine sanguine, immo oportet ut mediet sanguis, ut corpus sit dispositum ad informari. Secundò est ibi anima ex concomitantia mediata, quia præsupponit sanguinem in corpore, sine quo ipsa corpus non uiuificat. Tertiò est ibi Deitas ex concomitantia remota: quia quãuis immediatè sit unita corpori, & etiam mansit unita corpori in triduo mortis, anima scilicet & sanguine separatis: tamen in incarnatione facta est unio ad totum hominem primò, & ex consequenti ad partes humanitatis. Et ideò quasi remota & ultima cõcomitantia, dicitur diuinitas esse sub isto mirabili sacramento. Est tamen ibi per concomitantiam. Ita docet ille doctor Franciscus de Maronis prædictus. Est etiam ibi di-

Gabriel lect. 42. litera T.

Gabriel lect. 53. litera G.

uinitas ex concomitantia remota, quia non pertinet per se aut naturaliter ad unam naturam humanam cum corpore: & licèt non sic pertineat ad unam naturam cum corpore, quia tamen corpori unita est ypostaticè, quod nunquam relinquit, ideò & ipsum concomitatur etiam in sacramento. In calice autem sub specie uini quãuis omnia illa quatuor uerè sint ac realiter, alio tamen ordine. Est enim primò ibi totus sanguis Christi assumptus & unitus corpori, per se & ui consecrationis. Secundò, est ibi corpus Christi ex concomitantia immediata; quia corpus Christi immediatè respicit in se sanguinem. Sanguis enim cum sit materia liquida, propriis terminis non continetur, sed terminis alienis: hi autem sunt partes corporis Christi, inter quas concluditur. Tertiò est ibi anima Christi ex concomitantia propinqua. Cum enim hîc sit sanguis & corpus, nec corpus sit exangue ac mortuum, necesse est & animam hîc contineri: & quia ipsa ad eandem naturam pertinet cum corpore, dicitur hîc esse concomitantia propinqua, quãuis non immediata; quia immediatum sanguinis receptaculum est corpus, per quod est ibi anima. Quartò, est ibi benedicta Deitas concomitantia remota; quia quãuis ipsa pertineat ad eandem personam cum anima & corpore, cui inest sanguis, non tamen pertinet ad eandem naturam cum prædictis. Ordo autem iste, hîc signatus, non est ordo temporis, quia non prius est ibi sanguis, quàm corpus, aut anima, aut diuinitas: sed est ordo naturæ, & præsuppositionis; qua, posterius non esset sub sacramento sine priore.

Gabriel ubi supra. lect. 42. litera Q.

NON tamen uidetur prætereundum silentio, quòd licèt sub hostia consecrata, sit concomitanter ipsa diuinitas & Dei filius: non tamen ibi sic concomitanter est Pater aut Spiritus sanctus. Sunt quidem in sacramento Pater & Spiritus sanctus, tum propter immensitatem diuinæ naturæ; qua ratione sunt ubique: tum propter identitatem essentiæ, qua non possunt separari à filio. tum propter circumincessionem, qua filius est in patre, ac pater in filio, & similiter de Spiritu sancto, propter relationes originis, & identitatem essentiæ. Non tamen sic sunt in sacramento per concomitantiam, sicut essentia & filius. Nam essentia & filius

sunt ibi per concomitantiam, quia uniti ypostaticè corpori assumpto; sed nec Pater, nec Spiritus sanctus assumpsit humanam naturam, & ita nec partes eius. Non enim pater factus homo, nec Spiritus sanctus incarnatus est: ut late probat Magister sententiarum, in uariis locis. Magister sent. lib. 1. dist. 16. lib. 3. dist. 1.

Vtrum autem debeat concedi simpliciter quòd ibi sint Pater & Spiritus sanctus per concomitantiam, licèt non sicut uerbum? Respondet Gabriel, Videtur mihi, salua semper saniori sententia, quòd uis est in nomine, quia de re constat. Constat quidem, quòd ibi est Pater & Spiritus sanctus duplici ratione, Primò, quia sunt Deus, & per consequens ubique. Secundò, quia sunt consubstantiales uerbo: ergo sunt, ubi uerbum. Ita quòd si per impossibile, non essent ubique; nihilominus essent in sacramento, in quo est uerbum, propter consubstantialitatem uerbi. Constat etiam quòd ibi est uerbum per assumptionem corporis, quo modo non est ibi Pater, & Spiritus sanctus. Gabriel ubi supra. lect. 42. litera R.

Dixi etiam statim in principio probationis istius conclusionis primæ responsiuæ ad istum quartum articulum, totum Christum Saluatorem nostrum, corpus eius, sanguinē, animam, & diuinitatem esse in hoc sacramento, tum sub qualibet specierum, panis ac uini, tum etiam sub qualibet particula cuiuslibet speciei illarum, quāuis ea particula sit minima sensibilis. Vnde placet notare insuper hoc loco, saltem ad maiorem declarationem, quæ olim theologi nostri animaduerterunt. Etenim quòd sub qualibet huius sacramenti particula totus est Christus, & totum eius corpus, &c. semper fuit notum apud patres, intelligendo de particulis sacramenti post fractionem eius. Sic enim dixit Hieronymus in quodam sermone post Epiphaniam, & habetur in De consecratione: & notum fuit semper apud omnes fideles Christianos, antiquos & nostræ ætatis. Suntq; multæ rationes ad hoc, de quibus non licet dubitare. Vtrùm autem sub qualibet parte sacramenti indiuisi sit totus Christus, totum eius corpus, ac totus eius sanguis? non fuit semper ita clarum apud omnes. S. Thomas, & S. Bonauentura in suis scriptis recitant opiniones, & clarius recitat Alexander de Ales in suis partibus. Quædam Hierony. est sermo dominica 5. dist. 2. c. singuli. lib. 4. dist. 10.

part. 4. quæst. 40. art. 5. Alexand. de Ales. enim opinio dixit quòd Christus totus est sub tota hostia; non tamen sub qualibet parte hostiæ indiuisæ est totus: sed hostia diuisa, Christus totus remanet sub qualibet parte. Ponebat illa opinio exemplum de speculo, quia sicut fracto speculo multiplicantur imagines in partibus speculi, sic post fractionem sacramẽti, quot sunt partes, toties est ibi Christus. Constat autem quòd ante fractionem speculi, non erat ibi nisi una imago. Ista autem opinio ab omnibus grauiter impugnatur, & ab omnibus conformiter relinquitur: Qua omissa, est alia sententia uera & communis omnium doctorum, asserens quòd corpus Christi est totum in tota hostia, & totum in qualibet parte hostiæ, in qua fuit prius substantia panis; siue hostia sit integra, siue diuisa. Nec per diuisionem aliquid mutatur, circa existentiam corporis Christi. Non enim per fractionem nunc incipit esse, ubi prius non fuit: nec desinit esse, ubi fuit: quandiu species manent in eadem dispositione, in qua sub eis conseruata fuisset substantia panis, si facta non fuisset conuersio. Vnde sicut per diuinam potentiam miraculosè totũ corpus Christi sub tam parua hostia concluditur: ita per eãdem potentiam & miraculosè, etiam in singulis partibus totum continetur. Et hoc est de intentione domini Innocentij tertij, sic dicentis. Reor, salua fide maiestatis, quòd ubi est panis consecratus, totum in singulis partibus continetur, &c. De his Gabriel latè super canonem Missæ. Similiter & sanctus Thomas in suis partibus, ubi quærit, Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis & uini? Ibi enim ita ingenuè fatetur, Et ideò manifestum est, quòd totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, &c. Nunquid ideò corpus Christi est infinities aut pluries in eadem hostia consecrata integra? absit. Sicut enim nulla substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, quandiu sua quantitas manet indiuisa actu: sic neque corpus Christi sub dimensionibus panis: & per consequens, neque infinities. Facta autem diuisione, toties Christus est in illo diuino sacramento, in quot partes diuiditur sacramentum. Optimè dicit Augustinus in quodam sermone, Singuli accipiunt Christum Do-

(Margin: Gabriel lect. 80. literis O, P, Q. S. Tho. par. 3. quæst. 76. art. 3. S. Tho. ibid. ad 1. arg. Gabriel ubi supra. August.)


minum, & in singulis portionibus totus est: nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet singulis. Ad exemplum autem adductum de speculo, asserit S. Thomas & uerè, quòd quidem non est omnino simile. Ea ratione, quia multiplicatio huiusmodi imaginum accidit in speculo fracto, propter diuersas reflexiones ad diuersas partes speculi: hîc autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in toto sacramento. Hæc ille. In hoc enim sacramento substantia corporis Christi est ex ui sacramenti, seu ex ui sacramentalis consecrationis: quantitas autem dimensiua ex ui realis concomitantiæ. Ideò corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, idest, per modum, quo substantia est sub dimensionibus: non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum, quo quantitas dimensiua alicuius corporis, est sub quantitate dimensiua loci. Manifestum est autem, quòd natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionũ, sub quibus continetur: sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter siue sint dimensiones actu diuisæ, sicut cum aër diuiditur, uel panis secatur, uel etiam sint actu indiuisæ, diuisibiles uerò potentia. Itaque corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensiuæ, sed magis secundum modum substantiæ: sic etiam quòd dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum in sacramento, mediante substantia ipsa corporis, non autem mediantibus seipsis. Ex hac una ratione intellecta, facilimum est intelligere, quomodo totus Christus est in tota hostia consecrata, & totus in qualibet eius parte.

S. Tho. par. 3. quæst. 76. art. 3.

S. Tho. ibid.

S. Tho. ibid. art. 5.

Omissa probatione secundæ conclusionis ad quartum articulum, quòd ea sit admodum manifesta, probantur tertia & quarta. CAP. LXXV.


Ecunda conclusio huius quarti articuli per se constat, nec indiget probatione ulla. cum enim species sacramentales panis, & species sacramentales uini, sint res realiter distinctæ, constituentes pluralitatem quandam, licèt ordine quodam: non est dubium quin minus de illis ac de illa sua pluralitate sumat, qui communicat in una tantùm, quàm qui communicat in duabus. Nec illæ res sunt tantum distinctæ realiter, quantum ad numerum; illæ res, inquam, id est, illæ species, accidentia, & signa; sed ut etiam constat, sunt distinctæ specificè: unde magis confirmatur ipsa ueritas & conclusio secunda, absque ulla dubitatione. Ex qualibet enim multitudine minus accipit, qui accipit unum, quàm qui accipit duo. Sunt autem illa sacra accidentia multa, & distincta: alia panis, alia uini, alia solidi, alia liquidi aut fluidi: alia non nisi manducabilia, alia non nisi potabilia: quantum est de se, atque ex natura rei.

Conclusionem tertiam probant satis ipsa uerba in quibus ipsa ponitur, & quibus declaratur. Ad opus enim operantis pertinent eius fides, spes, charitas, obedientia, deuotio, feruor, & inflammatio, quibus communicãs aut communicaturus accedit ad istud sacramentum mirabile. Ista autem pro ut sunt actus quidam boni in habente, sunt quædam merita, & certissima habent sua præmia; gratiæ etiã aut gloriæ, si fiant in gratia. Non de condigno strictè, ut
Roma.8. declarat optimè Apostolus ad Romanos dicens, Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sed modo
2.Corin.4. alio, quem idem Apostolus alibi declarat, dicens ad Corinthios, Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Eo etiam modo,

quo

quo dicit Apost. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Non est autem dubium, quin ista opera possint esse maiora uel minora, intensiora uel remissiora, feruentiora uel tepidiora in communicante in una specie, quàm in duabus; aut etiam è contra, in communicante in duabus, quàm in communicante in una. Meritum nanq; hominis ex opere operantis, & si particulariter etiam respiciat alia; particulariter etiam respicit conatum eius, qui operatur, in credendo, sperando, amando, obediendo, pœnitendo, aut aliquid aliud faciendo interius, uel exterius. Et aliquando aliquis cum æquali gratia, maiori, uel minori, conatur æqualiter, magis, uel minus: quia conatus noster in nostris actionibus liberis uel ad illas, pendet à nostra uoluntate. Vnde fit, quòd aliquando aliquis homo ad aliquod opus conatur, uerbi gratia, ut quinque; qui potuit, ad idem opus, & in eodem tempore conari ut decem. Ergo pro gratia, quæ datur secundum opus operantis, non potest dari certa regula pro illis, qui uel sub una uel sub duabus speciebus communicant. Pendet enim hoc quodammodo à suo eorum merito, affectionibus, actionibus, uel passionibus, & à suo conatu: quæ supra modum possunt esse uaria, maiora uel minora, ut constat ex dictis. 2. Timo.4.

Conclusio quarta potest etiam probari & faciliter & sufficienter, quia illa quæstio, An minus gratiæ recipiat ex operato, qui in altera tantùm specie communicat, quàm qui in duabus? pro nulla parte sua, affirmatiua uel negatiua uidelicet, est per se nota: nec pro aliqua est demonstrabilis demonstratione clara, uincente intellectum sua claritate: nec pro aliqua est de fide Christiana, ut cũctis est manifestum. Quin potius illa quæstio, stando in rigore theologico, ad utranque partem suam, affirmatiuam uel negatiuam, habet rationes probabiles & ualde apparentes iuxta qualitatem materiæ: & simul habet doctores theologos, atque catholicos, qui de illa uariè opinantur. Ergo illa quæstio, est quoddam problema theologicum. Ad particularia autem descendendo probatur ipsa ueritas, seu cô-

Opinio 1. ad partem affirma.

clusio, ex doctoribus, qui uariè opinantur, & rationibus eorum. Partem nanque affirmatiuam, id est, quòd plus gratiæ accipiat communicans sub utraque specie, quàm sub altera tantùm, & per consequens quòd minus qui sub altera, quàm qui sub duabus, tenent Alexander de Ales in suis partibus, & Nicolaus Lyranus super Ioannem: atque fortasis alij, de quibus modò non recordor, nisi quantum paulò post (domino donante) explicabo. secundum quod ad istam sententiam profectò magis uidentur esse nonnulli, qui communiter solent adduci in oppositum. Fundamenta huius opinionis sunt, Primum, quia alius effectus uidetur esse cibi, & alius potus: prout communiter sitim potus, famem uerò cibus sedat. Vnde quia hoc sanctissimum sacramentum ex illis duabus speciebus diuersarum rerum, panis uidelicet & uini, integratur & quodammodo perficitur; uidetur quòd Saluator noster sub qualibet specie latens, alium effectum & alium spiritalem operatur per aliam & aliam speciem. Secundum, quia utraque species est uerè sacramentum, distinctam habens materiam & distinctam formam: & sub qualibet est totus Christus uerè ac realiter, non minus potens, nec minus nos diligens sub specie uini quàm sub specie panis, uel è contra. Operabitur ergo in altera, sicut in altera: quia nec minus utilis nobis est in alia, quàm in alia. Tertium, quia species uini post consecrationem uerè est sacramentum, secundũ propriam definitionem sacramenti, ut constat intuentibus ipsam rem, & scientibus ipsam definitionem. Ergo secundum regulam communem omnium sacramentorum nouæ legis, sicut habet distinctam significationem, debet habere distinctum effectum: quia sacramenta efficiunt quod repræsentant, aut significant. Quartum, quia si sacerdos consecrans nihil per usum calicis acciperet, superfluus & inutilis uideretur sibi ille usus: quod tamen nullo modo uidetur dicendum, neque credendum. Quintum, quia si aliquis Apostolus in triduo post domini expirationem in cruce, & ante eius resurrectionem, in pane & uino consecrasset, tunc re uera sub specie panis esset solum corpus cũ diuinitate, & sub specie uini esset solus sanguis sine corpo-

Alexand. de Ales. par. 4. quæst. 53. Nicolaus. Ioan. 6.

Fundamẽta opin. 1.

re, ſicut erat effuſus, cum diuinitate tamen, ſuo modo. Conſtat quòd tunc ſub neutra ſpecie eſſet totus Chriſtus, ſed corpus eius eſſet ſub ſpecie panis, & ſanguis eius ſeu cruor eſſet ſub ſpecie uini: conſtat etiam quòd quælibet illarum ſpecierum eſſet uerum ſacramentum, & quælibet haberet ſuum effectum ratione rei contentæ, quia non eſſet maior ratio de una, quàm de alia. Ergo ſimili modo & nunc, quando totus Chriſtus eſt ſub qualibet: quia exiſtentia totius Chriſti non debet tollere ſacramenti efficaciam, ſed ponere, uel augere, uel ſaltem non minuere. Iſta ſunt potiſsima fundamenta, quæ ſolent fieri ad partem affirmatiuam quæſtionis, ſecundum quòd illam tenent Alexander de Ales, Nicolaus Lyranus, & alij, de quibus poſtea. Partem autem negatiuam tenet Gabriel Biel ſuper canonem Miſſæ, atque Ruardus Tapper in explicatione articulorum facultatis theologicæ uniuerſitatis Louanienſis. Dicit enim Gabriel, Cum uerò in proceſſu temporis charitas refriguit & tepuit in fidelibus, potuit Eccleſia rationabiliter ſubtrahere laicis calicem ſanguinis Chriſti; maximè cùm nullum profectum per hoc auferat Eccleſia à fidelibus: quoniam uirtus & efficacia huius ſacramenti non dependet à ſpeciebus illis uiſibilibus, nec una, nec ambabus: ſed à rebus contentis ſub ſpeciebus. Quæ ita ſunt ſub qualibet ſpecie ſeorſum, ſicut ſub ambabus; nec plus ſub ambabus, quàm ſub una. Efficacia & profectus proueniens ex ſumptione ſacramenti ſub una ſpecie, tantus eſt, ſicut ex ſumptione ſub utraque. Sacerdos uerò, qui offert in perſona totius Eccleſiæ, pro ſe, & clericis, & laicis, & mãducat atq; bibit, ut ſic repræſentatio perfectæ refectionis expreſsè ſignificetur futura: pro cuius adeptione ſacrificatur in uia. Et ſi quando deficeret perſonalis deuotio in ſacerdote celebrante; nunquam tamẽ deficit deuotio ſponſæ Eccleſiæ, in cuius perſona agit officiũ. Caueri etiam poſſunt à ſacerdote celebrãte faciliter, cæteri defectus ſuprà notati. Hæc ille. Ruardus Tapper cum uidiſſet illa fundamenta alterius opinionis, quaſi iſtam opinionem Gabrielis magis probet, iuxta illam determinando dicit, His tamen non obſtãtibus, cùm idem ſit effectus cibi ſpiritualis & potus carnis & ſanguinis do-

Opinio 2. ad partem negatiuã. Gabriel lect. 84. Ruardus. art. 15. Ibid. litera S.

Ruardus ubi ſupra.

mini in sacramento (utrunque enim sustentat, reparat, auget, & delectat: nam potus hic est, ut medici loquuntur, cibalis) necessarium est, quòd eadem sit gratia, quæ sub utraque specie confertur: sicut idem est, quod esurimus & sitimus, ut diximus superius, & clarissimè testatur beatus Augustinus, Panis iste uisibilis, inquit, stomachum confirmat, uentrem confirmat. Est alius panis, qui cor confirmat, quia panis est cordis; & spirituale uinum est, quod lætificat cor hominis. Ergo sic accipe de pane, quomodo accipis de uino. Intus esuri, intus siti. Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Panis ille iustitia est, uinum illud iustitia est, ueritas est, ueritas Christus est. Ego sum, inquit, panis uiuus, qui de cœlo descendit, & ego sum uitis, uos sermenta, & panis cor hominis confirmat. Iustitiæ itaque fames & sitis est, quam sedat hoc sacramentum, confirmando & tribuendo uirtutem iustè operandi: immo eiusdem iustitiæ maiorem esuriem excitando, sicut sapientia dicit, Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Meus, inquit Saluator, cibus est, ut faciam uoluntatem eius, qui misit me. Vtraque igitur specie confertur robur iustè operandi, & accenditur uoluntas & amor iustitiæ, qui non satiatur, nisi absoluta nostra peregrinatione, cuius figura præcessit in Helia Propheta, de quo dicitur, quòd comedit & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Oreb. Et ideò si solus sanguis sumeretur, ut aliquando olim factum est per sacræ Eucharistiæ infusionem, eadem gratia conferretur, quæ nunc confertur solùm corpus suscipienti. Nec alia acquiritur gratia, quando post corpus sumptum sacerdos bibit sanguinem Domini simul cum corpore calici immisso, immo nec maior acquiritur gratia, nisi maiori sumeretur deuotione, sicut in die natiuitatis Christi, uel quando sacerdos ex causa bis celebrat, non maiorem percipit gratiam ex secunda uel tertia corporis & sanguinis communione, nec ex quotidiana uel frequenti communione. Hæc ille. Fundamenta uerò sua potissima, & fortè sola, quibus ipse probat non minus gratiæ ex operato

Augustinus circa illud, Panis cor hominis cõfirmat. Psal. 103.

Eccl. 24.

1. Reg. 19.

Fundamenta opin. 2. ad partem negatiuã.

ſuſcipere communicantem ſub altera ſpecie, quàm ſuſcipiat communicans ſub utraque ſunt, Primum, ex illa regula omnibus ſacramentis communi, & communiter à patribus tradita, quòd ſecundum præparationem & deuotionem ſuſcipientis, maiorem uel minorem operentur effectum: Nam & baptiſmus, inquit, minorem confert gratiam minus diſpoſito, ſicut nullam indiſpoſito. Secundum, ex eo quòd mirabile hoc ſacramentum Euchariſtiæ habet eſſe permanens, quia non conſiſtit in uſu ſicut alia ſacramenta, ſed in conſecratione materiæ. Tertium, ex eo quòd ſacramẽtum iſtud diuinum Euchariſtiæ, magis quàm eius perceptio & conſecratio, ſalutem operatur: unde non ſolùm agit dum ſuſcipitur, ſed etiam dum manet in eo, qui communicauit: quia non ſolùm ſacramenti ſuſceptio, ſed ſacramentum ſumptum & durans ſeu permanens operatur, agit, uel efficit ſuo modo. Ex iſtis igitur fundamentis uidetur iſte doctor catholicus probare hanc ſuam ſententiam, ac ſi dicat, Hoc ſacramentum, ſeu Chriſtus in ipſo agit toto tempore, quo eſt in homine communicato ſub ſola ſpecie panis, & toto illo tempore durat illa actio, qua nobis Saluator noſter in nobis exiſtens ſacramentaliter, ſuam præſtat gratiam: ut conſtat ex ſecundo & tertio fundamentis. Ergo non minorem gratiam ſuſcipit homo cõmunicans ſub ſola ſpecie panis, quàm ille, qui illam & ſimul ſpeciem uini ſuſcipit. Conſtat conſequentia, quia illa actio, qua Chriſtus ibi nobis ſuam gratiam communicat, durat toto tempore, quo ibi eſt ſpecies panis ſiue ſacramentum corporis: & quando aduenit calix, Chriſtus eſt in ipſa eadem actione ratione primæ communionis: & rurſus manet in illa, poſt quàm ibi deſinit eſſe ſacramentum ſanguinis: quia ut uidetur, magis durat in nobis ſpecies panis ſolidi, quàm ſpecies uini liquidi aut fluidi. Secundò probat, quia iam communicatus in ſpecie panis, & accipiens de nouo ſpeciem uini, uel habet maiorem deuotionem ac diſpoſitionem quàm antea, uel non habet? Si non, nihil accipiet cum calice ex opere operato, ut conſtat ex primo fundamento: quia ſecundum diſpoſitionem uel deuotionem ſuſcipientis, operatur ſacramentum. Si ſic, etiã

in tali casu maiorem gratiam reciperet propter sacramentum iam susceptum & ad huc in ipso manens, etiam si non reciperet calicem. Quandoquidem durante specie panis in homine communicato, durat in eo sacramentum: durante in eo sacramento, durat in eo Christus: durante in eo Christo, durat in eo actio Christi, quam gratiam præstat ex opere operato: durante autem illa actione, ipsa habet aut producit maiorem effectum, quotiens subiectum uel passum fit magis dispositum. Ita probat ille doctor Ruardus suam sententiam; & quāuis non in ista forma; nihilominus tamen in ista sententia & doctrina, ut si quis eius scripta adeat, erit facilimè manifestum. Istam sententiam uidetur tenere sanctus Thomas in suis partibus, ubi postquam probauit quòd liceat corpus Christi sumere sine sanguine, id est, sub sola specie panis: dixit tandem, Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum: quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit; & sub utraque specie totus Christus continetur, ut supra habitum est. Hæc ille. In eadem sententia est Caietanus commentator sancti Thomæ, eius interpres, & bonus assecla. Talem enim mouet quæstionem in eo loco, An utilius sit sumere Eucharistiam sub utraque specie, quàm sub specie panis tantùm? Respondendo autem, cum prius formasset nonnullas rationes, nonnullasq; confirmationes ad partem affirmatiuam: postea tamen dedit responsum ad quæstionem iuxta partem negatiuam, & id probauit ex sancto Thoma in uerbis statim allegatis. Ipse auctor ibidem uolens declarare, quid in Eucharistiæ sacramento est causa gratiæ, & quomodo causat: dicit tria per ordinem, Primum est, non est uirtus aliqua in sacramento aut diuina assistentia, sed est res contenta in Eucharistia. Secundum est, quod huiusmodi res contenta causans, non est minus res concomitanter contenta, quàm res contenta ex ui conuersionis. Tertium est, quòd res contenta in hoc sacramento causat absque aliquo sensibili instrumenro. Probat hoc tertium, tripliciter; primò quia ubi est præsens agens sufficiens per seipsum, non est opus instrumento, nec consueuit adhiberi instrumen-

S. Tho. par. 3. quæst. 80. art. 12. ibi ad tertium arg.

part. ead. quæst. art. Caietanus in eod. loco.

tum. Secundò, quia sicut se habet alimentum corporale ad corpus, ut alat corporaliter sine mediis instrumentis, sic se habet Christus, alimentum spiritale ad animam, ut alat spiritaliter sine mediis instrumentis ullis. Tertiò, quia secundum doctrinam sanctæ matris Ecclesiæ, accipimus in compræhensibilem ac ineffabilem coniunctionem Christi, & specierum sacramentaliũ sub ratione continentis & contenti ueraciter præsentis, & signi & signati, & huiusmodi: & non secundum rationem agentis & instrumenti. Ex istis infert statim, quòd in calice & hostia non sunt diuersæ uirtutes collatiuæ spiritualis gratiæ; sed una tantùm est res utrobique conferens, scilicet Christus ipse secundum seipsum, & non per uirtutes medias, nec per media instrumenta. Quibus addit etiam secundum illationem, quòd quæcunque argumenta ad probandam diuersitatem fructuum spiritualium in sumptione utriusque speciei, formãtur ex diuersitate uirtutum sacramentalium, uel sacramentalium instrumentorum, uel modorum conferendi, & aliorum huiusmodi, ex falso procedunt principio, nihilque ualent; utpote absque fundamento erecta. Declarando autem nihilominus, & non negando, quomodo hoc sacramentum sit causa gratiæ, dicit, Quo fit, ut considerando sacramentum Eucharistiæ infra latitudinem causæ (prout est collatiuum spiritualis gratiæ, nutritiuum animæ, & medicina eiusdem) nulla sit differentia inter species ipsas inter se, & similiter nulla sit differentia inter utranque simul & alteram tantùm: quoniam, ut ex dictis patet, una & eadem omnino absque omni uirtute media, absque omni sensibili instrumento medio, est utrobique, & in altera tãtùm cuiuscunque spiritualis doni causa, scilicet Christus ipse personaliter præsens secundum deitatem & humanitatem. Ex istis & aliis multis interpositis iterum ita infert, Consequens est ut nulla maior utilitas spiritualis fructus proueniat in sumente sacramentum sub utraque specie, quàm proueniat in sumente sacramentum sub altera tantùm specie. Et hoc intellige, cæteris paribus. Ita quòd, ut exemplariter dicatur, Si sunt hîc duo æqualiter dispositi ad communionem, & unus communicat sub specie panis

tantùm, alter uerò ſub utraque ſpecie; non plus prodeſt quoad gratiam & ſpiritualem fructum ſacramentum Euchariſtiæ communicanti ſub utraque ſpecie, quàm communicanti ſub pecie panis tantùm. Et ratio eſt dicta; quia non interuenit maior collatio, quanuis interueniat maior ſignificatio. Hæc ille. Infrà ad idem dicit iterum, Ad tertium dicitur, quòd cæteris paribus, non eſt utilius ſpiritualiter comedere & bibere ſacramentum, quàm comedere tantùm: quia comedere & bibere ſpiritualiter Chriſtum, ſunt unum & idem inter ſe, & non differunt à comedere & bibere ſpiritualiter Euchariſtiam, niſi ſola relatione ad ſacramentum. Conſtat enim quòd utilitas graduatur ſecundum interiorem ſpiritus fructum, & non ſecundum relationem ad ſacramentum: quoniam relatio huiuſmodi non facit melius, ſed ſolam habitudinem ad ſenſibile ſignum, in quo Chriſtus continetur, apponit. Et probat deinde, quòd comedere & bibere ſpiritualiter, idem ſint ex uerbis domini, Ioan. 6. Quid de ſacerdote communicante ſub utraque? Reſpondet idem auctor ibi ad quartum argumentum, dupliciter, ſiquidem poteſt inueniri diſpoſitus poſt ſumptum ſacramentum ſub ſpecie panis. Vel ſine augmento ſpirituali, uel cum augmento ſpirituali. Et ſi quidem inuenitur diſpoſitus cum augmento ſpirituali, ita ut dignior ſit ſuſcipiendo ſub ſecunda ſpecie, quàm fuerit ſuſcipiendo primam, recipit proculdubiò ſumendo calicē, ſpiritualem fructum ſacramenti, qui gratia maior eſt intenſiuè aut extenſiuè: & ſic diſpoſitis nullus unquam dubitauit utilius eſſe communicare ſub utraque ſpecie, quàm ſub altera tantùm. Si uerò inuenitur ſine ſpirituali augmento diſpoſitus, nihil ſpiritualis fructus ex ſumptione calicis percipit: quoniam idem eſt utroque agens, & idem patiens æqualiter utrobique diſpoſitum: & perinde, quo ad interiorem fructum ſe habet, ac ſi poſt ſumptam hoſtiam unam, aliam ſumeret: ut contingit ſumentibus reliquias ſacramenti. Vnde infructuoſitas iſta non eſt ex parte rei contentæ ſub ſpecie uini; ſed eſt ex æquali diſpoſitione communicantis, & identitate numerali rei contentæ ſub utraque ſpecie, per ipſam immediatè conferentis fructum

ſacramenti.

ſacramenti. Hæc enim ſimul concurrentia efficiunt, quòd non magis fructuoſa eſt cõmunio ſub utraque ſpecie, quàm ſub prima tantùm. Et ſi his adiunxeris, quòd populus cõmuniter non eſt tantæ perfectionis, ut ad hæc incrementa ſe præparet: uidebis conſequenter, quòd non eſt utilius populo communicare ſub utraque ſpecie, quàm communicare ſub altera tantùm. In cuius ſignum non apparent meliores homines in partibus ubi communicant ſub utraque ſpecie, hominibus alibi ſeu ibi communicantibus ſub altera tantùm ſpecie. Hæc ille. Ibi reſpondendo ad ſecundum argumentum, aſsignat differentiam inter hoc ſacramentum & alia, quoad gratiæ collationem: quoniam in aliis ſacramentis Chriſtus mediante uirtute ſacramentali confert effectum, hîc autem immediatè per ſeipſum, fructum confert ſacramenti.

Ecce conſtat quàm uariæ ſunt opiniones doctorum theologorum circa illam quæſtionem, & quæ ſunt fundamenta illarum potiſsima. Vt illa quæſtio uerè poſsit dici problema, propter auctores & rationes probabiles, quas habet ad utranque partem: & uerè dicatur theologicum, propter materiam in qua eſt. Quæ ſententia ſeu opinio iſtarum eſt magis probabilis? Alia eſt quæſtio, & de qua modò nihil agimus, neque quicquam agere intendimus. Quibuſdam enim uideri poteſt, quòd illa, quæ tenet partem affirmatiuam: quibuſdam uerò quòd illa, quæ tenet partem negatiuam. Vnum tamen hîc ſummopere animaduertendum uidetur, ne quis propter defendendam, tuendam, probandam, declarandam, aut ſuſtentandam aliquam harum opinionum, neget regulas theologicas, aliàs ab omnibus conceſſas: quia illud non eſſet opinionem ipſam ſuam probare, ſed communem theologiam deſtruere. Regula autẽ theologica communis eſt, Omnia ſacramenta nouæ legis id efficere quodam modo ſaltem inſtrumentaliter, uel tanquam cauſa ſine qua non, quod repræſentant, aut ſignificant. Nãque bene dicit Magiſter ſententiarum, & cum ipſo tota ſchola Chriſtiana ſimul, Sacramentum enim propriè dicitur, quod ita ſignum eſt gratiæ Dei, & inuiſibilis gratiæ forma, ut ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Sicut

Regula 1. ſacramentum quid ſit.

Magiſter ſent. lib. 4. diſt. 1.

August. etiam Augustinus bene dixerat in libro de corpore Christi, Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum uisibilium, diuina uirtus secretius operatur. Vnde non abs re,

S. Thomas, Durandus, lib. 4. Sacramentum secundum sanctum Thomam & Durandum, dicitur à sacrando actiuè; sicut medicamentum, à medicando: & ornamentum, ab ornando. Et sicut medicamentum est illud, quo alicui mediemur: & ornamentum est, quo aliquis ornatur: sic sacramentum est aliquid, quo aliquis sacratur. Sermo hic maximè atque præsertim est, de sacramentis nouæ legis: quæ habent longè aliam efficaciã, supra sacramenta ueteris legis: & uerus est sine dubio, à quocunque dicatur, atque ueritas eius esset, etiam si nemo

Regula. 2. Per sacramentum Deus dat gratiam. hoc diceret. Regula etiam theologica communis est, aut saltem esse debet iuxta istam primam, ut dicamus omnes, Deum Optimum Maximum dare gratiam gratum facientem omnibus suscipientibus sacramentum quodcunq; nouæ legis, & non ponentibus obicem sacramento nec effectui sacramenti: tanquam Deus Optimus hoc faciat non solùm cum sacramento, uel in sacramento, sed etiam per sacramentum. Ista regula theologica etiam communis est, & nascitur ex illa prima paulò ante posita: quia hoc est quidem, sacramenta nouæ legis esse quodam modo causam gratiæ; quia Deus non solùm cum illis aut in illis, quin etiam & per illa causat gratiam. Vnde Apostolus non solùm dixit, saluos nos fecit in uel cum lauacro regenerationis & renouationis, sed grauius dixit, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis. Est autem hoc uerbum magis graue & magis abundans, quia illa dictio aut nota, Per, ponit quandam causalitatem in suo casuali.

Hugo à S. Victore. Hugo à sancto Victore in suo tractatu de sacramentis, naturalis legis dixit nos recipere gratiam in sacramentis, rebus quidem ex natura rei, nobis inferioribus, ad nostram humilitatem, seu humiliationem. Sed uerbum illud intelligendum est, uel de solis sacramentis legis naturæ: uel secundum communem patrum intelligentiam; uel prout ipse idem auctor satis declarat alibi, agens de sacramentis.

Part. 1. Cap. 1. Idem nãque in libro de sacramentis ita definit sacramentum, Sacramentum est corporale uel materiale elementum,

foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem & spiritualem gratiam. Augustinus iuxta istam theologiam harum duarum regularum dicit super Ioannem, quòd aqua baptismalis corpus tangit, & cor abluit: atque contra Faustum inquit, Hæc omnia, scilicet sacramentalia, fiunt, & transeunt: uirtus tamen scilicet Dei, quæ per ista operatur, iugiter manet. Sanctus Thomas etiam mirabili quodam modo, sicut solet facere in rebus theologicis, probat sacramenta nouæ legis esse quidem non solùm signum uel signa, quinetiam & causa gratiæ, uidelicet instrumentaliter. Scotus insuper licèt contenderit sacramenta respectu gratiæ, potius esse causam sine qua non, quàm instrumentalem; ita tamen definiuit sacramentum, ut diceret, Sacramentum propriissimè acceptũ, est signum sensibile, gratiam uel Dei effectum gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis uiatoris. Simili modo tradunt Durandus à Sancto Portiano, Petrus Paludanus, Gabriel Biel, & omnes alij doctores theologi: qui Gabriel præcipuè nititur ostendere modo quodam speciali, iuxta Petrum Aliacensem, sacramenta nouæ legis, esse causam gratiæ. Alia regula est theologica non minus certa, nec minus obseruanda, quòd sacramenta non attingunt directè aut immediatè illam actionem, qua Deus Optimus producit gratiam gratum facientem in anima hominis suscipientis sacramentum. Nãque gratia huiusmodi non educitur, nec est educibilis de potentia materiæ, sed solùm est producibilis per creationem: ad creationẽ uerò non potest attingere directè & immediatè aliqua creatura, ut cõstat omnibus theologis, etiam minimis. Alia regula est, quòd sacramenta nouæ legis ritè suscipientibus cõferunt suo modo quandam gratiam ex opere operato, eo uidelicet quòd sunt causa gratiæ: supra illam gratiam, quam ipsi recipientes recipiunt ex opere operantis, id est, ex sua fide, spe, charitate, obedientia, pœnitentia, deuotione, aut aliis huiusmodi. Hæc prærogatiua sequitur ex aliis, quia aliàs, quomodo essent, aut quomodo uerè dicerentur causa gratiæ? Alia regula est,

Augustin. | Lib. 19. | S. Thomas. part 3. quæst. 62. artic. 1. | Scotus. | Gabriel. lib. 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. notab. 3. | Regula. 3. | Gratia gratum faciẽs non est educibilis de potẽtia materiæ, sed est creabilis. | Regula. 4. | Sacramenta nouæ legis suo modo conferũt gratiam ex opere operato.

Regula. 5. Species uini post consecrationē, est propriè sacramentum, sicut species panis post consecrationē.

quòd sanctissima Eucharistia in specie uini, siue species uini post consecrationem, ita est uerum & proprium sacramentum, sicut post consecrationem est uerum & proprium sacramentum, species panis. Neq; ista regula est ullo modo dubitabilis; quia & hoc sacramentũ habet propriam materiam, propriam formã, & proprium Dei uerbum. Quam obrē licet istæ duæ species specie differentes, integrent unũ sacramentum sanctissimũ Eucharistiæ, & sint unum sacramentum, ordine quodam, perfectione, ac repræsentatione, & continentia: quantum tamen ad seipsas attinet, non magis nec minus altera est sacramentum seorsum, quàm altera: nec maior ratio est de una, quàm de alia. Vtrobiq; enim est totus Christus, & neutra species perfectè aut expresse repræsentat totum Christum: sed species panis expresse repræsentat corpus, species autem uini expresse repræsentat sanguinem. Constat ista ueritas ex ipsis formis consecrationis, & constat ex ipsis speciebus. Alia regula est, quòd post consecrationē, tandiu est totus Christus sub specie panis aut sub specie uini, ubi hoc sanctum sacramentum est; quãdiu esset ibi substantia panis aut substantia uini, si ibi essent. Siue istæ sacræ species sint in sacrario, siue in ore sumentis, siue in gutture, siue in pectore, siue in stomacho. Alia regula est, quòd hoc diuinum sacramentum, siue Christus per illud, non solùm operatur suum effectum gratiæ, nutrimenti aut confirmationis, seu confortationis animæ, eo puncto, quo lingua tangitur uel ore sumitur, aut deglutitur: quinetiam ex toto tempore, quo istud sacramentum sumptum durat in sumente, seu in eo, qui sumpsit. Quēadmodum alimenti corporalis, aut corporalis medicinæ; quæ non solùm operatur dũ sumitur, sed & postea quãdiu ibi est applicata. Ea sunt regulæ theologicæ cõmunes & ueræ, quæ in præsentia circa hoc negocium occurrerunt considerandæ. Est & alia quædã regula naturalis, quæ & hîc obseruanda uidetur: nec simplex, sed duplex. Constanter enim dicimus, quòd actus actiuorum sunt in patiente disposito: & similiter asserimus, quòd si uirtus aliqua actiua applicatur alicui passo, & in illo inuenit tantum effectum productum, quantum ipsa aliàs habe-

Regula. 6. Quãdiu sit corpus Christi in hoc sacramento.

Regula. 7. Quandiu operetur Christus in hoc sacramento.

Regula. 8.

bat producere, nihil pro tunc in eo producit: sed tantùm id facit, quod effectum ipsum iam productum conseruat, quandiu ipsa ibi est.

Ex istis regulis, quidem non parum obseruandis, atque ex aliis, quæ occurrerint similibus, possumus aliquo modo inuestigare quæ illarum opinionum prædictarum sit magis recipienda: sed huius rei iudicium potius lectori relinquimus, quàm quòd nos hîc aliquid definiamus. Ad alia enim magis properamus, quàm ad iudicandum inter opiniones probabiles doctorum catholicorum: quia præsertim cum qualibet illarum stat firmiter fides catholica, & pax Christiana.

Conclusiones ad eundem quartum articulum reliquæ, scilicet quinta & sexta probantur, & quid de laicorum communione sub utraque specie Lutherus literis prodiderit, eiusdem uerbis demonstratur. CAP. XXVI.



QVinta conclusio eiusdem articuli quarti potest etiam probari multis uiis, quarum quælibet satis probat. Maximè autem probatur primùm ex primo articulo, & conclusione responsiua ad illum. Cum enim nullum sit diuinum præceptum de communione laicorum sub utraque specie, non potest esse dubium, quin sancta mater Ecclesia auctoritate regendi & gubernandi filios suos, quam habet à sponso suo, Christo Saluatore nostro, potuit laicis communionem sub utraque specie ex iustis, & rationabilibus causis interdicere, illisque communionem sub altera tantùm specie præstare. Nullam nãq; in hoc iniuriam eis facit, qui aliàs in eam communionem interdictam, nullum ius diuinum habent. Præsertim quia sancta Ecclesia illam communionem ita interdicens, nullum commodum temporale intendit, famæ, honoris, aut fortunæ: sed solùm intendit honorem Dei & salutem animarum sibi subditarum, per extirpationem errorum & uitationem periculorum, ut satis constat ex iam dictis. Secundò probatur, quia sancta Ecclesia communicans sub altera tantùm

Luc.24. ſpecie panis, exemplum habet Saluatoris noſtri communicantis duos diſcipulos ſuos apud Emaus, atque Eccleſiæ pri-
Act.2. mitiuæ, quæ erat Hieroſolymis tempore Apoſtolorum, ſub altera tantùm ſpecie communicans, ut de iſtis omnibus inferius latè dicetur, quando ad obiectiones aduerſariorum reſpondebitur. Manifeſtum eſt autem quòd illis diuinis exemplis poteſt ſe ſe conformare Eccleſia Dei, quæ modò eſt: præſertim cum non habeat præceptum de oppoſito faciendo, quin potius & de hóc obſeruando habeat non præ-
Act.2. ceptum, ſed exemplum, dicente ſcriptura ſancta, Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis. nulla facta mentione de uino aut de ſpecie uini, cum tamen Euangeliſta ibi narret hiſtoriam. Deinde probatur, quia ubi nullum eſt præceptum diuinum de re aliqua ſic uel ſic facienda, Eccleſia Dei per ſuos prælatos; maximè per Petri ſucceſſorem, liberam habet miniſtrationem, perfectum uſum clauium, ac plenam
Ioan.21. gubernationem, ſicut Petro dixit Dominus, Paſce oues
Matth.16. meas. & ſicut eidem aliàs dixerat, Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.

Sextam concluſionem probat ſecunda cõcluſio iſtiusmet articuli, cum ſuis probationibus iam adductis. Nanque Saluator noſter per diſtinctas actiones, diſtincta uerba, diſtinctas formas, & in diſtinctis materiis inſtituit ſanctiſsimum ſacramentum Euchariſtiæ. Quamobrem ſine dubio ibi ſunt plura inſtituta, ſaltem materialiter; ſacramentum ſpeciei panis, & ſacramentum ſpeciei uini: licèt iſta duo habeant ordinem quendam, & perficiant, ſeu integrent unum ſacramentum. Duo igitur ſunt inſtituta, ſic accipiendo inſtitutionem: Et iſto modo intelligendo, minus ſuſcipit qui ſub altera tantùm ſpecie communicat, quàm qui ſub utraque: nec totam ſumit Chriſti inſtitutionem, cum Chriſtus inſtituerit ſacramentum Euchariſtiæ non in una ſola ſpecie, ſed in duabus: & ipſe in altera tantùm communicans non ſumit illas duas, ſed præcisè unam. Igitur non tantam inſtitutionem ſumit, intelligendo inſtitutionem iſto modo. Non poteſt eſſe dubia iſta concluſio.

Septimam concluſionem huius articuli quarti, probat

etiam conclusio articuli primi. Quia enim nullum est præceptum diuinum de communione omnium & singulorum Christi fidelium sub utraque specie, ut probatum est, & demonstrabitur respondendo ad obiectiones aduersariorum: constat quòd iuxta præceptum non minus sumit qui communicat sub altera, quàm qui sub utraque. Quomodo constat? Quia præceptum non est de utraque. Nihil in isto loco abundantius desiderari potest, quo ista ueritas Christiana probetur magis, uel latius, uel manifestius. Dum enim laicus alteram speciem sumit, totum præceptum de communicando implet: quod non faceret, si præceptum de communicando sub duabus haberet.

Quomodo intellexit Lutherus illud uerbum, Institutionem. quando dixit aut docuit, non tantùm sumere hominem communicantem sub una specie sanctissimi Eucharistiæ sacramenti, quantum sub utraque, eo quòd non totam Christi institutionem sumat? An per illud uerbum, institutionem Christi. intellexit actionem Christi, qua ipsum sacramentum instituit, seu ipsum sacramentum institutum in ambabus suis partibus? An per illud uerbum, intellexit præceptum Christi de isto mirabili sacramento sumendo? Aliquibus uideri potest ex quibusdam uerbis Lutheri in De captiuitate Babylonica, quòd intellexit illud uerbum de præcepto Christi: quasi sit institutio Christi præceptiua quoad omnes fideles, ut istud sacramentum in utraque specie accipiant. Mihi autem, ut ingenuè fatear, magis uidetur ex aliis uerbis Lutheri in suis articulis, qui habentur apud Roffensem Episcopum, quòd per illud uerbum intellexit ipsam Christi actionem, qua sacramentum in utraque specie instituit; uel potius & proprius intellexit per illud uerbum, ipsum sacramentum à Christo institutum in duabus speciebus. Quasi arguat sic, quòd licèt totus Christus contineatur & sumatur sub altera specie, nos tamen fideles omnes debeamus utranque speciem sumere, quia Christus utranque instituit, quia utraque est à Christo instituta. Verba Lutheri sunt, Consultum uidetur, quòd Ecclesia in communi concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos; nec Boëmi sub utraque communi- *Artic. 16. in principio.*

cantes sunt hæretici & schismatici. Infrà, Hunc articulum reuocaui lib. de Captiuitate Babylonica, & iterum his scriptis reuoco, & dico Boëmos, & Græcos in hac parte, nec hæreticos, nec schismaticos, sed Christianos & Euangelicissimos esse, quos & his uerbis oro, & obtestor in domino, ut in ea sententia firmiter permaneant, quum pro se habeant expressum textum Euangelij, longæuum, & apud Græcos in hunc diem seruatum catholicum usum Ecclesiæ Dei. Infrà, Nec moueantur tyranni illius Romani & Antichristi uastatoriis & impiis decretis, quibus alteram partem sacramenti per uim abstulit iis, quibus Christus ipse donauit. Infrà, Consultum itaque mihi uidetur nunc, ut non modò per concilium, sed per quancunque diœcesim, quilibet Episcopus, etiam inuito Papa, Christum secutus in Euangelio, rursus utranque speciem laicis dare. Infrà, Consultum igitur uolo, ut quilibet laicus, si speciem alteram impetrare non potest, ut tyrannidis huius impeditus, corde saltem toto optet, & gemat ad Deum, quòd nostris peccatis merentibus; digni facti sumus, quibus impij aduersarij ueritatis, alteram partem sacramenti auferrent, & nós nostro sacramento spoliarent. Infrà, Nam hoc ego dico, Si quis sciens omittat desiderare saltem, alteram etiã partem sacramenti, licèt neutra necessaria sit, cùm fides sola hîc sufficiat, impium eum esse, & Christum ab eo negari. Infrà, Nec cauillis illorum moueatur, qui garriunt, sub pane omnia accipi. Christus enim sciebat sub pane omnia accipi, nihilominus tamen uinũ instituit. Infrà, Quo iure seruus, Domini sui mutat ordinationes. Hæc ille. Ecce probat Lutherus, immo non probat, sed probare nititur, quòd laicus debeat & teneatur communicare sub utraque specie, Primùm, propter uerbum Christi, Bibite ex hoc omnes. Secundò, propter factum Christi, quia ipse alios sub utraque communicauit. Tertiò, propter consuetudinem Ecclesiæ antiquam, in qua etiam laici in utraque specie communicabant. Quartò, quia Christus utranq; speciem instituit. Vnde si aduertimus, ipse probat præceptũ communionis, per institutionem sacramenti: præceptum, inquam, communionis in utraq; specie, per institutionem

sacramenti

sacramenti in utraque specie. Quasi ita deducat argumētum, Christus instituit hoc sacramentum integrum in utraque specie: ergo omnes debemus hoc sacramentum integrum sumere in utraque specie. Hic igitur uidetur fuisse sensus illius & sua intelligentia, ut satis, quantum arbitror, constat ex dictis, utque abundantius constabit inferius, quando omnes praecipuas, tum Lutheri, tum aliorum, obiectiones posuerimus, atque soluerimus: in quem locum etiam reseruamus modò, harum Lutheri obiectionum immediatè praecedentium solutiones.

Probatur astruiturque conclusio unica, ad quintum articulum. CAP. XXVII.



AD quintum articulum respōnsum est per sequentem cōclusionem, Non est necessarium ex diuino iure aliquo, paruulis antequàm ad annos discretionis peruenerint, augustissimum hoc porrigere Eucharistiae sacramentum.

Conclusio hac unica responsiua ad quintum articulum, & si ex seipsa satis manifesta sit, potest nihilominus ex multis probari euidenter, quantum praesens materia patitur euidentiam. Ostenditur autem primùm, ex nobilitate, natura, atque efficacia sacramenti baptismatis, quam habet ex Christi institutione; quia est sacramentum regenerationis & renouationis, incorporationis Christi, & liberationis à peccato. Ita enim declarauit Saluator noster Ioan. 3.
apud Ioannem: & ita declarant Apostoli eius, Petrus & Ad Tit. 3.
Paulus, Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Consepulti enim sumus cum Christo in morte, per baptismum. An ignoratis fratres, quia qui- Rom. 6.
cunque baptizati sumus in Christo IESU, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus: hoc scientes, quia

uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non seruiamus peccato. Nobilitas igitur & efficacia sacramenti baptismatis, quia sufficienter Christo incorporat, à peccato liberat, & ad regnum introducit: probat manifestè non esse necessarium sacramentum Eucharistiæ paruulis baptizatis, ante annos discretionis. Aliàs, non sufficeret illis baptismus, nec illos sufficienter Christo incorporaret, nec illos sufficienter à peccato liberaret, nec illos sufficienter ad regnum introduceret: & per consequens, nec lauacrum regenerationis & renouationis esset. Absit autem talis sacramenti baptismatis iniuria. Secundò, probatur eadem ueritas ex natura huius sanctissimi sacramenti Eucharistiæ, quam habet ex Christi institutione. Diuinorum enim sacramentorum nouæ legis necessitatem theologi nostri distinguũt per naturas ipsorum sacramentorum, secundum institutiones eorum. Nanque & si commune sit omnibus huiusmodi sacramentis, quòd gratiam quodammodo conferant, cuius quodãmodo sunt causa, ut dictum est: quædam tamen eorum sunt immediatè atque directè instituta contra peccatum, ut sacramentum baptismi, & sacramentum pœnitentiæ: quædam autem eorum sunt immediatè atque directè instituta in augmentum gratiæ, uel etiam ad alios particulares effectus, ut sacramentum Eucharistiæ, & alia. Sacramenta primi generis, dicunt theologi nostri absolutè necessaria ad salutem, ut nullus saluetur aut iustificetur, nisi illa recipiat in re, uel in uoto: secundum quod omnis Adæ filius tenetur ad sacramentum baptismi, & omnis, qui post baptismum moraliter deliquit, tenetur ad sacramentum pœnitentiæ. Sacramenta uerò secundi generis dicũt theologi nostri necessaria sic ad salutem, ut non contemnantur: nec eis maiorem necessitatem tribuunt ex eorum institutione, nisi forte aliàs de illis suscipiendis sit præceptum aliquod. Cum igitur sacramentum Eucharistiæ non sit immediatè institutum contra peccatum, nec paruuli sint capaces alicuius præcepti de illo recipiendo: uidetur quòd non teneantur illud recipere, præsertim cum nec possint illud cõtemnere. S. Tho. bene notat differentiam inter baptismum & Eu-

Durandus à S. Portiano. lib. 4. dist. 9. quæst. 2. & dist. 7. quæst.

charistiam, quantum ad necessitatem salutis part.3. q.73. art.3. Qui licet prius dixerit, Eucharistiæ sumptionem non esse de necessitate salutis secundum se, sed ex statuto Ecclesiæ, lib.4. distinc.9. postea tamen dixit; quòd homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini. part.3. q.80. artic.11. Tertiò probatur ex incapacitate ipsorum paruulorum erga istud sacramentum suscipiendum. Etenim hoc sacramentum non potest ministrari paruulis, ipsis se habentibus merè passiuè; quomodo ministratur illis baptismus, ipsis tantùm suscipientibus, & prorsus nihil facientibus. Sed ministratur paruulis, ipsis aliquid agentibus; uidelicet sumẽtibus, uorantibus, deglutientibus, manducantibus, uel bibentibus. Aliqua igitur actio eorum requiritur, in sumptione huius sacramenti: sicut requiritur in adultis, ut constat. Ergo si necessarium est sibi hoc sacramentum, præcepta est sibi aliqua actio, quæ non potest in illis suppleri per alium, & sine qua ipsi nullo modo possunt hoc sacramentum recipere. Quid igitur? Profectò cum nulla actio sit illis præcepta pro eo tempore, quia pro illo tempore non sunt capaces alicuius præcepti de aliqua actione facienda, uel non facienda: fit consequens, ut nec ad sacramenti sumptionem teneantur. Ex ista inuictissima ratione fit euidenter satis manifestum, quòd & si illud uerbum Domini apud Ioannem, Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, &c. Comprehendat etiam paruulos, & intelligatur de sacramento Eucharistiæ: pueri ipsi sunt tamen liberi ab obligatione sumendi realiter, quousque ad annos discretionis perueniant. Et dicuntur interim suscipere illud sacramentum in uoto, seu intentione Ecclesiæ, uel saltẽ in habitu perfectissimo charitatis: ut bene notauit S. Thomas, in suis partibus. Ad idem potest facere, fortassis iuxta præcedentia: quia cùm istud sacramentum non sit necessarium paruulis ad salutem secundum suum effectum, cùm iam paruuli sint iusti per baptismum, corpori Christi mystico incorporati, filij Dei adoptiui, & hæredes regni: non uidetur quomodo potest illis esse necessarium alio modo, nisi fortè secundum ali-

Ioan.6.

S. Tho. par. 3. quæst 73. art. 3.

quod præceptum. Præceptum autem tale, quoad paruulos, ubi est? Rursus si alicubi fuerit, illud utique affirmatiuum erit. Habebit ergo locum & tempus determinatum: quia licèt præcepta affirmatiua obligent semper, non tamen obligant ad semper, uel pro semper. Rationabiliter ergo in paruulis illud præceptum affirmatiuum expectasset tempus discretionis illorum, & illos ante illud non obligasset. Confirmatur specialiter ex illis, quæ hoc sacramentum habet sibi peculiaria. Est spiritalis animæ medicina, estque animæ spiritalis cibus, secundum id, quod continet. Ego

Ioan. 6. sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita. Videmus autem quòd pueri seu paruuli baptizati, cum iam iusti sint & sani, cumque prorsus nihil perdiderint de recepta gratia, nec quoad intensionem, nec quoad feruorem: prorsus non indigent medicina, nec cibo tali. Optimè S. Thomas æquauit inter sese, perpetuos amentes, perpetuos furiosos, ac paruulos baptizatos, quantum ad obligationem seu debitum recipiendi hoc sacramentum: omnesque illos solutos esse uoluit ab hoc debito, propter easdem, uel similes rationes. Optimè iudicans, idem esse aut debere fore iudicium de paruulis, propter eorum ætatem & ætatis incapacitatem: quod de adultis amentibus, propter eorum infirmitatem. Non potest recipi hoc sacramentum sine actione aliqua suscipientis, ut cõstat & de se, & ex dictis: ob quod si Deus à paruulis requirit istius sacramenti susceptionem, requirit consequenter ab illis aliquam actionem. Quam rogo? Certè non merè naturalem. nusquam enim reperitur nec est, quòd Deus requirat à nobis sub præcepto actionem aliquam merè naturalem: sed bene quidẽ actiones morales à nobis requirit, uel etiam naturales prout subsunt aut subiacent iudicio rationis ac imperio uoluntatis, id est, uel morales, uel naturales in eo quòd natæ sunt quodammodo esse morales. Ita semper intellexerunt legẽ Dei, quotquot fuerunt ante nos, uel modò sunt doctores Christiani, catholici, & sancti. Vt lex Dei de agendis aut uitãdis præceptiua, intelligatur dari homini, ut homo est: uidelicet ut capax est ad intelligendum & recipiendum le-

part. 3. quæst. 80. art. 9.

gem diuinam, æternam, uel ab æterna deriuatam, ac secundum illam actiones potest exercere: & secundum quòd non solùm naturaliter, sed etiam moraliter excedit bruta animantia. Paruuli autem nec tales sunt, nec talem actionem moralem habere possunt: nec adhuc bonum honestum, aut malum turpe cognoscunt: sed bonum uel malum secundum sensum, delectabile uel tristabile. Pulchrè diuus Ambrosius in De uocatione gentium, distinguit uoluntatem in homine, secundum tres status: ut illa primùm quidem sit naturalis, secundò animalis, tertiò spiritalis. Naturalis quidem est in paruulis, & quæ magis in ipsis dicitur appetitus quidam, aut concupiscentia, quàm uoluntas. Igitur nullum præceptum habent paruuli de aliqua actione exercenda; simul etiam per idem nec de isto altissimo & augustissimo sacramento suscipiendo. Quid multis rationibus uel auctoritatibus opus est? ueniamus ad exempla. Non legimus in sacra scriptura hoc sacramentum dari unquam paruulis, cum tamen legamus frequenter illud præstari adultis. Ita Saluator noster in cœua non paruulos, sed adultos Apostolos communicauit; & apud Emaus non paruulos, sed adultos discipulos: Ita primitiua Ecclesia Hierosolymitana non paruulos, sed adultos communicabat, qui erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus: in quibus nec esse, nec perseuerare poterant paruuli. Sic etiam primitiua Ecclesia Corinthiorum non communicabat nisi eos, quibus dicebat Apost. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. & constat, quòd paruuli non possunt probare seipsos. Dixerit aliquis, Paruuli non indigent nec indigebant probatione. Respondemus, Verum est, sed ita quoque non indigent communione ista sanctissima, de qua loquimur. Secundò, siue indigerent, siue non indigerent, si paruuli eo tempore apud illas Ecclesias communicarent, aliquod esset uerbum, quo ipsa res significaretur: non est autem tale uerbum in scriptura. Deinde, quia sicut Apost. docuit adultos de modo, quo deberent communicare propter periculum conscientiæ eorum; similiter doceret de pueruli


[Margin: Ambrosius. lib. 1. c. 1. uel 2. — Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Lucæ 24. — Act. 2. — 1. Cor. 11.]

propter periculum irreuerentiæ sacramenti: paruuli nanq; sicut non uoluntariè seu liberè accipiunt, ita non uoluntariè seu liberè, sed naturaliter euomunt.

Paruuli adhuc non regunt seipsos, sed reguntur: nec seipsos ducunt, sed ducuntur: Igitur incapaces sunt, qui ad actum istum altissimum manducationis corporis Christi obligentur.

Opponitur ex quibusdam Doctoribus sanctis, ex eisdemque auctoribus solutio affertur. CAP. XXVIII.

Dionysius. cap. 7. part. 3.



Iuus Dionysius in de Ecclesiastica Hierarchia significat expressè, quòd pueri quoq;, qui nec dum poterant intelligere diuina, sacri baptismatis, altissimorumque communionis sacrosanctæ signorum participes fiebant. Hinc fortassis moti Græci, eò adducti sunt, ut paruulos suos sanctissimo Eucharistiæ sacramento communicarent: sed Dionysium perperam intelligentes, qui non de communione Eucharistiæ, sed de communione baptismi & sacrorum illorum signorum illius, loquebatur. Sed bene notauit sanctus Thomas illorum Græcorum errorem uenire ex falsa intelligẽtia uerborum Dionysij. Nos etiam securius atque constantius cum sancto Thoma sentiemus, si uerba Dionysij in alio capite eiusdem libri perpendamus. Fatetur enim idem auctor insignis, & Christi gloriosus Martyr, quòd hoc uocabulum, communio, siue societas, & synaxis, siue collectio, quod aliis quoque uenerandis, diuinisque mysteriis commune est, præ cæteris præcipuè ac peculiariter applicetur huic sacramento Eucharistiæ, ut singulariter communio, siue societas & synaxis, siue collectio dicatur. Vnde apud illum, illud uocabulum, Communio, erat etiam commune aliis uenerandis, diuinisque mysteriis, in quibus communicabat populus Dei: ut baptismo, & cæteris. Malè igitur Græci ex uerbis Dionysij perperã intellectis, occasionem sui erroris acceperunt, ut paruulos baptizatos communicarent, iam sanos, iamque iustos, sed tantæ rei accipiendæ in ca-

S. Tho. par. 3. quæst. 80. art. 9. ad 1. arg.

In eod. lib. De Ecclesi. Hierarchia cap. 3. par. 1.

paces. Malè illi errauerunt, sed bene illos de eo errore sanctus Thomas notauit, qui bene atque plenè Dionysium legit, ipsumque lectum satis bene intellexit. Et quidem secundum intellectum sancti Thomæ intelligendus est Dionysius, quicquid de Dionysio alij dicant: extant uerba Dionysij, eiusque declaratio super uocabulo, Communio. in Augustinus in de peccatorum meritis & remissione, contra Pelagianos, sicut & alibi, fatetur quòd ea Domini sententia, Nisi manducaueritis carnem fili hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, etiam ad paruulos pertinet, ut ibidem contra eosdem Pelagianos declarat, & probat. Ex illa determinatione Augustini quidam putauerunt, quòd Augustinus de sacramento Eucharistiæ paruulos baptizatos sacramentaliter communicauit, uel saltem communicandos iudicauit. Verùm neq; Augustinus tale quid fecit, nec dixit, nec iudicauit: sed eam sententiam eamque rem in ea requisitam, completam esse in paruulis testatus est, qui iam per baptismum fideles facti sunt atque iusti, & Christi corpori mystico salubriter incorporati: ut regnum cœlorum habeant, & uitam æternam. Tanquam in eo loco, prout illud uerbum Domini, ad paruulos pertinet, per manducare carnem Christi & bibere eius sanguinem, intelligat Augustinus, incorporari Christi corpori mystico: sicut & aliàs frequenter intelligit, ut constabit abundantius ex dicendis ad primam obiectionem aduersariorum. Duo intendebat Augustinus contra Pelagianos agens, in multis locis: primum, quòd baptismus erat paruulis necessarius ad salutem, siue ad ingressum regni cœlorum: secundum, quòd baptismus erat ipsis paruulis sufficiens. Ad primum dictum, illud Domini uerbum afferebat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest uidere regnum Dei, non potest introire in regnum Dei. Ad secundum autem dictum dicebat Augustinus de paruulis baptizatis, quòd originalis in eis ægritudo sanatur in eius gratia, qui saluos facit per lauacrum regenerationis. Et quia Saluator noster non uenit uocare iustos, sed peccatores, fatetur Augustinus, quòd paruuli rectè fideles uocantur, quoniam fidem per uerba gestantium

August. *Ioan. 6.* *lib. 1. cap. 20. tom. 7.* *Ioan. 3.* *ubi supra. cap. 19.*

quodam modo profitentur: & quòd prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem uerba gestantium, diabolo & huic sæculo renuntiare monstrantur. Et addit statim, Totum hoc in spe fit, ui sacramenti & diuinæ gratiæ, quam
ubi supra. cap. 20. Dominus donauit Ecclesiæ. Infrà pro eadem sufficientia baptismi, de paruulo baptizato ait, Veruntamen si percepto baptismate, de hac uita emigrauerit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine ueritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, instificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola se-
Isaie 59. parant inter homines & Deum: quæ soluuntur Christi gratia, per quem mediatorem reconciliamur cum iustificat impium. Hæc ille. Pelagiani uicti illo uerbo domini, Nisi
Ioan. 3. quis natus fuerit denuò, non uidebit regnum Dei. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. quidem paruulos non baptizatos, à regno cœlorum faciebant alienos: & in hoc benedicebant, atque cum Augustino, Et tota Ecclesia Christiana docebant conformiter. Errabant nihilominus aliũde, eo uidelicet quòd conabantur paruulis non baptizatis innocentiæ merito, salutem ac uitam æternam tribuere. Contra istum nouum & inauditum Pelagianorum errorem egit Augustinus multis mediis. Primùm, quia noua quadam & mirabili præsumptione illi ita dicerent, quasi salus ac æterna uita possit esse præter Christi hæreditatem, præter regnum cœlorum. Secundò ita manifestè ostendit baptismi necessitatem pro uita æterna obtinenda, quia de sacramento mensæ suæ, dixit dominus communi sententia etiam paruulos comprahendente, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis uitam in uobis. Nãque ita subsumit Augustinus, Sed ad hoc sacramentum nemo ritè nisi baptizatus accedit; Ergo non solùm ad regnum cœlorum obtinendum, sed etiam ad uitam æternam consequendam, necessarius est paruulis baptismus. Agebat ibi Augustinus contra Pelagianos, & nihil aliud intendebat nisi probare contra illos baptismi necessitatem quoad paruulos, pro regno cœlorum habendo, & uita æterna obtinenda: quod & fecit ualidissimè, ut constat omnibus.

De

De ſufficientia autem baptiſmi quoad ipſos paruulos pro ipſis bonis æternis adipiſcendis, non ſic tunc ſermo erat: ſed nihilominus ut nullus unquam ex iſtis uerbis ſuis poſſet ſcrupulus remanere, Auguſtinus & in eo loco, in eodem libro, in eodem capite, & alibi frequenter declarauit, & probauit baptiſmi ſufficientiam quoad paruulos huiuſmodi. Fatetur Auguſtinus quòd illa Domini ſententia, Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. etiam pertinet ad paruulos: ſed pariter fatetur quòd in paruulis baptizatis impletur, & quod ipſi carnem Chriſti manducant atque ſanguinem eius bibunt in baptiſmo, dum corpori Chriſti myſtico incorporantur. Sicuti ipſe in quadam homilia dicit *Homil.* manifeſtè, Hoc eſt enim manducare illam eſcam & illum bibere potum, in Chriſto manere; & Chriſtum manentem in ſe habere. Ita etiam intelligit Auguſtinus illum locum; ſcribens ad Boniſacium. & ita ſanctus Thomas ſequitur *S. Tho.* Auguſtinum, in ſuis partibus. De ſufficientia baptiſmi ge *par. 3. quæſt. 80.* neraliter quoad omnes, ait Auguſtinus contra duas epiſto- *art. 9.* las Pelagianorum, ad Bonifacium, Dicimus enim baptiſ- *Auguſtinus* ma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre cri *lib. 1.* mina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in *cap. 13. tom. 7.* mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum reſecanda peccata. De ſufficientia autem baptiſmi ſpecialiter quoad paruulos, loquitur Auguſtinus ubi ſuprà in de peccatorum meritis & remiſsione, *cap. 20.* ubi fatetur, quòd ſi percepto baptiſmate, de hac uita emigrauerint, ſoluto reatu, cui originaliter erant obnoxij, perficientur in illo lumine ueritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, iuſtificatos præſentia creatoris illuminat. Et addit quòd iam ſunt de numero & parte fide- *Ibid.* lium, de quibus dicitur, Qui credit in Filium, habet ui- *lib. 3. cap.* tam æternam. Idem docet in de Libero arbitrio, atque in *De conſecr.* de Baptiſmo paruulorum. Idem docet inſuper idem au- *diſt. 4.* ctor in epiſtola ad Bonifacium. Fermè infinita poſſunt eſſe *Canone 6. & 7.* ad hoc Auguſtini teſtimonia, ſed hæc, ut arbitror, ſuffi- *Eſt epiſt. 23* ciunt, non pauca, neque obſcura. Infrà latius ex Auguſti- *De conſecr. diſt. 4.* no. Satis manifeſtè dicit Auguſtinus Bonifacio, contra Pe- *Can. 31.*

part 3. quæst. 73. art. 3. & q. 80. art. 9. lagianos, Nec illud cogitetis, paruulos uitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi. Sequitur sanctus Thomas.

Pelagius, ut de illo fertur, paruulis statim post baptismum, corpus & sanguinem sub utraque specie ministrauit: quòd si speciem panis deglutire non poterant, dixit ipsam cum speciebus uini esse permiscendam, ut ita funderetur in ora puerorum. Et si fortasis quispiam eiecisset, dicebat id esse comburendum; innitens illi in Exodo, Si quid residuum fuerit, comburetis. Ita refert de illo Gabriel Biel super Canonem. Sed de Pelagio non curamus, quia manifestus fuit hæreticus, etiam olim in multis damnatus. Sic etiam, ut refert Beda in quadam homilia super Matthæū, quidam in administratione huius sanctissimi sacramenti errauerunt, ut illud sub utraque specie defunctis ministrarent. Quid aliud potuerunt facere? Errauerunt grauissimè, non sunt audiendi. Nec opus est, ut in confutationē talium errorū, sic ineptorum, tēpus perdamus preciosum.

Gabriel lect. 84. Litera Q.

De efficacia huius diuini sacramenti, etiam quoad paruulos, si eis applicetur. CAP. XXIX.



ADdimus, gratia ueritatis indagandæ, quòd si paruulis hoc sacramentum porrigatur, in illis suum habebit effectum augendi gratiam. Id non asserendo, sed proponendo potius diximus. Potest autem ostendi quoquo modo, Primùm, ex efficacia, uirtute, aut causalitate instrumentali, quam habent sacramenta nouæ legis. Circa gratiam ex opere operato: quia ipsa magis ostenditur in paruulis, in quibus nullum potest esse meritum circa gratiam, ex opere operantis. Debemus igitur illam efficaciam siue causalitatem saluare in sacramentis, quantum posibile fuerit, propter saluandam eorum dignitatem, & Christi institutionem, atq; potestatem, excellentiamque. Secundò, quia paruulus nō baptizatus sed baptizandus, non uidetur magis dispositus ad effectum baptismi, qui est gratia prima, cùm ipse paruulus sit in pec-

cato, iniustus, impius, ac filius perditionis: quàm paruulus baptizatus non communicatus, sed communicandus ad effectum sacramenti Eucharistiæ, qui est augmentum gratiæ, cùm iste paruulus sit iam iustus, sanctus, ac filius regni. Ergo, sicut ille paruulus, si baptizetur, recipit gratiam primam; sic iste paruulus, si communicetur, recipit augmentum gratiæ. Confirmatur, quia non uidetur magis potens sacramentum baptismi ad conferendum primam gratiam, quàm sit sacramentum Eucharistiæ ad conferendum gratiæ augmentum. Probatur ista confirmatio, ex maiori dignitate huius sacramenti Eucharistiæ: de quo nõ potest dubitari, quin sit sacramentum magis dignum, cum contineat uerè ac realiter totum Saluatorem nostrum, omnium sacramentorum institutorem, uerum Deum, & uerum hominem, habentem utranque potestatem conferendi gratiam; & auctoritatis, secundum naturam suam diuinam; & excellentiæ, secũdum naturam suam humanam. Tertiò, ostenditur idem ex aliis sacramentis non magis dignis, nec magis necessariis: uerbi gratia, ex sacramento confirmationis. Etenim hoc sacramentum confirmationis nec in se est magis dignum, nec paruulis est magis necessarium, quàm sacramentum Eucharistiæ, ut est notissimum: ministratur tamen paruulis, & non inutiliter, sed utiliter. Igitur eodem modo, nisi fortè secundum maiorem rationem, dicendum est, quòd sacramentum Eucharistiæ, si paruulis baptizatis ministretur, illis prodest. De hoc tamen modò non est opus abundantius disputare, aut quouis modo alio agere. Sufficiunt hæc pauca. præsertim, quia hoc non dicimus, ut quidquam noui asseramus: sed tantùm ut ualorem, uirtutem, atque efficaciam huius diuini sacramenti ostendamus, atque commendemus, etiam in hac re, quemadmodum & in aliis.



Respondetur dicto diui Dionysii, solis uerbis S. Thomæ. C. XXX.



D propositum redeamus, Putant quidã Dionysium Areopagitam communicasse paruulos, non inficias imus, sed ea de re sanctum Thomam proponimus audiendum, qui ubi mouet quæstionem, Vtrùm non habentes usum rationis, debeant suscipere hoc sacramentum? dicit ad propositum, de paruulis, Dicendum, quòd eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt usum rationis, unde talibus non sunt sacra mysteria danda. Quamuis quidam Græci contrarium faciant, propter hoc quòd Dionysius 2. Cœlest. Hierar. dicit, baptizatis esse sacram communionem dandam: non intelligentes quòd Dionysius ibi loquitur de baptismo adultorum. Nec tamen per hoc aliquod detrimentum uitæ patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, quia sicut Augustinus scribit Bonifacio, Tunc unusquisque fidelium, corporis & sanguinis Domini particeps fit, scilicet spiritualiter, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur. Sed quando iam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut posſint deuotionem concipere huius sacramenti, tunc poteſt eis hoc sacramentum conferri. Hæc ille.

S. Tho. part. 3. quæst. 80. art. 9. ad 3. arg.

Ostenditur sententia Augustini in dictis suis manifestis ad Bonifacium, & agitur de sufficientia sacramenti baptismi, & ex illa demonstratur non necesſitas huius diuini sacramenti quo ad paruulos. CAP. XXXI.

August. ad Bonifacium.




Vgustinus etiam significans expreſsè non esse paruulis necessariam ad salutem realẽ sumptionem huius diuini sacramenti, scribens Bonifacio contra Pelagianos, ait, Nec illud cogitetis, paruulos uitam habere non posse,

qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi. Idem Augustinus dicit in epistola ad Bonifacium, Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquenque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequàm panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo, in unitate corporis Christi constitutus, abscedat. Sic Augustinus, semper & ubique docuit, realem sumptionem huius diuini sacramenti Eucharistiæ non esse de necessitate salutis quoad paruulos baptizatos. Docuit, inquam, etiam in uerbis disertissimis, ut constat ex præcedentibus. Vnde si Augustinus aliquando communicauit paruulos, aut si hoc suo tempore fiebat ab aliis: hoc tamen certum est, Augustinum eius sententiæ fuisse, qua crederet, & ex qua doceret, Hoc sacramentum in re susceptum, non esse necessarium ad salutem paruulis baptizatis.

Idem Aug.

S. Tho. par. 3. quæst. 73. art. 3. ad 1. arg.

Referuntur, & soluuntur fundamenta patrum, qui ex aduerso arbitrantur non expedire Ecclesiæ Dei, ut communio sub utraque specie prædictis hominibus concedatur. CAP. XXXII.



Atis, ut arbitror, hactenus & explicauimus & monstrauimus sententiam nostram, quã etiam multi patres huius sacri concilij, & sanctissimi & doctissimi habent; tum ex illis, qui ante nos, tum ex illis, qui post nos suas protulerunt sententias. Quia uerò non secus sunt multi patres, qui ex aduerso arbitrantur non expedire Ecclesiæ Dei, ut communio sub utraque specie concedatur prædictis hominibus, & pro hac assertione nonnullas afferunt ratiocinationes, tanquam fundamenta quædam suæ sententiæ, quibus oportet nos satisfacere, ut plenius abundantiusq; hac de re agamus: placet & hîc eorum argumenta præcipua, quibus ipsi nostram sententiam labefactare, suam autem statuere conantur, referre, mox uerò soluere.

Fundamentum primum aliorum patrum.

PRIMVM igitur eorum fundamentum est, quia non expedit ut sancta Ecclesia communionem sub utraque specie cōcedat hominibus hæreticis: qui prorsus indispositi sunt, ad diuina sacramenta dignè percipienda.

Fundam. 2. aliorum.

Secundum fundamentum eorum est, quia sancta mater Ecclesia non consueuit sic morem gerere hæreticis, ut eis concederet, quod uolebant: sed potius è contra id solita est seruare, ut in oppositum ueniret, determinaret, declararet, præciperet, obseruaret.

Fundam. 3. aliorum.

Tertium fundamentum eorum est, quia ipsi homines pro quibus hoc petitur, non comparent in hoc sacro concilio per se, nec suos procuratores mittunt, qui hoc petant suo nomine, & pro eis spondeant conditiones seruatum iri. Sic enim factum fuit in concilio Basileensi.

Fundam. 4. aliorum.

Quartum fundamentum eorum est, quia Germani, Boëmi, Vngari, aut alij etiam, qui hoc petunt, uidentur procedere, tum ex hæresi, credentes se teneri ad communionem utriusque speciei: tum ex inobedientia, quia si essent obedientes sanctæ matri Ecclesiæ, suas ordinationes obseruarent, ipsisque contenti essent.

Fundam. 5. aliorum.

Quintum fundamentum eorum est, quia hoc pareret scandalum in Ecclesia Dei, si hæc communio concederetur illis hominibus, qui se ab obedientia sanctæ matris Eccle-

siæ subtraxerunt, ea non concessa aliis Christianis, qui nunquam ab huiusmodi obedientia declinauerunt. Vnde quo hoc scandalum uitetur, hæc communio illis neutiquam cōcedenda uidetur.

Fundam. 6. aliorum.

Sextum fundamentum eorum est, quia Gabriel Biel super canonem Missæ, ita inquit, Asignant autem doctores, Alexander de Ales, par. 4. q. 53. S. Thomas, Bonauentura, & post eos Cancel. Parisien. Gerson in tract. suo, quem de hac materia in concilio Cōstantiensi scripsit, Causas quàm plurimas, cur sancta Ecclesia catholica hunc ritum introduxit, & laudabiliter continuat, & continuabit, &c. Ergo uidetur quòd non expediat, ut sancta mater Ecclesia hanc communionem sub utraque specie concedat, ne cogatur, aut uideatur, relinquere laudabilem modum cōmunicandi sub altera specie tantùm.

Fundam. 7. aliorum.

Septimum fundamentum eorum est, quia si hoc concedatur illis hominibus, ipsi statim petent alia sibi concedi. Ideo autem uidetur hoc ipsis negandum, ne ueniant ad alias petitiones, & suis importunis petitionibus sanctæ Ecclesiæ molesti sint. Iam enim nunc uidentur petere coniugium clericorum.

Hæc sunt uel omnia, uel potisimma fundamenta eorum sanctisimorum, doctisimorumq; patrum, qui dicunt non expedire hanc communionem concedi illis, pro quibus petitur. Quibus hìc addere possumus, quasi in octauo loco, omnia fundamenta relata à doctoribus, per quæ sancta mater Ecclesia adducta eò fuit, ut modum communicandi in altera tantùm specie probaret, & obseruaret. Quasi sic dicamus,

Fundam. 8. aliorum.

Octauum fundamentum eorum est, ex omnibus ratio-

nibus, & causis suprà memoratis, quibus sancta mater Ecclesia iustè adducta fuit, ut obseruaret modum communicandi in altera tantùm specie, quoad laicos, uel etiam clericos non communicantes. Videlicet, propter damnandas & procul abiiciendas hæreses, propter periculum effusionis, & propter alia iam dicta.

Nos autem, quibus hæc sententia non placet, eorum fundamenta non admittimus: non solùm quia non probant, quin etiam, quia in proposito pro quo adducuntur, nullo modo quadrant, ut pote quia nihil probabilitatis adferãt. Vnde quidem iam cogimur eis respondere singillatim, ne aliqua res, quæ piorum mentibus negocium facessere possit, relinquatur. prouinciam autem hanc & libenter & ordine suscipiemus.

Responsio ad argum. primum.

Ad primum igitur fundamentum aliorum patrum ita respondemus. Frequenter audiui hoc ipsum formari argumentum à quibusdam in proposito. Ingenuè autem fateor, quoties ita deduci audiui, toties admiratus sum: ut pote quòd & mihi notum erat, & omnibus, qui aduertunt, seu aduertebant, nec expedire nec licere communionem sub utraque specie concedi hæreticis, nec hoc ab aliquo uel aliquibus postulari. Quis enim sic demens esset, ut hoc peteret, aut, ut hoc petitum diceret expedire? Indigni nãque sunt hæretici, quibus communio sub altera tantùm specie præstetur, nedum sub utraque. Argumentum ergo hoc primum, nihil facit ad propositum: ideoque omittitur, tanquam impertinentissimum. Satis constat ex capite præcedenti, quòd non agimus de hæreticis, sed de catholicis, qui catholici sunt, uel catholici fient in illis partibus. Ex quo autem aliquis de hæretico fit catholicus, iam mox catholicus est, non hæreticus. Quemadmodum, dum quis ex impio fit iustus, iam mox est iustus, & non est impius. Innouatio enim quædam semper est in huiusmodi transitu, & similibus; quæ semper est mutatio à uetustate in nouitatem. Vt fiat quodam modo nouus homo, idem, qui fuit

uetus,

uetus, non mutando naturam, ſed relinquendo uetera, & acquirendo noua. Quæ noua? Qui ex hæretico fit catholicus, ſaltem acquirit fidem. Qui autem ex impio fit iuſtus, acquirit gratiam gratum facientem, & alia, quæ comitantur. Ergo nihil ualet hoc fundamentum primum aliorum patrum: quia non eſt ſermo de hac ſacra communione utriuſque ſpeciei concedenda hæreticis.

Reſponſio ad argum. 2. aliorum.

Ad ſecundum dicimus multipliciter, quemadmodum multa ſunt ea, de quibus agimus.

Primùm enim reſpondemus, nos hîc primùm & principaliter agere de hominibus catholicis, ut in unitate ueræ fidei noſtræ & in uinculo pacis conſeruentur; hoc ſpeciali gratia huius communionis ſibi conceſſa, & hac, quam ex aliqua parte fortè optabunt, magis conſolati, & ſubleuati. Sicut diuus Cyprianus hominibus ſui temporis, etiam calicem Domini concedebat laicis, ut eos quodam ſpeciali modo animaret ad martyrium pro Chriſto ſuſtinendum. Sic autem procedendo quoad catholicos in Chriſtiano officio continendos, nemo non uidet quàm nihil ualeat argumentum, quantum ſit non ſolidum, nec ad propoſitum. *De quibus agamus primùm. De catholicis conſeruandis.*

Secundò dicimus, quòd nos etiam quaſi ſecundariò agimus de reductione eorum, qui à nobis, à uera fide catholica, & à pace Chriſtiana defecerunt, eoſque reducere in caulam Domini intendimus & conamur: quod ut fiat, uel ſaltem aliquando aliqua bona ſpes de eo nobis præſtetur, hanc ſacram communionem catholicis hominibus concedendam iudicamus. *De quibus agamus ſecundariò. De aduerſariis reducendis.*

Obiiciũt nobis alij patres, dicentes, Quia ſancta mater Eccleſia non conſueuit ſic morem gerere hæreticis, ut eis concederet, quod uolebant: ſed potius èc ontra id ſolita eſt ſeruare, ut in oppoſitum ueniret, determinaret, declararet, præciperet, obſeruaret.

Reſpondemus, Sancta Mater Eccleſia quidem nunquam conſueuit ſic morem gerere hæreticis, ut eis concederet, quod uolebant, &c. utique in caſu hæreſis. Quin potius

in casu hæresis semper determinauit, docuitque oppositum: ut etiam uidemus sanctam matrem Ecclesiam fecisse in concilio Constantiensi aduersus hæresim, quæ dicebat teneri omnes Christi fideles præcepto Dei ad communionem in utraque specie.

Quo ad mores uerò, non minus certum est, sanctam matrem Ecclesiam semper in corde habuisse, idque opere semper præstasse, habere rationem multitudinis. Vt cum multitudine nunquam frangeret unitatem Spiritus in uinculo pacis, super his rebus prohibendis, cum quibus poterat stare unitas ueræ fidei Christianæ. Aliud nãque semper iudicauit fore habendum iudicium de particularibus hominibus; aliud de tota multitudine. Hinc est, quòd tam multa sunt abrogata præcepta, & tam multa sunt abolita iura. Quomodo? Per dissuetudinem, seu consuetudinem multitudinis in contrarium. Manifestè etiam docent historiæ, differenter se habuisse sanctam matrem Ecclesiam olim quoad pœnas, cùm multitudine, & cum particularibus personis, quæ causam dederunt, quoties contigit, multitudinem cecidisse in hæresim.

Nouimus etiam sanctam matrem Ecclesiam acrius statuisse oppositum quoad mores, uerbi gratia, Consueuerat olim sancta Ecclesia in fermentato conficere, sicut re uera licebat stando in iure diuino: ex quo autem surrexerunt hæretici, dicentes, non nisi in fermentato licere sacerdotibus ex præcepto Dei consecrare, præcepit sancta Ecclesia ut nullus nisi in azimo conficeret. Hoc autem ideò fecit, ut contra eam hæresim ageret, non solùm in doctrina, oppositum determinando; sed etiam in moribus, oppositum obseruando.

Simili modo se habuit sancta mater Ecclesia in proposito. Nanque cùm primùm in Boëmia ea hæresis habuit ortum, quæ dicit, debere omnes Christianos communicare in utraque specie: determinauit Ecclesia huiusmodi communionem non esse omnibus de necessitate salutis, & præcepit ne laicus quisquam, aut etiam clericus non celebrans, communionem in utraque specie acciperet, sine licentia.

Hæc autem prorsus nihil faciũt in oppositum nostræ ter-

tiæ conclusionis. Semper enim uera stat sententia, quæ dicit, habendam esse rationem multitudinis. Quam præ oculis habentes ipsi patres Constantiensis concilij, prohibuerunt, non simpliciter, ut nullus in utraque specie communicaret: sed ut nemo sine licentia Ecclesiæ, huiusmodi communionem acciperet. Tanquam locum relinquerent huic rationi multitudinis habendæ, & huic gratiæ multitudini concedendæ. Hanc etiam rationem multitudinis habentes, patres concilij Basileen. antequàm declinarent, concesserunt hanc communionem sub prædictis conditionibus. Hanc etiam in corde habens Paulus tertius fœlicis recordationis, eandem gratiā concessit, ut memorauimus.

Habenda est ratio multitudinis.

Dicimus ergo, quòd quoad fidei ueritatem & unitatem, non habet locum, ratio habenda multitudinis: quia immo tunc fortius, & acriùs agendum est contra hæresim, dum in eam hæresim labuntur plures. Quoad mores autem, sine dubio, ratio multitudinis habet, & habere debet locum. quoad mores, inquam, in quibus sancta mater Ecclesia potest, sic, uel sic ordinare. Præsertim postquàm per multos annos in rigore perseuerauit, & non profecit.

Quòd si his auditis, adhuc quispiam magnifaciens hoc fundamentum secundum, instet, deducendo ex illo ad oppositum nostræ huius sententiæ, nos ei dicimus, Ostende ubi, aut quando sancta mater Ecclesia non habuit rationem multitudinis in casu simili, hoc est, in casu, in quo res sacra esset, in quo tanta multitudo deperiisset, & in quo sancta mater Ecclesia tanto tempore reditum tantæ multitudinis expectasset, eiusque expectatio prorsus nihil prodesset. Si autem non datur casus similis, in quo sancta Ecclesia non habuit rationem multitudinis; iam, ut est notum omnibus, nihil ualet argumentum hoc, & ruit istud fundamentum; quia loquitur extra casum nostrum, extraque chorum (ut prouerbio fertur) saltat.

Responsio ad argum. 3. aliorum.

Ad tertium fundamentum dicimus, Hoc tertium fundamentum magis facit pro nostra sententia, quàm pro op-

posita: quia magis declarat casum in quo sumus, & magis iustificat nostram determinationem. Nullum enim est regnum, nulla ciuitas, nullus populus, immo nec ulli sunt particulares homines, qui hoc petant: ob quod certè non est mirum, quòd non ueniant per se, quod nec procuratores mittant. Nec fit hîc aliqua contractio, qua ipsi dicant, Si nobis hoc conceditis, erimus in uestra obedientia, & fide: si autem non, minimè erimus. Quæ contractatio, uideretur fortassis habere nescio quid inhonesti, turpitudinis, aut inuoluntarij, aut exactionis, aut malæ originis, seu obstinatæ uoluntatis, ex parte sic petentium: & concessio non esset sic libera, absoluta, uel gratiosa ex parte concedentium. Qualem tamen contractationem non renuerunt patres concilij Basileensis, propter bonum & salutem animarum.

Hinc etiam est, quòd tempore concilij Constantiensis missi sunt Oratores, quia erant uidelicet, qui peterent, qui mitterent, & ad quos mitterent. Nunc autem ita res se habet, sed omnes tacent, nullus petit. Vnde quidem non est idem casus, nec similis.

Quomodo igitur hoc petit Imperator & petunt alij principes, pro illis hominibus? Ego ita intelligo & accipio casum nostrum, quasi Imperator & alij principes sint potius consulentes, quàm petentes: ut petant consulendo, uel consulant petendo. Vident quæ quotidie fiunt, & experiuntur iacturam sanctæ matris Ecclesiæ in perditione tot animarũ, dolent de re huiusmodi, cupiunt huic tanto malo prouideri zelo domus Domini, iudicant hoc medium necessarium, atque utile, proponunt illud, consulunt, & petũt. Petunt autem, non ab aliis submissi, sed sicut petunt, qui consulunt. Suntque partes ad consulendum, & sunt partes ad petendum. Christiani sunt, Christiani nihil à se alienum putant. Curant ergo negotium sanctæ matris Ecclesiæ, curant negotium saluandarum animarum: & tandem faciunt quod omnes debemus facere quærendo salutem proximorum, quos uidemus in periculo esse deficiendi, aut iam defecisse. Quia debemus bona mente studere, ut hi ad fidem pacemque reducantur, atq; ut in fide & pace confer-

uentur, maximopere elaborare. Hæc est una nostra ex multis aliis, obligatio Christiana. Sic enim habemus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Et proximum tuũ, sicut teipsum. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Matth. 22. Prouer. 24. Eccl 17.

Nihil ergo ualet hoc fundamentum tertium, tum quia deficit à ratione & officio charitatis, quasi non debeamus salutem proximorum procurare, nisi quando & ubi ipsi petunt: tum quia deficit à similitudine exẽpli, quod allegat.

Responsio ad argum. 4. aliorum.

Ad quartum fundamentum dicimus, Primùm quidem, ut iam dictum est ad fundamentum præcedens. Nemo est, qui specialiter hoc sibi petat; quia nec regnum aliquod, nec ciuitas, nec aliquis populus, nec aliqui particulares homines; sed principes Christiani prædicti, quia proximi sani sunt, hoc petunt pro Christianis laborantibus, periclitantibus, infirmis ut sanentur & sustententur, aut mortuis ut reuiuiscant.

Deinde respondemus, quòd & si aliqui hoc sibi peterent, adhuc posset hæc petitio habere ortum non ex hæresi, sed ex affectione quadam, consuetudine, uel deuotione erga utranque speciem huius diuini sacramenti. Aut etiam ex eo, quòd petentes putarent maiorem gratiam ex opere operato conferri in communione utriusque speciei, quàm in communione alterius tantùm: quæ cogitatio, hactenus non est damnata, ut constat ex responsionibus ad articulum quartum. Malè igitur supponit hoc quartum fundamentum, ideoque non potest habere uim ullam, uirtutem, aut efficaciam: unde & meritò relinquitur, quantum pertinet ad hanc partem. Si autem hoc aliqui sibi peterent, & hæc eorũ petitio haberet ortum in illis ex sua inobediẽtia: adhuc nobis esset uidendum, An expediret nobis & Ecclesiæ Dei, dare operam, ut per hoc medium sacrum eos reduceremus de inobedientia ad obedientiam, & de malo statu ad bonum? Visum est autem patribus concilij Basileen. antequàm declinarent, quòd sic..

Tandem hoc certum eſt, quòd & ſi ea petitio in aliquibus ex aliquo malo habuiſſet originem; omnia tamen mala eiuſmodi tolluntur per conditiones appoſitas huic conceſſioni, ut ex dictis eſt manifeſtum. Omnes enim quotquot ſic communicandi ſunt, deberent confiteri fidem noſtram integram, tam quoad ſacramentum, quàm quoad alia, & omnes habent praſtare ſuam obedientiam. Vnde iam tũc ſunt credentes, ſimul & obedientes.

Dicunt hîc aliqui, Sic petens poteſt nos decipere, confitendo fidem Chriſtianam in ore, & continendo hæreſim Lutheranam uel Caluinianam in corde. Reſpondemus, Qui ſic faceret, ſeipſum deciperet, non Deum, qui omnia intuetur. Rurſus dicimus, Eodem modo poteſt nunc ipſe talis petens nos decipere, & per eam deceptionem à nobis obtinere communionem in altera ſpecie, quam ei nos nullo modo concederemus, ſi eum Lutheranum aut Caluinianum cognoſceremus.

Sic minimè ualet hoc fundamentum quartum, ſed potius ruit modis omnibus.

Reſponſio ad argum. 5. aliorum.

Gabriel lect. 84. litera O.

Ad quintum fundamentum dicimus, Nullo modo poteſt in hac conceſsione eſſe aliquod ſcandalum datum, aut puſillorum, ſaltem quantum ego modò uideo, aut rebus ut nunc, moraliter loquendo, uidere poſſum. Nemo enim rationabiliter ſcandalizari poteſt de eo, quod ſancta mater Eccleſia in concilio uniuerſali (ubi ſunt tot, tanti, talesque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & ſanctiſſimi domini noſtri Legati, totque tanti & tales patres, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbatesque ex toto Orbe Chriſtiano) rem hanc ſacratiſsimam iudicat concedendam, & concedit illis hominibus, pro ſalute animarum eorum, & pro bono ſtatu Eccleſiæ conſeruando, atque augendo. In ſacro enim uniuerſali concilio eſt ſanctitas, eſt ſcientia, eſt pietas, eſt prudentia, eſt auctoritas, eſt feruor charitatis, eſt zelus domus Dei, & eſt ſolicitudo omnium Eccleſiarum: unde ex ſuis determinatio-

nibus, nullus locus patet ſcandalo, quo ſcandalum ſuboriri ualeat. Ergo nullo modo admittimus, ſed omnibus modis refellimus hoc quintum argumentum, quod deſumitur proponiturque ex ſcandalo.

Si autem aliquis non puſillus, nec ſcandalo dato, ſed recepto ut Phariſæus quidam, ſcandalizatus fuerit; non eſt culpa patrum concilij, ſed ipſorum, qui ad modum Phariſæorum, abſque ratione ſcandalizantur. Talibus ſacrum concilium poteſt dicere, quod Saluator noſter dixit, An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Matth. 20.

Nec eadem eſt cauſa uel ratio, ut ſi hæc communio conceditur prædictis illis hominibus, ſtatim concedatur aut concedi debeat omnibus fratribus Chriſtianis per totum Orbem. Etenim non omnes ſunt ſic in periculo, nec omnes ſunt ſic infirmi, nec omnes ſunt in eodem ſtatu, nec omnes indigent eadem medicina, ſeu eodem modo curandi. Sic pia, & prudens mater carnalis non eodem modo blanditur filiis ſuis ſanis, & infirmis: nec eis eodem modo eadem præſtat cibaria, aliaque opportuna. Sic ſanctiſsimus ille pater Euangelicus, multa fecit filio ſuo iuniori, prodigo, & qui luxurioſè uixerat, quæ non fecerat filio ſuo ſeniori, qui fuerat ſemper ſecum, & nunquam à domo eius receſſerat. Sic etiam ſanctiſsima mater Eccleſia, piiſsima & prudentiſsima, filios ſuos ſuſtentat, ſuſcipit, & tractat: ſuſcipiendo infirmos, conſolando puſillanimes, iuuando fragiles, & patientem ſeſe præbendo ad omnes. Quamobrem non poteſt eſſe mirum, ſi non æqualiter diſtribuat omnibus, aut non æqualiter communicet omnes; quia uidelicet non æqualiter ualent omnes, non æqualiter periclitantur, non æqualiter laborant, non æqualiter indigent. Diſtribuit autem unicuique, prout cuique opus eſt. Lucæ 15.

Si autem aliquis inſtaret, & daret mihi quòd ex hac conceſsione quoad illos prædictos homines, ineuitabiliter eueniret, ut ſancta mater Eccleſia neceſſariò ad fugiendum ſcandalum deberet eãdem cõmunionem concedere omnibus: Nos ei, non caſum admittendo, ſed ad maiorem abũdantiam reſpondendo, dicimus, Eo caſu poſito, potius

eam communionem omnibus concedendam, ut liceret omnibus ſub una uel ſub duabus communicare, ſicut olim apud multas Eccleſias licebat: quàm quod illam, illis infirmis hominibus, periclitantibus, aut laborantibus denegandam. Vellemque potius apud Saluatorem noſtrum piiſſimum & miſericordiſsimum rationem reddere de rigore miſericordiæ, quàm de rigore iuſtitiæ. Ita ſancti doctores dicunt fore nobis optandum: & diuina ſcriptura dicit, Noli eſſe iuſtus multùm.

Reſponſio ad argum. 6. aliorum.

Ad ſextum eorum fundamentum dicimus, Ita quidem Gabriel dixit, & uerba illa ſunt ſua; ut eſt uidere apud ipſum, ſuper Canonem Miſſæ. Intentio autem ſua non erat aſſerere, nunquam fore expediens, quòd ſancta Mater Eccleſia ex aliquibus cauſis, & ſub certis conditionibus, ſuos filios laicos uel etiam clericos non celebrantes communicaret in ambabus ſpeciebus. Quin potius intentio ſua erat, oſtendere hanc conſuetudinem communicandi laicos uel clericos non celebrantes in altera tantùm ſpecie, eſſe bonam, iuſtam, licitam, & laudabilem, atque communionem in utraque non eſſe à Chriſto indiſpenſabiliter præceptam generaliter omnibus fidelibus. Nãque in eo loco ita mouet quæſtionem, Vtrùm populus fidelis participaturus Euchariſtiam, teneatur eam ſumere ſub utraque ſpecie? Idemque auctor ibi reſpondendo ait, Eſt ergo circa hoc, hæc propoſitio, Communicatio Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, à Chriſto non eſt præcepta generaliter omnibus fidelibus indiſpenſabiliter. Ecce de quo agebat. Et quidem ſecundum hanc mentem ſuam, poſuit uerba illa, ex quibus ſumitur hoc ſextum fundamentum. Non eſt igitur ad propoſitum.

Verba etiam ipſa huius doctoris catholici, ualde docti, & ualde pij, quantumcunque in ſe conſiderentur, nihil faciunt contra hanc noſtram ſententiam. Nihil enim dicunt, niſi quòd ſancta Eccleſia catholica plurimis de cauſis hunc ritum introduxit, & laudabiliter continuat, & continuabit.

bit. Omnia autem hæc sunt uerissima, quia ritus iste communicandi laicos & clericos non celebrantes, est licitus in iure diuino, Ecclesia ex iustis causis illum accepit, laudabiliter continuat, & laudabiliter continuabit semper: tum, quia ipsum semper probabit, & nunquam damnabit: adhæc, quia in communione infirmorum extra Ecclesiam illum semper obseruabit: & nunquam deerunt in Ecclesia Dei, qui in altera tantùm specie communicare uelint, saltem aliquando.

Nec nostra sententia est, ut Ecclesia præcipiat illis hominibus aut aliis, communionem in utraque specie; sed ut eis concedat, posse eis communionem sub utraque specie præstari, si ipsi uoluerint: Cum hac autem licentia stat, ut multi in altera tantùm specie cōmunicare uelint. Sic enim licebat olim hominibus apud multas particulares Ecclesias, communicare uno, uel altero modo.

Responsio ad argum. 7. aliorum.

Ad septimum eorum fundamentum dicimus, Nec hoc quicquam ualet. non enim debemus, nec possumus omnia, æqua lance mensurare. Si alia petierint, sanctæ matris Ecclesiæ erit, alias petitiones uidere, eas examinare, eisque respondere. Interim non licet nobis diuinare. Et ut etiam non minus certum est, non pertinet ad uiros prudentes & constantes, noua mostra fingere, quæ timeant: nec ob timorem fictorum à se monstrorum, ab illis abstinere, quæ grauissima sunt, & aliàs licent, atque expediunt. Nolite cogitare de crastino. Sufficit diei malitia sua. Omnia tempus habent. Tractus futuri temporis, non spectat ad iudicem. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Prudentiæ est præuidere, & prouidere. Vtique uerum est, & negari non potest: sed profectò etiam cum prudentia, & non sine prudentia, est præuidendum, atq; prouidendum. Non uult autem prudentia, ut propter petitiones non expedientes futuras, negemus petitiones expedientes præsentes.

Matth. 6. *Eccl. 3.* *Psal. 54.*

De coniugio Clericorum, quod allegatur in argumento; nemo est, qui non uideat, quàm dissimilis est ratioci-

natio, & quàm indigna quæ admittatur. Aliud est clericorum coniugium, & aliud est laicorum in utraque specie communio. Hæc enim de se est licita, sancta, iusta, bona, & unit homines Deo. Coniugiũ autem & si sit uenerabile, thorumque habeat immaculatum; quasi quantum coniuges inuicem iungit, tantum eos à Deo diuidit, & tribulationem carnis habet. Ita enim de hoc ait Paulus, Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit uirgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Infrà, Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Latissima igitur patet differentia horum duorum. Et patet rursus ex eo, quòd coniugium uel cælibatus clericorum, pertinet ad paucos, quia ad solos ministros ordinatos in sacris: communio autem pertinet ad totam multitudinem Christianorum adultorum. Potest nãque clericorum non continentium numerus facilè suppleri per alios, hoc est, per continentes, & multa suppetunt remedia, quibus clericos continentes habeamus. Cœlibatus etiam de se multò præstantior est coniugio, ut palàm est omnibus, qui diuinas scripturas, & sanctos doctores intuentur. Communio autem in altera specie non ita præstantior est communione in utraque. Ex quibus profectò omnibus, certum est non esse simile de coniugio clericorum, & de communione huiusmodi laicorum. Ideoque, ubi, & quando petitum fuerit sacerdotum coniugium, facilè erit & in prõptu respondere: quia non est admittenda eiusmodi petitio: ut pote quòd sit de minori bono, relicto maiori: & quandam continet inhonestatem; carnem sapit, & aures pias offendit.

1. Cor. 7.

Ibid.

Responsio ad argum. 8. aliorum.

Ad octauum fundamentum eorum etiam sic respondemus. Hoc est melius argumentum, quod poterat fieri à patribus ad eorum propositum; quia procedit ex illis, quæ iam antiqui patres considerarunt, & magni fecerunt. Ve-

rùm nec hoc fundamentum modò ullas habet uires in oppositam sententiam, pro qua adducitur, ea uidelicet de causa, quia nos non dicimus communionem hanc in utraque specie fore concedendam simpliciter & absolutè, sed sub certis conditionibus & decretis. Conditiones autem illæ & decreta, tollunt omnia inconuenientia: ponunt fidem integram, requirunt obedientiam completam, uitántque omnia pericula. Constant hæc, ex illis. maximè quia sancta mater Ecclesia potest etiam addere alias conditiones, quas uoluerit, quæ nullum relinquant locum scrupulis, aut timoribus.

Libri secundi de Cœna & Calice Domini, finis.



REVEREND. GASPARIS CASALII LVSITANI,

EPISCOPI LEIRIENSIS,

De Cœna, & Calice Domini quo ad laicos, aut clericos non celebrantes,

LIBER TERTIVS.

Præsentis libri materia declaratur, proponunturque omnia, uel saltem potiora argumenta, quibus aduersarij, communionem sub utraque specie, diuino iure omnibus fidelibus Christianis deberi, falsò ostendere nituntur.

CAPVT PRIMVM.



ABSOLVTVRIS nobis, Domino donante, hoc opus de Cœna, & Calice Domini quoad laicos uel etiam clericos non celebrantes, hoc unum superest necessarium, etiam iuxta superius promissa, ut uidelicet obiectiones aduersariorum afferàmus, illisque respondeamus; quibus ipsi indoctis populis conantur suadere, debitam esse cunctis Christi fidelibus ex diuino iure, communionem sacræ Eucharistiæ in utraque specie. Hoc enim

in hoc opere adhuc desideratur, & non parum facit ad totius operis absolutionem. Vnde & hoc intendimus in præsentia, tanquam tota materia libri præsentis sit, obiectionum cunctarum aduersariorum relatio, & ad eas catholica iuxta diuinas scripturas, sanctos doctores, atque manifestas rationes responsio. Idque eo ordine efficiemus, ut in hoc primo capite, omnia uel fortiora aduersariorum obiecta proponamus seorsum, & deinde illis, in capitibus sequentibus respondeamus singillatim, iuxta ordinem relationis.

Loca igitur fortiora potioraque ad oppositum, ea sunt: Primus, Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Secundus, Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes. Tertius, Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus; omnes quidem de uno pane, & de uno calice participamus. Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. Quartus, Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec ueniat. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Ista sunt loca potissima diuinarum scripturarum, quia prima duo explicant institutionem huius sacri sacramenti sub utraque specie, & uidentur usum calicis præcipere: alia uerò duo eandem institutionem referunt; & ostendunt eam consuetudinem fuisse apud Ecclesiam Corinthiorum, temporibus Apostoli Pauli, ut etiam laici in utraque specie communicarent. Quasi ex istis habeatur domini institutio, domini præceptum, atque Ecclesiæ primitiuæ intelligentia, obseruantia, & consuetudo; Apostolo Paulo sciente, & iuxta illam bene seruandam, docente. Accedit his, ipsa domini institutio, qui hoc diuinum sacramentum instituit, non solùm in specie panis, quin etiam & in specie uini: ut ex istis duobus constaret unum integrũ sacramentum, expressius repræsentans Christi mortem in

Ioan. 6.

Matth. 26.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

cruce, & nostram futuram refectionem in cœlo. Quam ob rem uidetur quòd debeat etiam dari integrum, ne fraudetur populus medietate, uel parte aliqua illius: nec uideantur sacerdotes quasi sint domini, sumere sacramētum totum, & integrum; laici uerò, quasi sint serui aut famuli, sumere dimidium aut truncatum. Et quòd laici uideantur habere ius in illis omnibus, quæ dominus dixit Apostolis & in Cœna, & aliàs, uidetur ostendi ex illo uerbo domini,

Marci 13. Quod autem uobis dico, omnibus dico; Vigilate. Ad

1. Petri 2. quod insuper & illud pertinere potest, Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut uirtutes annuntietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen suum.

LVTHERVS.

art. 16. Ita proponunt aduersarij. Lutherus enim prius dixit, Consultum uidetur, quòd Ecclesia in communi consilio statueret laicos sub utraque specie communicandos, nec Boëmi sub utraque specie communicantes, sunt hæretici & schismatici. Posterius autem dixit, Hunc articulum reuocaui libro de captiuitate Babylonica, & iterum his scriptis reuoco, & dico Boëmos & Græcos in hac parte, nec hæreticos nec schismaticos, sed Christianos & Euangelicissimos esse, quos & his uerbis oro, & obtestor in domino, ut in ea sententia firmiter permaneant, quum pro se habeant expressum textum Euangelij, longæuum & apud Græcos in hunc diem seruatum catholicum usum Ecclesiæ Dei. Hæc ille. Ibi non allegat textum illum, sed ut alij explicant, ipse est secūdum suam sententiam, Bibite ex hoc omnes. Nec alio modo saluat laicos & rudes non communicantes sub utraque specie, nisi fortè eos excuset ignorantia; simplex fides, & uiolenta priuatio, qua priuantur altera specie. Vnde & postea addit, Nam hoc ego dico, Si quis sciens omittat desiderare saltem, alteram etiam partem sacramenti, licèt neutra necessaria sit, cùm fides sola hîc sufficiat, impium eum esse, & Christum ab eo negari. In toto autem ipso articulo iis tantùm probat dictum suum, qui-

bus textum Euangelij allegat, consuetudinem antiquam, institutionem integri sacramenti à Deo, & quòd obedire oporteat Deo, magis quàm hominibus. Vultque, ut quilibet laicus, si speciem alteram impetrare non potest, ut impeditus, corde saltem toto optet, & gemat ad Deum, quòd nostris (ut inquit) peccatis merentibus, digni facti sumus, quibus impij aduersarij ueritatis, alteram partem sacramenti auferrent, & nos nostro sacramento spoliarent. Obiicitque nobis, quòd cùm Ecclesia Romana sacerdotibus imperet utranque speciem sumere, causatam unum sacramentum esse utranque speciem, id quod & ipse fatetur uerum. iterum pro libidine causatur, mendacio sibi ipsi contrario, integrum sacramentum, unam speciem esse, & sic aliud sacramentum laicis, & aliud sacerdotibus partitur. Hæc ille. Fatetur quòd Christus sciebat omnia sub pane accipi, nihilominus tamen uinum instituit: & inde arguit, Cur sacerdotes non etiam omnia sub pane accipiunt? Obiicit iterum, quòd cùm Paulus dicat, Non'ne unus panis & unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus? Papa laicos ab uno corpore excludere conatur, dum non omnes de uno calice uult participare; resistens tum Christo, tum Paulo, & uniuersæ Ecclesiæ Dei. Hæc ille, in eodem articulo.

Bucerus.

Bucerus etiam scribens aduersus Bartholomæum Latomum de communione sub utraque specie, ita dicit, Ad communionem integri sacramenti urget, & in ea detinet nos meritò præceptum Christi, Accipite, manducate. Hoc est corpus meum. &, Accipite, bibite ex eo omnes. &, Facite hoc in meam commemorationem: Hoc, quod ego nunc facio, & facere uos iubeo. Ecclesia uerò Christi ne angelum quidem de cœlo audit, qui diuersum à mandato spōsi sui præcipiat, tantum abest ut ipsa per se aliud quid usurpet aut statuat. Lege quæso, & expende quæ sanctus martyr Cyprianus de hoc præcepto, Facite hoc, differit, epistola.3.lib.2. Cumque hoc sacramentum dominus insti-

tuerit tādiu celebrandum, dum redeat gloriosus ad iudicium, is profectò ritus, quem in eo obseruandum tradidit, nulla potuit humana nec negligentia, nec contraria constitutione abrogari. Hæc ille. Dicit quòd theologi causas huius mutationis memorant, periculum effusionis, & ut sacerdotum asseratur dignitas: & addit frequentiorem cōmunionem, dominicis & festis diebus: atq; quòd sacerdotalis dignitatis asserendæ amplior cura tenebat patres: nec tamen ipsi patres institutū mutauerunt domini: nec illis uisa est dignitas sacerdotalis asserenda, hac sacramenti dimidiatione: ut qui contrarium disertè docuerint, in his scilicet mysteriis nihil prorsus inter sacerdotem & plebem interesse. Et allegat Chrysostomum dicentem, Nunc non sic, uerum omnibus unum corpus proponitur & unum poculum. Ex istis autem ita concludit, Cum ergo luce meridiana clarius pateat, quid in sacra cœna dominus instituerit, & nobis faciendum præceperit, & cùm nullis omnino uel patribus, uel conciliis ulla de causa liceat circa sacramenta, aut alias res quicquam statuere contra id, quod dominus ipse & Apostoli apertè definierunt, quod & concilia & pontifices ipsi fatentur, certò sequitur & istam sacramenti mutationem non posse tribui Ecclesiæ Christi, nec eos, qui uel inuexerunt illam, aut defenderunt, repræsentasse Ecclesiam Christi. Addit non posse admitti sine grandi sacrilegio, quòd quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant. & allegat Papam Gelasium. Addit iterum quòd Christus dominus, unus est indubitatus doctor ueritatis, quòd illum audiuit uniuersa Ecclesia sua, sicut in cæteris, sic etiam in hoc instituto, quādiu illi ueri Episcopi præfuerunt, & hodie audit eum, & integrum sacramentum administrat omnis Ecclesia cum Indica, tum Græca. clamatque, quòd ista manifesta deprauatio sacramenti, sub altera tantùm specie, eo tempore in Occidentalibus Ecclesiis obrepsit, quo dominos habere cœperunt, qui Antichristo non Christo seruiebant, ut D. Bernardus questus est. Dicit quòd constat ab Orientalibus Ecclesiis nunquam fuisse receptam, in Occidentalibus autem ante quadringentos annos nondum

Chrysost. homil. 18. ad Corin.

De consecr. dist. 2. Comperimus.

Bernardus serm. 33. in Can.

dum

dum ubique obtinuisse: & quòd licèt multis sæculis hæc mutilatio obtinuerit, quia tamen constat usum huius cæremoniæ secus esse institutum à Christo, aliter traditum ab Apostolis, qui à domino acceperant; concluditur hanc Christi institutionis deprauationem, minimè tribuendam esse Ecclesiæ sponsæ Christi. Quod nos dicimus, contineri tantùm sub altera specie sacramenti, quantum sub utraque, ipse Buccerus dicit esse commentum, & irreligiosæ argumentationi merito esse tribuendum: sed docet seorsum corpus, & seorsum sanguinem exhiberi reali exhibitione, absque tamen sectione in ipso Christo. Dicit incertam coniectationem esse, an dominus in ea fractione panis, duobus discipulis, sacramentum corporis sui dederit Emaunti: & quòd si certa sit, non tamen inde probatur, dominum non dedisse his discipulis pariter & sacramentum corporis sui. Deinde dicit, quòd si maximè constaret, Dominum in hac fractione panis exhibuisse sacramentum sui ipsius, & id Symbolo panis tantùm, nec propterea licet seruis immutare institutum domini sui in hac sacra cœna tam clarè & disertè ab eo traditum. Hæc Bucerus dicit, & nonnulla alia, inter quæ ista uidentur fortiora.

Calvinus.

Ioannes Caluinus in Antidoto articulorum facultatis sacræ theologiæ Parisiensis super materiis fidei nostræ controuersis, scribens contra articulum septimum, dicit, Mandatum est Christi, Bibite omnes. Qui etiam cùm de pane simpliciter dixisset, Accipite, manducate, cum ad calicem uentum est, iubet nominatim, ut omnes bibant. Hoc se Apostolus Paulus tradidisse Corinthiis, sicut acceperat à domino, testatur. Ratio, quæ adduci solet de concomitantia, locum hîc non habet. Neque enim quid nobis det Christus, intueri solùm conuenit: sed etiam qualiter, aut si mauis, modus inspiciendus est, quo dominus seipsum nobis uult communicare. Quemadmodum ergo sub pane dat nobis corpus, ita etiam sub calice sanguinem. Proinde nihil nobis aliud restat, nisi ut obediamus eius

mandato. Hæc Caluinus. Addit sic, Hic ritus obseruatus fuit in Ecclesia ultra annos mille, sicut testantur omnium

Tertullia. Homil. 60. ad populũ, De resurre. carnis. lib. 3. Eccl. Inst. cap. 8. Hierony. in Sophoniam. Chrysost. in 2. Cori. cap. 9.

patrum scripta. Caro, inquit Tertullianus, corpore & sanguine Christi pascitur, ut anima de Deo saginetur. Et Theodoretus uerba Ambrosij refert ad Theodosium Imp: Quomodo huiusmodi manibus sacrum domini corpus suscipies? qua audacia poculum preciosi sanguinis ori tuo admouebis? Hieronymus, Sacerdotes, qui Eucharistiam conficiunt, & sanguinem domini populo distribuunt. Item Chrysostomus, Non sicut in ueteri lege partem comedebat sacerdos, partem uerò populus, sed ea, quæ sunt Eucharistiæ, communia sunt omnia inter sacerdotem & populum: Omnibus unum corpus proponitur, & calix unus. Sed de obseruatione non est controuersia, quam omnes talẽ fuisse

De consecr. dist. 2. c. Cõperimus.

fatentur. Quòd autem sic fieri omino oportere censuerint, constat ex decreto Gelasij, qui arceri iubet à toto sacramento, qui calice abstinent, quoniam diuisio huius mysterij, inquit, grandi sacrilegio non careat. Cyprianus uerò

Cyprian. Epist. 2. de Lapsis.

fortiter contendit, nullo modo admittendum esse hoc sacrilegium. Hæc ille.

Confessio Avgvstana.

Confessio Augustana, & in eius Apologia Philippus Melanchthon, proponit eadem fermè argumenta pro communione sub utraque specie, & contra communionem sub altera tantùm. Ita enim ait, Datur apud nos laicis utraque pars sacramenti in cœna Domini, quia sacramentum institutum est non solùm pro parte Ecclesiæ, scilicet presbyteris, sed etiam & reliquæ Ecclesiæ. Igitur & populus utitur sacramento, sicut Christus instituit. Et quidem Christus instituit Matthæi 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifestè ait de poculo, ut omnes bibant. Et nequis cauillari possit, quòd id tantùm ad sacerdotes pertineat, Pauli ordinatio apud Corinthios testatur, totam Ecclesiam communiter usam utraque specie. Hic mos diu mansit etiam in Latinis Ecclesiis, nec constat quando, aut quo auctore mutatus sit.

Cyprian.

Cyprianus aliquot locis testatur populo sanguinem datum

esse, ut ad Cornelium Papam scribens. Et beatus Hieronymus. Extat in decretis Canon Pontificis Gelasij. Item in historia Tripartita, in obiurgatione Theodosij Imperatoris, quem Ambrosius noluit ad communionem admittere sine pœnitentia, propterea quòd Thessalonicæ paucorum militum necem, qui per tumultum interfecti fuerant, nimis acerbè ultus erat, trucidaueratque septem millia ciuium. Hic Ambrosius inquit, Quomodo his manibus suscipies sanctum domini corpus, qua temeritate ore tuo poculum sanguinis preciosi percipies? &c. Constat igitur ueteris Ecclesiæ morem fuisse, dare populo utranque sacramenti partem, tantùm consuetudo non ita uetus adimit populo alteram partem. Hæc ibi.

Epist. 2. lib. 2. Hierony. in Zacha. cap. 3. c. Comperimus. ubi supra.

PHILIPPVS MELANCHTHON.

Melanchthon in Apologia huius cōfessionis Augustanæ, ita quoque dicit, Non potest dubitari, quin pium sit & cōsentaneum institutioni Christi, & uerbis Pauli, uti utraque specie in cœna Domini. Christus enim instituit utrāque partem & instituit non pro parte Ecclesiæ, sed pro tota. Nam non presbyteri solùm, sed tota Ecclesia auctoritate Christi, non auctoritate humana, utitur sacramento, idque fateri aduersarios existimamus. Iam si Christus instituit pro tota Ecclesia, Cur altera species adimitur parti Ecclesiæ? Cur prohibetur usus alterius speciei? Cur mutatur ordinatio Christi? præsertim cùm ipse uocet eam testamentum suum? Quòd si hominis testamentum rescindere non licet, multo minus Christi testamentum rescindere licebit. Et Paulus inquit se à Domino accepisse quod tradidit; tradiderat autem usum utriusque speciei, sicut clarè ostendit textus primæ Corinth. 11. Hoc facite, inquit, primùm de corpore. Postea eadem uerba de poculo repetit: & deinde, Probet seipsum homo, & sic de pane edat, & de poculo bibat. Hæc sunt uerba disponentis. Quare constat pro tota Ecclesia sacramentum institutum esse. Et manet mos adhuc in Ecclesiis Græcis, & fuit quondam etiam in Latinis Ecclesiis, sicut Cyprianus & Hieronymus, & sy-


nodus Toletana testantur. Hic prudenti lectori expendendum relinquimus, quid censendum sit de diuina institutione. Hæc ille. Deinde respondet quibusdam nostris rationibus, dicit periculum effusionis & similia, non habere tantam uim, ut ordinationem Christi mutent: saluat Ecclesiam atque excusat, quæ hanc iniuriam pertulit, cùm utraque pars ei contingere non posset: sed auctores, qui defendunt, rectè prohiberi usum integri sacramenti, quiq; nunc non solùm prohibent, sed etiam utentes integro sacramento excõmunicant, & ui persequuntur, non excusat.

CONFESSIO VVITTEMB.

Confessio Vuittembergen. sic habet, Quod autem ad Eucharistiæ usum attinet, Primùm etsi non negamus, quin totus Christus tam pane quàm uino Eucharistiæ dispensetur, tamen docemus usum utriusque partis debere uniuersæ Ecclesiæ cõmunem esse. Manifestum enim est, quòd Christus ipse nihil periculis, quæ postea humana superstitione excogitata sunt, aut aliis commentis deterritus, tradiderit Ecclesiæ utranque partem utendam. Manifestum etiam est, quòd uetus Ecclesia usa sit utraque multis annis, & testantur aliquot scriptores perspicuè eos, qui solùm panem accipiunt, non accipere plenum sacramentum sacramentaliter (sic enim loquuntur) & diuisionem unius eiusdemq; mysterij sine grãdi sacrilegio fieri nõ posse. Hæc ibi. Quibus ita additur, Quare sentimus usum utriusque partis esse uerè Catholicum & Apostolicum, nec licere ulli homini hanc Christi institutionem, & tam diuturnum ueteris ac ueræ Ecclesiæ ritum, pro sua libidine mutare, & laicis, ut uocant, alteram partem Eucharistiæ auferre, &c.

Hæc sunt uel omnia, uel potissima & fortiora, quibus aduersarij nituntur ostendere, & suis persuadent, deberi etiam laicis communionem sub utraque specie sanctissimi sacramenti Eucharistiæ. Quibus omnibus, nos è contra asserentes, in sequentibus respondemus.

Asseritur, communionem Eucharistiæ in utraque specie, non deberi omnibus fidelibus Christianis iure diuino, & respondetur primis obiectioni, ducta ex illis uerbis Domini, Nisi manducaueritis, &c. Tresque sententiæ de germano illorum sensu referuntur. CAP. II.



Os autem catholici diuinas scripturas perspicientes, dicimus iuxta illas, & ex illis, non deberi laicis communionem sub utraque specie, nec de hoc esse aliquod diuinum præceptum, sed potius istam administrationem liberè fuisse relictã in Ecclesia Christi, Apostolis & ministris eius, ut secundum quod sibi benè uideretur, possent laicos uel sub altera tantùm specie, uel sub utraque communicare, ut suprà iam dictum est. Nec dominus aliis quàm suis duodecim Apostolis, quos sacerdotes in cœna ordinauit, legitur hoc sacramentum sub duplici specie porrexisse. Quomodo autem deinceps, & quo ordine à fidelibus sumendum foret, eisque ministrandum, utrùm sub una uel sub duplici specie, Apostolis reliquit ordinandum. Sic diuus Augustinus in simili dicit de ieiunio, Neque quia dominus post cibos discipulis dedit, idcirco pransi aut cœnati fideles ad illud sacramentum percipiendum debent conuenire. Et paulò pòst, Nam si ille hoc monuisset, ut post cibos acciperetur, credo, quòd illum morem nemo immutasset. Ideoque non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos dispositurus erat Ecclesias, seruaret hunc locum. Et quia ista est rei ueritas, ueraque doctrina Christiana, placet respondere obiectionibus aduersariorum: ut simul ostendamus in nullo obiecto suo continere aliquod præceptum diuinum, quo necessarium sit ad salutem uel nos laicos cõmunicare, uel ipsos communicari sub utraque specie, panis, uidelicet ac uini.

Augustinus De consecr. dist. 2. c. Liquido.

Epist. 118. ad Ianuarium.

Ad primum igitur obiectum aduersariorum quod est ex illis uerbis Domini apud Ioannem, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non ha-

Ad primũ arg. aduersariorum. Ioan. 6.

bebitis uitā in uobis, dicimus dupliciter, Primùm, quòd ille locus Euangelicus non de sumptione sacramentali, sed de spirituali intelligitur, ad literam: ut sermo sit de manducatione & bibitione spirituali, quæ non distinguuntur realiter, tanquam ibi loquatur Dominus de incorporatione nostra ad seipsum, per fidem uiuam in seipso explicitam, id est, per fidem, quæ per charitatem operatur, quæ posita in fundamento, neminem perire permittit, & de
1.Ioan.5. qua legimus, Omnis, qui credit quoniam IESVS est Christus, ex Deo natus est. Qui credit quoniam IESVS est filius Dei, habet filium Dei in se. Istum sensum spiritualem sequitur Augustinus frequenter, quoties dicit ad paruulos etiam illud uerbum pertinere, & illos baptizatos illud implere, qui dum baptizantur, corpori mystico incorporantur Christi, & membra eius uiua efficiuntur: quasi quippe manducare carnem Christi, & bibere eius sanguinem, sit Christo uiuaciter incorporari spiritaliter. Specialiter ita
August. Epist. tom. 2. sentit Augustinus in epist. ad Bonifacium, ubi exponens hanc legem in paruulis baptizatis adimpleri, dicit, Tunc unusquisque fidelium, corporis & sanguinis Domini particeps fit, quando in baptismo membrum Christi efficitur. Eodem modo explicat illud uerbum Domini Augustinus super Ioannem, ubi ait, Hunc cibum & potum, societatem uult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia. Ad istum sensum etiam agens de illo, quòd Saluator noster est panis uiuus, qui de cœlo descendit. &, Qui manducat hunc panem uiuet in æternum. &, Quòd ipse sit panis uerus de cœlo, dicit, Crede, & manducasti, dicturus absque dubio, ex eadem ratione, Crede, & bibisti. Et circa illud, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, dicit non tanquam per effectum, nec tanquam per causam, sed tanquam per identitatem, Hoc est enim manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere & Christum manentem in se habere. Eandem sententiam obseruat in De peccatorum meritis & remissione. in De baptismo paruulorum: atque, ut ita dicam, ubique, & semper. S. Thomas licèt in quodam loco uideatur intelligere istum

locum de manducatione sacramentali: tamen frequenter & clarius uidetur intelligere illum de manducatione spirituali, ut constat ex multis. Idem enim prorsus sentit cum Augustino, ubi agit de paruulis baptizatis, ostendens quòd in illis completa sit illa lex, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis in uobis: quia corporis & sanguinis Christi participes fiũt, quando per baptismum membra Christi efficiuntur. Idem alibi dicit, quòd illud uerbum Domini, est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali, ut Augustinus exponit super Ioannem. Idem etiam alibi, ubi fatetur unumquenque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur. Ibi dicit quòd pueri baptizati, ad sacramentum ordinantur Eucharistiæ, & quòd illud aliquo modo habent in uoto; sed ibi etiam sequitur Augustinum ad Bonifacium, & alibi. Itaque frequenter S. Thomas sequitur Augustinum in sententia horum uerborum, licèt tamen declinet, aut magis declinare uideatur ad id, quo intelligat, illud uerbum de manducatione sacramentali in re uel in uoto debere intelligi: asserens aut docens ideò pueros baptizatos saluari absque sacramentali manducatione in re, quia illam habent aliquo modo in uoto. Durandus à S. Portiano fatetur quòd illud uerbum Domini, intelligitur de carne Christi mystica, quæ est unitas membrorum Ecclesiæ, sine qua non est salus: additq; quòd si intelligatur de manducatione huius sacramenti, referendum est ad præceptum diuinum, quo tenemur non contemnere nec negligere tanta Dei dona, &c. Gabriel Biel super canonem, dicit quòd in toto illo capite Dominus loquitur de manducatione, & bibitione spirituali, quæ non distinguuntur; quia qui manducat spiritualiter, bibit spiritualiter: & è conuerso: & non de carnali, nec de sacramentali. Sic intelligit Gabriel Biel ex illis uerbis Domini, quòd sacramentalis communio non est simpliciter necessaria, sed spiritualis: de qua alibi loquitur non semel. Idem auctor alibi, inter alios modos mãducandi Christum, distinguit tres, id est, manducare sacramentaliter tantùm, mã-

S. Tho. par. 3. quæst. 80. art. 11. Ibidem artic. 9.

Lib. 4. sent. dist. 9. quæst. 1. art. 1. ducare spiritualiter tantùm, ac manducare spiritualiter & sacramentaliter simul. Vt manducare sacramentaliter tantùm, sit manducare Christum in scramento, ut manducant fideles peccatores in mortali: manducare spiritualiter tantùm, sit Christo incorporari per fidem & charitatem, simpliciter: manducare spiritualiter sacramentaliter, sit manducare Christum spiritualiter includendo sacramentum in uoto, siue referendo ad sacramentum. Postea dicit, quòd Ibid. art. 2. conclus. 1. manducatio spiritualis Eucharistiæ, est de necessitate salutis: & probat tum ex alio, tum quia, ut ait, illud uerbum Domini, Nisi manducaueritis carnē filij hominis, &c. intelligitur de manducatione spirituali, & facit illam necessariam. Ad quod recitat, refertque Augustinum. Caietanus part. 3. quæst. 80. art. 12. Caietanus post Gabrielem eodem modo distinguit illos tres modos manducandi, & fatetur ingenuè quòd in illo uerbo Domini allegato, iuxta sensum literæ, intelligitur modus manducandi spiritualiter: & illum fatetur ac probat multis modis, esse sensum literalem illius loci sacri. Alibi etiam repetit eandem sententiam, & dicit illam esse ueram: nisi quòd addit, istum sensum non excludere alium quo intelligamus etiam ibi posse intelligi manducationem spiritualem sacramentalem. Apud doctores antiquos etiam sic reperimus sæpe illud uerbum assumptum, ut potius de manducatione & bibitione spirituali, quàm de alia, apud eos intelligatur acceptum. Bernard. Serm. 3. Diuus Bernardus in expositione psalmi, Qui habitat. dicit, Quid autem est manducare eius carnem, & bibere, nisi communicare passionibus eius, & eam conuersationem imitari, quam gessit in carne? Vnde & hoc designat illibatum illud altaris sacramentum, ubi dominicū corpus accipimus: ut sicut uidetur illa panis forma in nos intrare, sic nouerimus per eam, quam in terris habuit conuersationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Hæc ille. Multa alia reperiuntur apud doctores sanctos alios, apud eundem Augustinum, Hieronymum, ac Magistrum sententiarum, quæ paulò pòst ponuntur abundantius. Nunc quæso, dicta sufficiant. Interim uidetur facere non parum ad istam sententiam, quod dicit August. in De doctrina Christiana, dans

dans regulas intelligendi sacram scripturam, Si præceptiua locutio est, aut flagitium aut facinus uetans, aut utilitatem, aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem, aut beneficentiam uetare, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit, carnem Filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis uitam in uobis. Facinus uel flagitium uidetur iubere. Figura est ergo, præcipiens paßioni Domini esse communicandum, & suauiter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata est. Si autem intelligamus illa uerba domini de manducatione ac bibitione sacramentali, uel spirituali & sacramentali simul: non minus manifestum est, quòd uel sic intellecta obligant omnes & singulos Christi fideles ad communionem Eucharistiæ sub utraque specie. Quandoquidem illa uerba Saluatoris nostri, non sunt formaliter de specie panis, nec de specie uini, nec sunt formaliter de carne Christi, prout est sub specie panis, nec de sanguine Christi, prout est sub specie uini. non enim sic locutus est dominus: sed sermo est expressus & manifestus, de carne, & de sanguine. ita enim dicit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. Siue igitur illud uerbum domini sit pactum, siue sit præceptum, illud uerißimè implet in forma uerborum, qui alteram speciem Eucharistiæ sumit. nanque in qualibet illarum est totus Christus, totum eius corpus, & totus eius sanguis: quàm ob rem, qui uel alteram speciem accipit, & carnem manducat, & sanguinem bibit. Ad uerba igitur domini respiciamus formalia, quæ tantùm sunt formaliter de carne & de sanguine, non de speciebus panis aut uini, nec de carne & sanguine sub illis. Supponit ista ratio inuictißima, id, quod est uerißimum ac notißimum, & ostenditur ad quartum articulum, totum Christum uerè & realiter esse in qualibet specie per se seorsum, panis, aut uini: totum, inquam, diuinitatem & humanitatem, corpus, sanguinē, & omnia sibi coniuncta. Confirmatur autem primò ista ratio ex regula quadam intelligendi sacram scripturam, & accipiendi sensum literalē ex illa. Verba enim domini siue

August. lib. 3. cap. 16. tom. 3.

Responsio alia.

Probatio.

Confirmatio 1.

in uerbo siue in scripto, quæcunque illa sint, dispositiua legis, ostensiua remedij, aut præceptiua mandati, sic intelligenda sunt quantum ad sensum literalem, sicut ipsa sonant & sicut præ se ferunt suum sensum, ac illum ingerunt auribus, aut oculis, & intellectui: nisi talis sensus repugnet fidei, uel charitati. Nam si alicui horum repugnet, non ille sensus credendus est esse uerborum Christi, sed alius quærendus est, qui literæ aliquo modo conueniat, & nec fidei, nec charitati repugnet. Istam regulam ponit Augustinus in De doctrina Christiana, inter regulas obseruandas, ad uerè intelligendum sacram scripturam. Cùm igitur ista uerba Christi, sint formaliter de carne & sanguine, non de pane nec de uino; atque rursus non de specie panis, nec de specie uini: de carne & sanguine debemus loqui in sensu literali, & non de aliis. Confirmatur secundò ista ratio, ex fide catholica sic, Non magis, nec magis purus, liquidus, fluibilis, aut potabilis est sanguis Christi sub specie uini, ex ui consecrationis, quàm sit idem sanguis sub speciebus panis, ex ui naturalis concomitantiæ: quia utrobique est idem sanguis, & non prout est extra uenas, sed prout est intra uénas: cum utrobique sit propriè sanguis, qui & qualis est in Christo, non cruor, sed quodammodo uiuus, non ut à uenis extractus, sed ut in uenis consecratus. Ergo ille sanguis ut talis est, non est magis potabilis sub specie uini, quàm sit potabilis sub specie panis: sed sic potatur sanguis sub altera, sicut sub altera. Per consequens autem non magis impleo præceptum de bibendo sanguine, si accipio sanguinē sub specie uini, quàm si accipio sanguinem sub specie panis: quia eodem modo prorsus accipio sanguinem sub una, uel sub alia. Nec refert, quòd species uini sit magis potabilis, uel, ut sic dicam, magis bibibilis: quia Saluator noster nō loquitur hîc de potatione aut bibitione uini, uel speciei uini; sed loquitur ad literam, formaliter & expressè de potatione aut bibitione sanguinis. Sermo autem de sanguine, non potest trahi ad uinum, nec ad speciem uini, in sensu literali, nisi aliunde cogamur, aut necessitemur: & nos ex nulla parte sic necessitamur mutare uerbum Christi, ut præce-

Cōfirm. 2.

ptum, quod ipse in uerbo manifesto ponit de sanguine proprio suo, absolutè & simpliciter, nos perperàm intelligentes & peius facientes, dicamus intelligendum de sanguine sub specie uini. Si enim Christus istam notabilem restrictionem uoluisset, ipse utique hoc declarasset: quia refert multum, sic uel sic, uno uel alio modo loqui, ut notum est omnibus. Confirmatur tertiò ex suauitate legis Dei, dicentis, Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. sicut etiam Ioannes dicit, Et mandata eius grauia nõ sunt. magis enim graue est & magis difficile teneri homines ad manducandum carnem Christi, & bibendum eius sanguinem sub differentibus speciebus panis & uini, quàm si teneantur ad manducandum & bibendum sub altera specie tantùm: quia illud est quasi duo præcepta, & hoc est quasi unum. Non sunt igitur mutanda uerba Christi, cum præsertim ipsa mutatio ponat plura præcepta, & faciat legem Christi magis grauem & magis difficilem, multiplicando præcepta diuina, & sic faciendo legem magis extensam seu plura præcepta continentem. Nemo est autem, qui non uideat magis graue aut magis difficile esse teneri homines manducare carnem Christi & bibere eius sanguinem sub multis speciebus differentibus, quàm sub una tantùm. Confirmatur etiam prædicta probatio iam nunc quartò, ex modo existendi sanguinis Christi in sacramento: quia ibi re reua, sub quacunque specie sit, est sacramentaliter: non modo extenso aut quantitatiuo, sed inextenso & indiuisibili. Etenim & sub specie panis & sub specie uini est sacramentaliter, totus in tota specie, & totus in qualibet parte speciei: ideò nec magis bibitur, nec magis potest bibi ipse sanguis sub ista specie, quàm sub illa. Completè igitur & perfectè implet præceptum Christi de bibendo eius sanguinem, qui alteram speciem sacramenti sumit: ibi enim quæcunque illa sit, bibit sanguinem, sicut ipse sanguis in sacramẽto est bibibilis, aut potabilis. Nec de alia bibitione aut potatione sanguinis loquitur Dominus in ista litera sacra, nisi de illa, qua sanguis eius in sacramento potest bibi, quæcunque illa sit: siue propria siue impropria; de qua constat secũdum regulas fidei, quòd non potest esse

Cõfirm. 3.
Matth. 11.
1. Ioan.

alia, niſi ſumptio ſanguinis. Eſt enim ibi ſanguis intra uenas, & ſacramentaliter: ideò non poteſt bibi per modum fluidi, aut liquidi.

Ad illud uerbum Domini redeamus, de illoque loquamur ſæpe ſæpius; Caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Niſi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Ad hæc dicit diuus Hieronymus, Dupliciter intelligitur caro Christi & ſanguis eius: uel illa, quæ crucifixa eſt & ſepulta, & ſanguis, qui militis lancea effuſus eſt: uel illa ſpiritualis ac diuina, de qua ipſe ait, Caro mea uerè eſt cibus & ſanguis meus uerè eſt potus. &, Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Auguſtinus etiam in De uerbis Domini, Quid eſt Chriſtum manducare? Non eſt hoc ſolùm in ſacramento corpus eius accipere: multi enim indignè accipiunt: ſed in ipſo manere, & habere ipſum in ſe manentem. Iterum, Vt quid paras ueutrem & dentem? Crede, & manducaſti. Credere enim in eum, hoc eſt, comedere panem & uinum. Qui credit in eum, manducat eũ. Idem auctor, Quomodo mãducandus eſt Chriſtus? Quo modo ipſe dicit, Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Si in me manet & ego in eo, tunc bibit: qui uerò in me non manet, nec ego in illo: & ſi accipit ſacramentum, acquirit magnum tormentum. Idem auctor in libro De remedio pœnitentiæ, Nulli ambigendum eſt, tunc quenquam corporis & ſanguinis Domini participem fieri, quando Chriſti mẽbrum efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiam ſi antequàm panem illum edat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat: quia illius ſacramenti beneficio non priuatur, quando ille habere hoc, quod illud ſacramentum ſignat, inuenitur. Hæc qui legunt, non poſſunt non uidere Hieronymum & Auguſtinum intelligere illud uerbum Domini de ſpiritali manducatione ac potatione. Vidit hæc Magiſter ſententiarum & retulit, diſtinguens in hoc ſacramento tria, atque deinde multa docens. Diſtinguit enim

Ioan. 6. Hierony. Rom. 8. f. Cõmen: ad 1 ca. epiſt. ad Ephe in medio. to. 9. Habetur. De conſecr. diſt. 2.

Auguſt. De conſecr. diſt. 2. Quid.

Tract. 25. Super Ioã.

Tract. 26. ſuper Ioã.

De conſecr. diſt. 2. c. Quõ.

Magiſter ſent. diſt. 8. et 9. diſt. 8.

ſacramentum ipſum, ideſt ipſam ſpeciem ſacramentalem, inuiſibilis gratiæ uiſibilem formam, quod eſt ſacramentum propriè dictum, & tantùm eſt ſacramentum: diſtinguit unam rem huius ſacramenti, uidelicet contentam & non ſignificatam, quæ eſt caro Chriſti, quam de Virgine traxit, & ſanguis, quem pro nobis fudit: atque diſtinguit aliam rem huius ſacramenti, uidelicet ſignificatam & non contentam, quæ eſt unitas Eccleſiæ in prædeſtinatis, uocatis, iuſtificatis, & glorificatis. Deinde ait, Et ſicut duæ ſunt res illius ſacramenti, ita etiam duo modi manducandi. Vnus ſacramentalis, ſcilicet quo boni & mali edunt; alter ſpiritualis, quo ſoli boni manducant. Poſtremò ibidẽ quoad manducationem ſpiritualem, ponit multa ex Aug.

Ruardus Tapper, Catholicus ille uir, & bene doctus, uolens tractare illam domini ſententiam, Niſi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. & intendens explicare capitis ſexti apud Ioannem germanum ſenſum, An uidelicet intelligatur de ſacramentali manducatione & potu, carnis & ſanguinis Domini? an ſpirituali tantùm? duas ponit uarias ſententias catholicorum doctorum, quaſi extremas, ſeu oppoſitas: & ſuper illas dicit ſuam quaſi mediam, & illas ambas quodammodo per abſtractionem, & quandam continentiam, amplectentem. Prima ſententia eſt Ioannis Roffenſis in prologo quinti libri aduerſus Oecolampadiũ, ubi docere ipſe auctor catholicus contendit, caput ſextum apud Ioannem, à ſententia Saluatoris, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi uita. intelligendum eſſe de ſacramento corporis & ſanguinis domini. Quaſi ab eo loco totus ſermo ſit de pane, qui eſt caro Domini, & de eius ſanguine: quæ uerò præcedunt, nullam carnis uel ſanguinis faciant mentionem, ſed panis, qui de cœlo deſcendit, & quem Pater dedit. Iſtam ſententiam conatur probare ipſe auctor catholicus trifariam. Primò ex unanimi patrum conſenſu, qui ſic interpretantur. Secundò ex neceſsitate corporalis uſus ſacramenti præter fidem. Tertiò ex ipſius Chriſti uerbis & ſcripturarum circunſtantiis. Eandem intelligentiam tribus etiam rationi-

Ruardus art. 15. Ioan. 6.

Tres ſententiæ de proprio ſenſu illius uerbi Domini, Niſi manducaueritis, &c.

Sententia 1. Roffenſis.

Sententia 2. Caietani. bus confirmat, & latissimè prosequitur omnia. Secunda sententia est Caietani, qui in libello de communione sub utraque specie contra illum intellectum sexti capitis apud Ioannem, fortiter pugnat, & constanter pronunciare audet, quòd salua fide non potest intelligi caput hoc, & sententia citata, de Sacramento Eucharistiæ. Refert enim errorem Boëmorum, & in oppositum ait. Nos autem dicimus hæc Christi uerba secundum germanum sensum, non esse intelligenda de usu Eucharistiæ, immo nec posse intelligi, salua Christiana fide, de cibo & potu sacramentali. Probat ipse auctor Catholicus istam suam sententiam, dicens, Et hoc facilè manifestatur ex eo, quòd si intelligeren tur de Eucharistia, tolleretur baptismi sufficientia ad salutem. Pari siquidem modo hæc necessitatem sonant edendi carnem, & bibendi sanguinem filij hominis, quo sonant alia illa Domini uerba necessitatem nascendi ex aqua & Spiritu. Et propterea manifestè sequitur, quòd si in istis uerbis indicitur necessitas sumendi Eucharistiam, non sufficit baptisma ad salutem, nec nisi simul Eucharistiam sumat, uitam habere possit. Cuius contrarium non solùm in Symbolo fatemur, confitemur, confitentes unum baptisma in remissionem peccatorum; sed dominus in Euangelio dicit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et Paulus Apostolus, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Hæc ille. Eandem sententiam tenet in commentariis super sanctum Thomam in suis partibus, ut ex superius dictis constat satis. Ita igitur probat sententiam hanc Domini, Nisi manducaueritis, &c. ad litteram esse intelligendam de manducatione spirituali, quæ consistit in actibus internis fidei & charitatis: abstrahendo tam à manducatione sacramentali, quàm à manducatione spirituali sacramenti in re uel in uoto: hoc est, intelligendam esse de manducatione, nullo sacramenti habito respectu, quomodo patres ueteris testamenti Christum spiritualiter manducabant, & animæ sanctæ nunc in cœlis. Nititur Caietanus probare hoc, Primò ex textu Euangelij, secundò ex contextu eiusdem, tertiò auctoritate sanctorum, & præcipuè Beati Augustini. Dicit multa Caietanus ad idem, sed di-

cta sufficiunt modò. Tertia sententia & quasi media inter istas, est Ruardi Tapper, de hac re grauissima ita dicentis, In hac magna & apparente sententiarum diuersitate circa magnum hoc mysterium sacræ Eucharistiæ, mihi uidetur conformius textui Euangelico, quòd ipsum intelligamus secundum propriam uerborum & sermonis Christi significationem. Loquitur enim in genere de manducanda carne, & bibendo sanguine Filij hominis. Generalem autem & absolutum Dei sermonem, non est nostrum restringere ad sacramentalem manducationem & potum, uel spiritualem tantùm, cum utranque suis uerbis Dominus complectatur. Quod itaque dicit Cardiualis Caietanus Dominum loqui de manducatione spirituali, abstrahendo tam à manducatione sacramentali, quàm à manducatione spirituali sacramenti in re uel uoto: uerius mihi dicendum uidetur quòd de manducatione spirituali loquitur, non abstrahendo, quin potius complectendo, sicut genus complectitur specie, tam manducationem sacramentalem & spiritualem sacramenti in re uel in uoto, quàm merè spiritualem, nullo ad sacramentum respectu habito. Et secundum hanc intelligentiam, quam credo habuisse Cardinalem Caietanum, non oportet pro singulis his modis manducandi uniuersa, quæ hic dominus dicit uerificari, sed sufficit quòd pro aliquo eorum: uniuersa uerò de esu & potu in genere. Sancti, quos citat Episcopus Roffensis, interpretando accommodant uerba Saluatoris ad esum & potum sacramentalem, maximè quia in eorum ecclesiis mos obtinebat, quòd sub utraq; specie toti populo sacramentũ ministraretur: & quia perfectissimus est is modus mãducandi carnẽ & bibendi sanguinẽ substantialiter sub sacramento præsentem, & uerba Saluatoris in sacramentali manducatione, plenius & perfectius implentur, atque cum fructu maiore. Frequens est, quod in homiliis scripturas accomodent doctores pro captu & ædificatione auditorum. Nam quod dicit dominus, Panis, quem ego dabo, caro mea est, quã, inquam, dabo in cibum, illa est eadem mea caro, quam in cruce dabo pro mundi uita. Dat autem hanc carnem in cibum & refectionem edendam atque masticandam fide &

Sententia 3. Ruardi.

charitate. Attenta nãque meditatio carnis pro nobis passæ & mortuæ, cor hominis plurimùm confirmat, magis tamen si realiter edatur in sacramento. Quòd uerò dicit Caietanus hæresim sequi, si intelligatur de sacramento, uerum dicit, si generalis esset intelligentia, comprehendens omnes Christianos etiam infantes, & intelligeretur de manducando & bibendo sub propriis speciebus. Sed hoc modo non intelligit Roffensis Episcopus. Hæc tamen uidetur realis inter has sententias esse differentia, quòd secundum Roffensem sub his uerbis, Nisi manducaueritis carnem &c. diuinum traditur præceptum sub altera specie, ad minus panis uel uini sacramentum suscipiendi. Secundum Caietanum uerò ex uerbis illis hoc colligi non potest. Hæc Ruardus. Multæ ac uariæ sunt istæ doctorum catholicorũ, sententiæ, circa proprium sensum, germanum & literalem

Ioan. 6. illius uerbi Domini, Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Sed tamen profectò hoc in præsentia nobis sufficit, quòd & si illi doctores & alij in ea intelligentia literali differentes sint, omnes tamen absque controuersia in has duas ueritates conformes ueniunt, nullo excepto: in alteram, quòd non tenentur laici ad communionem sub utraque specie, etiam si sint adulti. In alteram quòd paruuli nullo modo tenentur ad communionem Eucharistiæ sub specie aliqua. Hoc est de quo agimus, & in hoc omnes sunt conformes: etiam illi, qui aliàs differentes sunt, & in multis uariant. Signum manifestum, quòd ista ueritas est omnibus nota: ex quo doctores catholicos in aliis rebus differentes, trahit ad se, nec circa se eos differentes esse finit.

Materia hæc grauißima, gratia maioris explicationis, ulterius uentilatur, ac pertractatur. CAP. III.



Yprianus, & Innocentius in epistola ad concilium Mileuitanum, & beatus Augustinus in De peccatorum meritis & remißione, ista uerba Domini Saluatoris nostri, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis

beritis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. intelligunt ut etiam infantes complectantur, qui nec sacramentaliter manducare possunt sacramentum accipiendo; nec spiritaliter, credendo & amando? Respondemus multis modis, Primùm, quòd illa uerba Domini illi sancti doctores intelligunt referenda esse ad rem sacramento Eucharistiæ significatam & non contentam, quæ est societas, siue unitas in corpore Christi siue Ecclesiæ, non propriè ad signa sacramentalia, quæ nondum tunc erant, sed postea fuerunt à Christo instituta: tãquam ibi per carnem Christi manducare, & sanguinem eius bibere, significetur corpori Christi mystico incorporari. Quem effectum confert etiam profectò sacramentum baptismi, immo & suo modo sacramenta omnia nouæ legis: sicut docet Dionysius Areopagita in De Ecclesiastica Hierarchia, dicens, Vnaquæque sacramentalis institutio id agit, ut nostras uitas in plura diuisas, in unicum illum statum, quo Deo iungimur, colligat; nobisque eius, quod uerè unum est, societatem unitatemq; indiuiduam largiatur. Et Apostolus Paulus significans istum effectum quasi communem esse diuinorum sacramentorum, cum dixisset, Vnum corpus & unus panis multi sumus, omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. simili modo dixit, Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sacramento baptismi tribuens, quod prius ascripserat sacramento Eucharistiæ. Etiam beatus Cyprianus ad Quirinum, uolens probare, quòd nemo ad regnum Dei accedat nisi baptizatus, duas tantùm citat scripturas, uidelicet, Nisi quis renatus fuerit, &c. &, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c. Satis insinuans hanc sententiam posteriorem non propriè ad signa, sed ad rem siue effectum sacramenti Eucharistiæ esse referendam; quem etiam confert sacramentum baptismi. Simili modo Innocentius Papa scribens ad concilium Mileuitanũ, dicit, Illud, quod eos uestra fraternitas asserit, prædicare paruulos æternæ uitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducauerint carnem Filij hominis, & biberint eius sanguinem, non habebunt uitam in

Dionysius. cap. 3. par. 1.

1. Cor. 10.

Cyprian. lib. 3. cap. 25.

Inter epist. August. Epist. 106.

ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, uidentur mihi ipſum baptiſmum uelle caſſare, cum prædicant hos habere, quod in eis creditur, non niſi baptiſmate conferendum. Auguſtinus iſtam Innocentij ſententiam ualde celebrat, nominatim ac frequenter citat, & illam uocat Apoſtolicum teſtimoniũ: ſemper, aut ſæpe tenens illud uerbum Domini ad omnes etiam paruulos pertinere, ſecundum quòd paruuli baptizati, iam Chriſto incorporati ſunt, & ſic ſpiritaliter carnem eius manducant.

Ad art. 5. *Li. 3. de ſacramentis. cap. 4.*

Vt ſuprà diximus, idem auctor ſeſe clariſsimè explicat, dicens, Niſi manducauerint homines carnem eius, hoc eſt, participes facti fuerint corporis eius, non habebunt uitam. Et concludit, Non igitur ſolùm in regnum Dei non baptizati paruuli intrare non poſſunt, ſed nec uitam æternam poſſunt habere præter Chriſti corpus, cui ut incorporentur, ſacramento baptiſmatis imbuuntur. Hoc enim agitur cum paruuli baptizantur, ut incorporentur Eccleſiæ, ideſt, Chriſti corpori membriſque ſocientur. Denique ipſe Saluator dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. oſtendit quid ſit, non ſacramento tenus, ſed re uera corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere. Hoc eſt enim in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. Hunc itaque cibum & potum ſocietatem uult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod ſancta Eccleſia, cuius rei ſacramentum, id eſt, unitatis corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in dominica menſa præparatur, & de menſa Dominica ſumitur, quibuſdam ad uitam, quibuſdam ad exitum. Res uerò ipſa, cuius & ſacramentum, eſt omni homini ad uitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit.

De ciui. Dei lib. 21. cap. 25. tom. 5. *Tract. 26. ſuper Ioã.*

Alibi, Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquenq; fidelem corporis ſanguiniſque Domini participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur: nec alienari ab illius panis caliciſque conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo, in unitate corporis Chriſti conſtitutus, abſcedat. Ita igitur conſtat iuxta illos doctores ſanctos nominatos, quòd illud uerbum Domini,

Citat Beda 1. Cor. 10. circa illud, calix benedictionis.

de quo agimus, si uniuersaliter accipiatur, prout etiam extendatur ad paruulos, nec de manducatione sacramentali, nec de spirituali, quæ fit per fidem & dilectionem actualẽ, sed de effectu solùm huius manducationis, qui est Christo incorporari, atque in corporis eius societate manere, intelligitur. Nec manducationis solùm, sed & sacri baptismi, hic est effectus: immo & quodammodo omnium sacramentorum, sicuti etiam dicit diuus Dionysius in De *Dionysius.* Ecclesiastica Hierarchia, quòd hoc uocabulum, Commu- *cap. 3. part. 1.* nio, siue Societas, & synaxis, siue collectio, aliis quoque uenerandis, diuinisque mysteriis, commune est, licèt augustissimo Eucharistiæ sacramento præcipuè ac peculiariter applicetur. Isto modo respondet Ruardus ad istam quæstionem, & simili modo sibi dicendum est ad Augustinum, quoties ipse sic loquitur, ut uideatur illud dictum Domini etiam de paruulis intelligere: quemadmodum cō- *lib. 1.* tra duas epistolas Pelagianorum, contra Iulianum Pela- *cap. 4.* gianum, atque in De peccatorum meritis & remissione, *lib. 1. cap. 2.* ex quo libro iam superius multa diximus. Ad Cyprianum *lib. 1.* etiam bene potuit ille doctor ita dicere, quoad illud eius *cap. 20.* dictum, quod allegauit ex illo loco ad Quirinum. Sed quid ad factum, quo certum est apud Cyprianum, illam puellulam à mensa dæmoniorum ad mensam Domini uenisse? Respondendum uidetur, quòd eo tempore ita fiebat in illo loco, non quasi Cyprianus putaret illud esse in præcepto, ut paruuli communicarent; sed ex quadam alia occasione & dispensatione, ut infrà magis declaratur circa dicta, & facta diui Cypriani.

Potest isto modo optimè responderi ad illam quæstio- *S. Tho.* nem grauissimã paulò ante motam, in §. præcedente. Verùm S. Thomas perpendens ista omnia, uidensque quòd Augustinus intelligit frequenter illa uerba Domini etiam de paruulis, & quòd sæpe illa uerba interpretatur in prædicto sensu spiritali, quantum ad effectum illius sacramenti qui est incorporari Christo, & quòd nonnunquam illa uerba accipit tanquam de sacramento Eucharistiæ dicta, ut in De consensu Euangelistarum & aliàs, docet tria quoad *lib. 3. cap. 1.* hoc. Docet, inquam, uel expresse docendo, uel tacite *tom. 4.*

omnibus istis doctrinis consentiendo, & secundum illas, suam doctrinam ordinando, ac explicando. Tanquam illud uerbum Domini extendatur ad paruulos quantum ad effectum sacramenti, qui est incorporatio illa prædicta ad corpus Christi mysticum: fatetur cum Augustino ad Bonifacium, quòd illud uerbum impletur in paruulis per baptismum. Tanquam autem illud uerbum Domini extendatur ad paruulos quantum ad ipsum sacramentum; fatetur quòd paruuli recipiunt sacramentum in uoto. Videns uerò quòd paruuli nihil habent in uoto, sicut neque intelligunt, neque uolunt, neque desiderant quicquam, propter eorũ incapacitatem: fatetur quòd illud uotum non est proprium illorum, sed alienum: id est, parentum, uel patrinorum, uel Ecclesiæ. saluans tamen quòd paruuli nullo modo tenentur ad susceptionem sacramenti Eucharistiæ in re, quandiu sunt ante annos discretionis, & ante usum rationis constituti. Hoc non patitur Caietanus, ut ipse uidetur innuere in dictis suis paulò ante allegatis: quasi sit in præiudicium baptismi, si quis dicat non saluari paruulum baptizatum, nisi habeat sacramentum Eucharistiæ in uoto. Possumus autem sustinere dictum sancti Thomæ multis modis, absque ullo præiudicio, immo cum laude. Primùm, quia baptismus non requirit illud uotum aut propositum recipiendi sacramentum Eucharistiæ, nisi tanquam dispositionem in baptizando: sicut requirit in illo pœnitentiam malæ uitæ præteritæ, ac propositum bonæ uitæ futuræ, si est adultus. Vnde non requirit illud uotum, nisi sicut requirit propositum bene uiuendi, ac seruandi legem Dei in futurum. Non est autem hoc, in præiudicium sacramenti baptismatis: nec hoc unquam aliquis putauit. Secundò, quia sacramentum baptismi non tantum hoc propositum suscipiendi sacramentum Eucharistiæ in paruulis requirit, quantum hoc propositum paruulis præstat in habitu. Quandoquidem nullum motum in paruulis requirit, nisi tantùm quòd ipsum baptismum suscipiant: & tamen ipsos paruulos suo modo instrumentali regenerat, & illis gratiam, fidem, spem, charitatemque secundum habitum tribuit: ut habetur in De baptismo & eius effectu, atque in

Margin notes: par. 3. quæst. 80. art. 9. — Ibid. — Ibid. — c. Maiores. c. Vnico.

De summa Trinitate & fide Catholica in Clementinis. Charitas autem est habitus diligendi, & est principium seruandi legem, immo & est finis totius legis; sicut manifestè dixit Saluator noster apud Matthæum, & post ipsum Apostolus eius Paulus frequenter. In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Qui diligit proximum, legem impleuit. Plenitudo ergo legis est dilectio. Finis autem præcepti, est charitas de corde puro. Ergo quod paruulus habeat uotum suscipiendi Eucharistiam sacratissimam secundum habitum perfectissimum, qui est charitas infusa, quam diffundit Deus in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, non est in præiudicium baptismi, sed potius est in eius laudem. Non enim tale uotum aut propositum habituale requirit in paruulo baptizando, sed illud præstat paruulo baptizato. Quæ tanta uis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Abluit in uirtute Dei, in qua & ipsum cor suo modo instrumentali sanctificat & iustificat, & bonos habitus ei præstat.

Matth. 22.
Roma. 13.
1. Timo. 1.
Rom. 8.

Quid ergo nos in isto loco inter sic uarias doctorũ catholicorum sententias dicere possumus? Placeret mihi in corde meo, ut sanctum istud concilium, nullum uerbum poneret aut in canonibus aut in doctrina, quo significaretur ipsum uel probare alteram istarum sententiarum, & reprobare aliam, uel magis acceptare alteram, quàm alteram. Moueor ad istam sententiam nonnullis rationibus, Primùm, quia utraque harum opinionum duarum habet suos & auctores & defensores graues, tum antiquos, tum recentiores, & quælibet habet suas rationes, fundamentaq; non contemnenda: ut hæc omnia constant satis ex dictis, & possunt constare abundantius in ipsis doctoribus. Secundò, quia ipsimet doctores, qui in aliquibus locis uidentur intelligere illa uerba Domini de mãducatione spiritali: ipsimet alibi uidentur intelligere illa uerba Domini de manducatione sacramentali, uel de spiritali in ordine ad sacramentalem. Augustinus enim, qui in plerisque locis uidetur intelligere illa uerba Domini de manducatione spiritali, ut in De doctrina Christiana, in de Peccatorum meritis & remissione, & alibi frequenter: idem in de Consensu Euan-

Augustinus lib. 3. cap. 16. tom. 3.

lib. 3. cap. 1. tom. 4. geliſtarum uidetur intelligere illa uerba de manducatione ſacramentali. nanque in De doctrina Chriſtiana, dans regulas intelligendi ſacram ſcripturam, ut iam dictum eſt, inquit, Si præceptiua locutio eſt, aut flagitium aut facinus uetans, aut utilitatem, aut beneficientiam iubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam uetare, figurata eſt. Niſi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis uitam in uobis: facinus uel flagitium uidetur iubere. Figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata ſit. In de conſenſu autem Euangeliſtarum ait, agens de cœna Domini, Hinc igitur incipiamus ſecundum Matthæum, Cœnantibus autem eis, accepit IESVS panem & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis & ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Hæc & Marcus Lucasque commemorant. Infrà, Ioannes autem de corpore & ſanguine Domini hoc loco nihil dixit, ſed planè alibi multò uberius hinc Dominum locutum eſſe teſtatur. Hæc ille. Conſtat autem Ioannem Euangeliſtam, nullibi fuiſſe locutum de iſto myſterio, præterquàm in illo ſexto capite, de quo eſt ſermo. Qui conſiderat iſta uerba omnia Auguſtini, & propoſitum in quo loquebatur, uidet quàm grauis ſit huius rei conſideratio: præſertim quia explicans regulas intelligendi ſacram ſcripturam, & exemplificans de figuratis locutionibus, ponit iſtam in de doctrina Chriſtiana: & in de conſenſu Euangeliſtarum, ubi debebat loqui in proprio ſenſu; fatetur Ioannem locutum fuiſſe de corpore & ſanguine Domini uberius quàm alij Euangeliſtæ, qui de illo in cœna ſolùm locuti ſunt, id eſt, ſub ſacramento. S. Thomas mouit quæſtionem, Vtrùm omnia ſacramēta ſint de neceſsitate ſalutis? Arguit ſecūdò ad partem affirmatiuam ex iſto uerbo Domini; & reſpondet, quòd illud uerbum eſt intelligendum de ſpirituali mãducatione, & non de ſola ſacramentali, ut Auguſtinus exponit. Idem quærit, Vtrùm Euchariſtia ſit de neceſsitate ſalutis? arguit primùm ad partem affirmatiuam ex eodem

S. Tho. par. 3. quæſt. 65. art. 4. ad 2. arg.

par. 3. quæſt. 73. art. 3.

uerbo Domini apud Ioannem, & respondet, Quòd sicut *ad 2. arg.*
Augustinus dicit exponens illud uerbum Ioannis, Hunc cibum & potum, scilicet carnis suæ & sanguinis societatem uult intelligi corporis & mẽbrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis, & uocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius. Vnde sicut ipse dicit in epistola ad Bonifacium, Nulli est aliquatenus ambigẽdum, tunc unumquenque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisq; consortio, etiam si antequàm panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Hæc ille. Quibus uidetur magis ad eam partem declinare, qua illa uerba de manducatione spiritali intelligat. Idem tamen auctor fatetur, tum ubi suprà statim, tum alibi, quòd istud sacramentum sit necessarium omnino ad salutem, saltem in uoto: & quòd pueri in uoto Ecclesiæ illud habent, sicut ex intentione Ecclesiæ ad illud ordinantur. Et probat quòd non licet omnino à communione cessare, ex eodem uerbo Domini, Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sannem, non habebitis uitam in uobis. Quibus satis palàm uidetur docere, hæc uerba Domini intelligenda esse de mãducatione sacramentali, uel de spiritali in ordine ad sacramentalem. Tertiò ad hoc moueor, quia utraque sententia harum saluat omnia, quæ pertinent ad fidem catholicam & mores Christianos: præsertim uerò saluat utraque, has duas conclusiones, de quibus agimus: alteram, quòd nullum est ius diuinum, quo teneantur omnes Christi fideles ad communionem utriusque speciei: alteram, quòd nullum est ius diuinum, quo teneantur paruuli ante usum rationis, ad realem seu sacramẽtalem sumptionem Eucharistiæ, sub aliqua specie. Quum igitur utraque opinio saluet hæc specialiter, & generaliter saluet omnia pertinentia ad fidem & religionem Christianam; uidetur mihi quòd utraque debet manere salua, sub lite, iudice, & opinionibus ac disputationibus doctorum, ut modò est. Quartò ad id moueor, quia uideo nonnulla esse loca diuinarum

par. 3. quæst. 73. art. 3.

ibid. quæst. 80. art. 11.

scripturarum, quæ plures habent sensus literales, saltem
Abulensis. duos: ut bene notauit & probauit Abulensis super Mat-
Matth. 2. thæum, circa illud, Tunc adimpletum est quod dictum est
Hiere. 31. per Hieremiam prophetam, dicentem, Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, &c. Dicebant enim Iudæi olim auditam esse uocem illam de sepulchro Rachelis, cùm captiuus duceretur populus Hebræorum: & sic impletam esse illam Hieremiæ prophetiam, illo tempore. Quo non obstante, immo & concesso, illum fuisse sensum literalem; adhuc nobis dicendum est alium sensum literalem eius loci esse de uoce audita in morte Innocentum, & de nece eorum. Quia sic legimus, Tunc adimpletū est, &c. Si tunc adimpleta est illa scriptura; ergo ille erat literalis eius, quem in ipsa intendebat Spiritus sanctus, & scriptor eius. Idem habetur in illo uerbo,
Exod. 12. Os non comminuetis ex eo, &c. Non potest esse dubium, quin ad literam intelligeretur de agno paschali typico, seu figuratiuo: sed simul non potest esse dubium, quin etiam
Ioan. 19. ad literam intelligeretur de Saluatore nostro, Quia dicit diuus Ioannes, Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur, Os non cōminuetis ex eo. Ecce hæc facta sunt, ut illa scriptura impleretur: igitur ille erat sensus literalis illius. Sic autem sequitur manifestè, illam scripturā habuisse duos sensus literales. Non disputo, An scriptura habeat aliquādo plures sensus ex æquo? uel alius sit primarius, alius secūdarius, alius principalis, alius minus principalis: sed id tātùm probo, atq; demonstro, quòd sacra scriptura aliquando plures sensus literales habet. Nec dicerem generaliter illū sensum esse literalē, quem intendit Spiritus sanctus utcunque: sed illum, quem Spiritus sanctus intendit, cum aliquali expressione uerborum. Alioquin si nullo modo exprimatur, licèt intendatur: erit quidē intentus, sed non erit literalis. Quomodo potest dici sensus literalis, qui nullo modo exprimatur, aut innuatur in litera? Quod si in litera innuitur, & à Spiritu intēditur, proculdubio literalis est. Ergo non ab eo longè sumus, quo credere aut cogitare possimus, istā sacram literam, de qua agimus, habere istos duos sensus, in quibus loquuntur patres, & ambos literales.

Affertur

Affertur responsio ad secundam in ordine obiectionem. C. IIII.



AD secundum obiectum aduersariorum, quod est ex illis uerbis domini, Accipite & manducate. Accipite, & bibite ex eo omnes. Hoc facite in meam commemorationem. Respondemus quòd in istis uerbis diuinis, nullum prorsus est præceptum de communicando laicos sub utraque specie, uel sub specie uini. Primùm, quia in istis uerbis diuinis nulla fit mentio de pane aut uino, nec de speciebus panis aut uini; sed tantùm de corpore & sanguine, quorum utrunque perfectè sumitur, etiam si sub altera tantùm specie sumatur. Non enim magis continetur sanguis sub specie uini, nec ibi est magis potabilis, quàm sub specie panis: nec magis continetur corpus sub specie panis nec ibi est magis manducabilis, quàm sub specie uini. Vtrobique enim est totus Christus, corpus, caro, ossa, & sanguis, diuinitas & humanitas: non modo aliquo extenso aut quantitatiuo, nec in modo alicuius densi aut fluidi, duri aut mollis: sed sacramentaliter, modo inextenso, & indiuisibili. Et quia ista responsio satis constat ex iam dictis, modò de illa non plus: faciunt enim pro illa & illam confirmant, omnia statim adducta: de sensu literali accipiendo & obseruando, atque de non mutando nec adulterando uerbo Christi. Est autem mutare & adulterare, si quod ipse dicit de corpore & sanguine, nos dicamus de pane & uino, aut de speciebus panis aut uini: quæ species & si uerè sint sacramentum, non tamen sunt ullo modo corpus aut sanguis Saluatoris nostri. Continent enim corpus & sanguinem. Sed non sunt corpus & sanguis. Secundò probatur responsio, quia ista uerba Domini, solis Apostolis dicta sunt. Soli enim cum Christo erant ad mensam, Apostoli eius, ut constat ex sacris Euangelistis, qui de solis duodecim discipulis faciunt mentionem. Matthæus dicit, Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit, Amen dico uobis, &c. Marcus ait, Vespere autem facto,

Probatio 1. respon.

Proba. 2. respon.

Matth. 26.

Marci 14.

uenit cum duodecim. Et discumbentibus eis & manducan-
Lucæ 22. tibus, ait IESVS, Amen dico uobis, &c. Lucas inquit, Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare uobiscum, &c. Quia igitur soli Apostoli erant præsentes, ad solos Apostolos ista uerba debent intelligi dicta, quibus præsentibus per uerbum imperatiui, & in secunda persona loquebatur Christus: ad solos, inquam, Apostolos, & eos, qui in loco, uel sacerdotali ministerio Apostolis succederent. Iterum solis Apostolis hæc uerba dicta sunt & eorum successoribus in sacerdotio, non ad laicos, nec ad totum populum: quia non pertinent ad generales mores hominum, sed ad speciale ministerium consecrandi & sumendi corpus & sanguinem Christi uerum: sicut constat in illo uerbo, Hoc facite in meam commemorationem. Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Quod uerbum est absque dubio, collatiuum potestatis, offerendi & consecrandi corpus Christi uerum. Nam si nõ, sequeretur quòd nulla talis potestas sit in Ecclesia, cum nullibi aliàs ipsa potestas reperiatur nobis hominibus data. Non igitur intelliguntur illa uerba de omnibus ac singulis de populo Christiano, quia non pertinent ad communes mores, sed ad particulare ministerium, officium, ac dignitatem. Solis Apostolis rursus intelliguntur dicta illa uerba omnia, Accipite & manducate, Hoc facite in meam commemorationem. Accipite & bibite ex hoc omnes, quia ab eadem persona sunt dicta, in eodem loco, in eodem tempore, eodem modo loquendi, eisdem personis. Quid inde? Multum inde. nanque ex hoc sequitur euidenter, eisdem dici, Accipite & manducate, Accipite & bibite: quibus dicitur, Hoc facite in meam commemorationem. & eisdem dici, Hoc facite in meam commemorationem. quibus dicitur, Accipite & manducate, Accipite & bibite. Vnde si in illo uerbo, Accipite bibite. intelliguntur omnes fideles, etiam laici, eodem modo, eadem ratione, & eadem demonstratione probabitur intelligi omnes fideles etiam laicos, in illo uerbo, Hoc facite in meam commemorationem. Etenim eisdem loquebatur

Christus in utroque uerbo, eodem tempore continuato, eodem loco, in eodem actu, eadem serie uerborum, eodem modo loquendi, eademque seruata phrasi. Nunquid ergo, in illo uerbo, Hoc facite in meam commemorationem: possunt intelligi omnes fideles, etiam laici? Absit. est enim uerbum collatiuũ potestatis sacerdotalis, & ideò si in illo intelligerentur etiam omnes fideles laici, omnes & singuli fideles etiam laici fuissent tunc sacerdotes à Christo instituti, sicut ipsi Apostoli: qua doctrina, non potest alia esse magis falsa, magis impia, aut magis Christiani populi perturbatiua. Non enim in illa cœna fuerunt omnes & singuli fideles Christiani instituti sacerdotes, sed soli Apostoli, qui præsentes erant, & quibus Christus illud uerbum dixit, ac talem potestatem sacerdotalem consecrandi corpus & sanguinem Christi uerum præstitit. Satis manifestè habetur ista nostra doctrina Catholica & uerissima in diuinis scripturis. Etiam doctores sancti, & antiqui, & neoterici, nonnulla prædicant, exaltant, atque commendant in hac sacerdotali potestate consecrandi & offerendi corpus & sanguinem Christi uerum. Primùm quòd auctoritas siue potestas huius modi consecrandi, omnium nobilissima est, Ecclesiæ militanti concessarum; propter quam meritò sacerdotium uenit extollẽdum; cuius dignitas eximia nullis ualet uerborum pompis explicari: quoniam & linguas uincit oratorum disertissimas, & culmen eminentiæ cuiuslibet creaturæ. Ambrosius in suo pastorali, Honor fratres, & sublimitas Episcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari, &c. Gregorius exclamat ad sacerdotes pro dignitate eorum, & inquit, O' ueneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus uelut in utero Virginis, filius Dei incarnatur. O' sacrum & cœleste mysterium, quod per uos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus operatur, &c. Bernardus etiam, O' uenerabilis sanctitudo manuum, ô fœlix exercitium, ô uerè mundi gaudium, cum Christus tractat Christum, sacerdos Dei filiũ. Hieronymus in quadam epistola, Clamat uestis clericalis animæ honestatem, clamat status puritatem, clamat cultus castitatem, clamat professio religionem, clamat offi-

Vel etiam discipuli doi septuaginta, si præsentes erãt, ut quidam uolũt.

Excellentia potestatis sacerdotalis.

Ambrosius in pastora.

Gregorius 4. li. dialo. cap. 50.

Bernardus

Hierony.

cium deuotionem, clamat ſtudium contemplationem. Si autem comparamus, multæ elici poſſunt dignitates & præeminentiæ Euangelici ſacerdotis, ſuper ſacerdotem Moſaicæ legis: quoniam excellit in benignitate electionis, ſolennitate conſecrationis, nobilitate ordinis, precioſitate operis, ſingularitate nutritionis, poteſtate regiminis. Secundum, quod commendant, eſt, quòd hæc tanta, digniſſima & ſumma poteſtas celebrandi, non eſt ſummis Eccleſiæ Hierarchis, Epiſcopis uidelicet, & aliis maioribus Prælatis reſeruata; quibus reſeruatur miniſtratio ſacramenti confirmationis, & pariter ſacramentum ordinationis.

Euſebius De conſecr. diſt. 5. c. Manus.

Aſsignant etiam multas rationes, quibus hæc tanta poteſtas non eſt ſolis maioribus reſeruata; ſed eſt etiam omnibus ſimplicibus ſacerdotibus data. De his Alex. de Ales; & S. Thomas in ſcriptis. Tertium eſt, quòd hæc poteſtas non eſt laicis, etiam quantumlibet iuſtis conceſſa. Ad idẽ eſt iuxta diuinas ſcripturas, tota ſchola Chriſtiana ſimul: ubi ſpecialiter dicit Scotus, ſine omni dubitatione, ſolis ſacerdotibus tradita eſt poteſtas conſecrandi. In de Summa Trinitate & fide Catholica, dicitur ex conſtitutione Innocentij tertij, in concilio generali. Hoc utique ſacramentum (loquitur de ſacramento Euchariſtiæ) nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundum claues Eccleſiæ, quas ipſe conceſsit Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus IESVS Chriſtus. Ipſe in ultima cœna dixit Apoſtolis, Accipite & diuidite inter uos. Gloſſa, Accipite & date. Ex his uerbis Domini diſcretione ad Apoſtolos directis, patet quòd ſolis Apoſtolis immediatè hanc dedit poteſtatem. Conſtat etiam de dignitate ſacerdotali, atque de ordinatione alicuius in ſacerdotem, quòd illa non ſit data omnibus, ſed quibuſdam, qui ad hoc munus eliguntur: ut eſt uidere apud epiſtolas Pauli, Petrique, & aliorum, ut Iacobi. Meminit etiã de hoc Dionyſius Areopagita in de Eccleſiaſtica Hierarchia, Hugo à S. Victore, Alexander de Ales, Auguſtinus ad Parmenianum. Nec Paulus pauca dixit de ordinatione Epiſcoporum, ac preſbyterorum. Agit de iſtis omnibus uenerabilis ille uir & doctiſsimus Gabriel Biel, in ſuo opere ſuper canonem Miſ-

Alexand. de Ales. S. Tho. lib. 4. diſt. 13. quæſt. 1. Scotus. lib. 4. diſt. 3. quæſt. 2. c. Firmiter. Luca 22. Gloſ. Dionyſius. c. 3. & 6. Hugo. Alexand. Auguſt. Ad Titum & Timot.

sæ: & ibi notat multa, ualde notanda ad præsentis ueritatis declarationem, ac probationem. Ergo illud uerbum, Hoc facite in meam commemorationem. nullo modo potest intelligi de omnibus & singulis Christi fidelibus, ne cõfundamus omnia, ne destruamus, confundamus, aut adulteremus uerbum Dei. Perinde nec illud uerbum, Accipite & bibite ex hoc omnes. potest de omnibus, & singulis Christi fidelibus intelligi. De ambobus enim istis uerbis Domini est eadem ratio, ut constat ex dictis. Constat etiam quòd dum Saluator dixit, Accipite, & bibite ex eo omnes: solos Apostolos intellexit. nam cum statim in eadem cœna omnes Apostoli bibissent, dixit Marcus Euangelista, Et biberunt ex illo omnes. Vnde sicut legimus, Bibite ex hoc omnes. sic legimus, Et biberunt ex illo omnes. Significaturi nanque expresse, quòd tunc statim fuit impletum illud præceptum, cùm omnes Apostoli biberunt. Maximè etiam est aduertendum, quòd cùm Dominus suis Apostolis suum proprium sanguinem sub specie uini impertitus est in cœna, prius illos iamiam sacerdotes ordinauerat: etenim ante calicis exhibitionem eis dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Quo uerbo suo diuino, illos sacerdotes creauit, instituit, ordinauit, ac fecit. Sed & de hac manifesta ueritate, fortè magis in sequentibus. Ostenditur enim paulò pòst, quòd nullo modo possunt omnia uerba Saluatoris nostri intelligi esse dicta omnibus & singulis Christianis: quando agitur ex illo uerbo Domini, Quod uobis dico, omnibus dico, Vigilate.

Gabriel lec.4. & 5.

Marci 14.

Respondetur tertiæ obiectioni, quæ habet, quòd cùm Christus instituerit totum sacramentum integrum ex speciebus panis & uini, toti Ecclesiæ, non eius parti: debet integrè dari laicis, qui etiam sunt pars Ecclesiæ. CAP. V.



Diuina institutio sacratissimi Eucharistiæ sacramenti integri sub utraque specie, constat ex diuina scriptura manifesta: sed ex illa institutione nullo modo sequitur, quòd laici teneantur aliquo præcepto diuino ad utran-

que speciem integri sacramenti percipiendam. Probatur ista nostra ueritas catholica ex multis etiam, quemadmodum & ex multis iam probatæ sunt aliæ nostræ ueritates præcedentes. Ad hoc enim est primùm, quia nihil ualet consequentia, qua quis ita formet argumentum, Deus instituit aliquam talem rem, uerbi gratia, A. bonam, utilem, ac proficuam sumenti: ergo omnes & singuli tenentur illam rem sumere. Non ualet, inquam, talis argumentatio, quia potuit Deus illam rem sic bonam instituere, nolens tamen aliquam personam ad sumptionem illius obligare: sed usum illius rei, siue sumptionem eius relinquendo liberam, uel liberum. Sic profectò, institutio non infert præceptum. Ita & nos uidemus tum sacramentum ordinis, tum sacramentum matrimonij, institutum à Deo, & nullum uidemus diuinum præceptum, quo ad illa sacramenta percipienda teneantur omnes & singuli Christi fideles. Sic etiam multi doctores scholastici in suis sententiis, quãuis uideant sacramenti confirmationis institutionem ac utilitatem: non tamen homines dicunt alio modo teneri ad illud suscipiendum, nisi quo tenentur illud non contẽmnere. Et si aduertimus, quasi eodem modo loquuntur de omnibus sacramentis, quæ non sunt instituta immediatè siue directè contra peccatum, sed ad augmentum gratiæ, uel ad aliquid aliud. Deinde quia sacramentum huiusmodi habet multa alia officia præter usum eius, qui est per sumptionem, pro quibus omnes & singuli possunt illo uti, etiã si illud non acipiant per sumptionem. Est enim contentiuum corporis & sanguinis domini, est memoratiuũ dominicæ passionis pro nobis, & significat futuram refectionem in gloria, atque unionem seu incorporationem corporis Christi mystici. similiter & hoc sacramentum est sacrificium, continens illam sacratissimam hostiam, quam Saluator noster pro nobis obtulit, dans semetipsum redemptionem pro omnibus. Quapropter omnes & singuli Christi fideles possunt ex isto altissimo sacramento multa bona & multis modis reportare, etiam si illud in specie uini non communicent. Tertiò, quia & si laici non accipient speciẽ uini, non tamen illa perire potest; cum ex præcepto & di-

De hoc supra ĩ probatione responsionis ad art. 5.

uino, & humano, teneantur ſacerdotes ſpeciem uini, quam conſecrant, ſumere. Offertque ſacerdos pro ſe, & pro toto populo ſub utraque ſpecie, ut miniſter: atque ſimiliter & pro toto populo accipit, perſonam agens communẽ quodam modo. Eſt iſtud ſacramentum inſtitutum propter uſum eius, & non ſecus perfectio ſeu complementum huius ſacramenti in utraque ſpecie eſt propter perfectum eius uſum: ſed iſte perfectus uſus utique magis attenditur per ſumptionem ſacerdotis, offerentis, & miniſtri, quàm in ſumptione ſingularium perſonarum. Perfectus nãque uſus huius ſacramenti eſt, poſtquàm ſacerdos offert & communicat ſub utraque ſpecie: etiamſi nullus alius communicet, etiamſi nullus alius adſit. Ideò ſacerdotes habent præceptum de communicando ſub utraque ſpecie dum offerunt, & non alij: ſimiliter nec ſacerdotes non celebrantes, quia dum communicant non conſecrantes habent ſe ut quidam de populo, non ut miniſtri altaris & hoſtiæ. Iſta hoſtia cõſecrata mirabilis conſideratur multis modis, quia conſideratur ut ſacrificium, ut ſacramentum, ut communio, ut uiaticum. Etenim ut uiaticum, datur ſolis infirmis, & illis ſolis infirmis, qui in extremis ſunt aut extremè iamiam laborant: ut communio, datur omnibus uolentibus, & quando uolunt propter deuotionem aut obligationem: ut ſacramentum, oſtenditur & per populum aliquando defertur, ut uideatur, & adoretur: ut ſacrificium, offertur quotidie pro uiuis & mortuis, ut omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum. Siquis autem aduertat quare poteſtas ſeu auctoritas offerendi iſtud ſacrificium digniſſimum non fuerit reſeruata Epiſcopis aut aliis prælatis maioribus, ſed ſit conceſſa omnibus ſacerdotibus: cum tamen alia non maiora, ſed minora ſint Epiſcopis reſeruata: uidebit eo ipſo manifeſtè, quot, quantæ, qualeſque utilitates ſint in Eccleſia & toto populo ex iſto ſacrificio, etiamſi laici non communicent ſub utraque ſpecie. Decuit hoc ſacramentum etiam ut ſacrificium inſtitui, in memoriam illius unius ſacrificij, quod fecit ſemel Saluator noſter ſemetipſum pro nobis & pro peccatis noſtris offerendo, & extra portam patiendo: & ſecundum hoc decuit conſequẽ-

De nominibus huius ſacramenti ſecundũ uarias conſiderationes dicitur ĩ fine huius reſpõſionis.

ter sanguinem sub alia specie offerri uini, licèt simul offeratur sub specie panis, ut sub alia specie etiam oblatus expresſius significaret effusionem sanguinis in pasſione factã. Vt significantius, non tamen efficacius, haberet rationem sacrificij pro peccato, quod nec factum est, nec solebat olim fieri sine sanguinis effusione. Ex hac oblatione quotidiani defectus nostri reparantur, penæ animarum in Purgatorio existentium mitigãtur, redemptionis beneficium repræsentatur, & ad memoriam reducitur. De his multa Scotus bene dixit & in libris sententiarum, & in quolibeticis quæstionibus: multa etiam Gabriel Biel in suo opere super Canonem missæ, & in multi alij. Et Innocentius dicit, Dedit nobis dominus, ut quia quotidie peccamus, & ipse iam mori non potest, per hoc sacramentum, quod in memoriam mortis accipimus, in remisſionem peccatorum quotidie consequamur. Augustinus siue Gregorius, ad Bonifacium, uocat istud sacramentum à sacerdote oblatum, oblationem. Gregorius in moralibus, uocat illud uictimã: & declarat exemplis efficaciam eius in subueniendo etiam defunctis. Bona denique multa sunt huius sacramenti, quæ omnibus fidelibus, tum uiuis, tum defunctis accrescũt ex opere operato, de quibus Sanctus Thomas, Scotus, & tota schola Christiana simul abundè tradunt, ostendentes etiam quomodo hæc res altisſima operatur & ualet ut sacramentum, quomodo insuper ut sacrificium: quia ut sacramentum ualet sumentibus, ut sacrificium autem ualet etiam non sumentibus. Gabriel Biel per multa agit optimè de re huiusmodi, ostendens primùm fructus huius sacrificij quoad uiuos, & deinde fructus eiusdem quoad defunctos, seu quoad animas defunctorum fidelium. Pro tota ergo Ecclesia institutum est hoc sacramentum totum integrum, & toti Ecclesiæ prodest, etiam si non sumatur totum à tota Ecclesia sub utraqúe specie sacramentaliter.

Scotus lib. 4. dist. 8. quæst. 1. Quoli. Gabriel lect. 5.

13 q. 2. Animæ. lib. 4. c. 54. 56. 57.

S. Tho. lib. 4. dist. 45. q. 4. art. 3. & dist. 13. q. 1. art. 5. Scotus 16. dist. 13. quæst. 2. Gabriel. lect. 25. & deinde. lect. 56. & infra.

Ergo nihil ualet argumentum, quo aduersarij ita deducunt, Christus instituit utranque speciem, igitur omnes fideles etiam laici tenentur accipere utranque speciem. Dicimus enim nos, quòd institutio est institutio, & præceptum est præceptum: atque constanter asserimus, simul & ueraciter,

& ueraciter, quòd institutio hæc ut institutio, nullo modo infert præceptum quoad omnes, de usu calicis per potationem. Sequitur enim bene, Christus instituit hoc sacramentum in utraque specie pro tota Ecclesia, ergo hoc sacramentum in utraque specie toti Ecclesiæ est proficuum: quia profectò Christus, nihil fecit pro aliquo inutiliter. Sed nullo modo sequitur, Christus instituit hoc sacramentum in utraque specie pro tota Ecclesia, ergo tota Ecclesia, etiam laici, tenetur hòc sacramentum in utraque specie sumere sacramentaliter. Cur nō sequitur? Quia istud mirabile sacramentum prodest multis modis toti Ecclesiæ, etiam si non ab omnibus sacramentaliter sumatur integrū: etiam si non concedatur usus calicis omnibus de Ecclesia. quomodo prodest omnibus, etiam si non integrum sumatur ab omnibus?

Prodest quidem omnibus, etiam si non integrum sumatur ab omnibus; & hoc siue consideretur ut sacramentum, siue consideretur ut sacrificium. Ambas enim considerationes istas habet hoc sacramentum, & secundum illas ambas à uerè Christianis considerari debet. Est uere sacramentum, quia uerè est, inuisibilis gratiæ uisibilis forma, ut eius imaginem gerat & causa existat. Est etiam uerè sacrificium Christianum maximum & unicum, quia est uera oblatio in pane & uino secundum ordinem Melchisedech, continens Saluatorem nostrum, qui sese olim pro nobis in cruce obtulit, & semetipsum dedit redemptionem pro omnibus; atque illud idem sanctissimum sacrificium repræsentat, & illud quodammodo iterat. Optimè Magister sententiarum, postquàm per multa egit de sanctissima Eucharistia, quòd sit uerissimum sacramentum, & supremum, ratione rei contentæ in eo; docuit statim quòd etiam sit sacrificium, ita inquirens, & determinans, Post hæc quæritur, Si quod gerit sacerdos, propriè dicatur sacrificium, uel immolatio? & si Christus quotidie immoletur, uel semel tantùm immolatus sit? Ad hoc breuiter dici potest, illud, quod offertur & consecratur à sacerdote, uocari sacrificium & oblationem; quia memoria est & repræsentatio ueri sacrificij, & sanctæ im-

Eucharist. est sacramentum.

Eucharist. est sacrificium.

Magister sent. lib. 4. à dist. 8. usq; ad 12. Ibid. dist. 12.

molationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibique immolatus est in semetipso: quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius quod factum est semel. Hæc ille. Probat ex Augustino dicente inter alia, Semel immolatus Christus in semetipso, & tamen quotidie immolatur in sacramento. Etiam probat ex Ambrosio super epistolam ad Hebræos, ubi ait, In Christo semel oblata est hostia ad salutem potens: quid ergo nos? Non'ne per singulos dies offerimus? Et si quotidie offeramus, ad recordationem eius mortis fit: & una est hostia, non multæ. Quomodo una, & non multæ? Quia semel immolatus est Christus. Hoc autem sacrificium exẽplum est illius idipsum, & semper idipsum offertur; proinde hoc idem est sacrificium, alioquin dicetur, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi. Non, sed unus ubique est Christus: & hîc plenus existens, & illic plenus. Sicut quod ubique offertur, unum est corpus: ita & unum sacrificium. Christus hostiam obtulit, ipsam offerimus & nunc: sed quod nos agimus, recordatio est sacrificij. Nec causa suæ infirmitatis repetitur, quia perficit hominẽ; sed nostræ, quia quotidie peccamus. Ita schola Christiana simul in eodem loco & alibi, probat sacram Eucharistiam esse & sacramentum, & sacrificium, Alexander de Ales, S. Thomas, S. Bonauentura, Scotus, Durandus, Gabriel Biel, tum in sententiis, tum super canonem Missæ: & denique omnes Doctores alij, nemine catholico excepto. Satis etiam manifestè hoc probant uerba Saluatoris nostri, quibus dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem. Accipite & bibite ex hoc omnes. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. De istis autem uerbis Domini fortasis inferius dicentur multa, si de Sacrificio Missæ specialis fuerit sermo. Modò nobis facit satis Apostolus Paulus, qui post passionem, mortem, resurrectionem, & ascensionem Domini, non dixit de Ecclesia Christiana sublatum esse sacerdotiũ, sed in ea ab alio in aliud esse translatum: uidelicet à sacerdotio Aaron, in sacerdotium Melchisedech. Est igitur in

August. in lib. sent. Prosperi. De consecr. dist. 2. c. Semel immolatus.

Ambr. De consecr. dist. 2. c. In Christo.

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

Hebr.

Ecclesia Christiana, sacerdotium. Vbi autem est sacerdotium, ibi sine dubio est sacerdos. Alioquin, quale ibi sacerdotium esset, ubi sacerdos non esset? Rursus, Vbi est sacerdotium & sacerdos, ibi profectò est sacrificium. Aliàs superflueret sacerdos, superfluerèt & sacerdotium. Quia sunt ista omnia sic ordinata, sacrificium, sacerdos, sacerdotium: ut aliquo eorum posito, omnia ponas: uel è contra; aliquo eorum sublato, omnia auferas. Habemus autem sacerdotium, secundum Apostolum Paulum. Ergo secundum eundem habemus sacerdotium, sacerdotem, sacrificium. Neque potest reperiri sacerdotium, nisi in sacerdote: sicut non potest reperiri albedo, nisi in albo. Non enim per se subsistunt albedo, aut sacerdotium: sed sunt in suis concretis, aut subiectis, aut substratis. Quod est autem sacrificium nostrum? Profectò hoc unum, de quo agimus. Nullum est aliud sacrificium in nostra religione Christiana, nisi hoc unum: quanuis nos etiam candelas, oleum, thus, & alia offeramus in ordine ad illud unum: & istis etiam utamur in ordine ad illud maximum, supremum, unicum.

Ecce Eucharistia sanctiss. est sacramentũ, atq; est sacrificium: quæ sine dubio prodest nobis etiã, & ut sacramentũ, & ut sacrificium; sed quodãmodo differenter, ut etiam non est ignotũ. Bene notant doctores catholici, quòd Eucharistia inquantum sacramentũ, prodest sumentibus tantùm: sed ut sacrificium, prodest etiam aliis. S. Thomas etiam optimè dicit, sacramentũ Eucharistiæ, inquantum sacramentum, directè ex ui sacramenti, habet effectũ, ad quem est institutum, scilicet spiritualem nutritionẽ per unionem ad Christum & mẽbra eius: sed ex consequenti & concomitanter remissionem non solùm culpæ, sed etiam pœnæ: non quidem totius, sed secundum modum deuotionis & feruoris: quia dicta unitas fit per charitatem, ex cuius feruore quis remissionem consequitur, non solùm culpæ, sed etiam pœnæ. Inquantum uerò sacrificium habet uim satisfactiuam; & ex sui quantitate sufficit ad satisfaciendum pro omni pœna. Hæc ille. Qui & alibi etiam bene dicit, Quãuis, inquit, Christi uirtus, quæ continetur sub sacramen- S. Tho. par. 3. quæst. 78. art. 5.

lib 3. dist. 45. quæst. 2. art. ult. quæst ult. ad ult. arg.

to Eucharistiæ, sit infinita: tamẽ determinatus est effectus, ad quem illud sacramentum ordinatur. Vnde non oportet quòd per unum altaris sacrificium, tota pœna eorum, qui sunt in purgatorio, expietur. Vnde etiam quandoque plures missæ in satisfactionem unius peccati iniungũtur. Hæc ille. Concordant omnes: atque ex quo certum est sanctissimam Eucharistiam esse sacramentum, & esse sacrificium: iam non potest dubitari, quin utroque modo nobis prosit, quod utroque modo nobis est concessum. Ad rem igitur ueniamus, Prodest Eucharistia omnibus, ut sacrificium: quia pro omnibus offertur. In signum cuius tum oblationes, tum petitiones, aut orationes, nomine omnium fiũt, in plurali, & non in singulari. Omnesque inde participãt, non solùm ratione participij charitatis, sicut Dauid dixit, Particeps ego sum omnium timentium te. sed etiam ratione applicationis, quia utique offertur illa altissima oblatio seu hostia, pro omnibus. Nec potest ullus Christianus asserere, quòd illud sacrificium seu illa sacratissima oblatio non prosit omnibus, pro quibus offertur, saltem quantum est de se, atque ratione ipsius Ecclesiæ, quæ & si offerat ipsa mediatè, quia mediante sacerdote, offert tamen ipsa principaliter. Vt ita optimè theologizemus, offert sacerdos immediatè & personaliter: sed offert Ecclesia mediatè & principaliter. Bene & latè agit de his Gabriel super Canonem Missæ: ibi uideri potest: quo loco declarat optimè istud mirabile sacrificium ualere quidem & habere efficaciam duobus modis, Vno modo ex opere operante, seu operantis, idest, ex merito personali personæ celebrantis: propter quod Deus Optimus confert petita à sacerdote eis, quibus orationem & missæ sacrificium ipse sacerdos applicat. Alio modo, ex opere operato, idest, ex ipsa consecratione, oblatione, & sumptione uenerabilis Eucharistiæ, non habendo respectum ad personalem sanctitatẽ aut meritum sacerdotis. Distinguit etiam quòd & hoc, quod dicimus, ex opere operato, duobus modis potest intelligi, Altero, quòd hic ualor huius sacrificij, seu oblationis, sit ex Dei institutione, qui efficaciter determinauit se ad conferendum quosdam effectus gratuitos & salutares, ad con-

Eucharist. prodest omnibus, ut est sacrificiũ.

Psal.

Gabriel Biel. lect. 26. litera H. Idem. litera G.

ſecrationem, oblationem, & ſumptionem corporis & ſanguinis Chriſti factam à ſacerdote: ſicut etiam uerè dicimus de aliis ſacramentis nouæ legis, quòd habent uirtutem atque efficaciam ex Chriſti inſtitutione: ita quòd ipſis exhibitis aliquibus non ponentibus aut non habentibus obicem, aſsiſtit Deus cauſando in eis quoſdam effectus ſalutares, ut remiſsionem peccatorum & gratiam gratum facientem. Altero modo Miſſa, ſeu ſacrificium iſtud ſacrum, uel ſacra oblatio, intelligitur habere ualorem & effectum, & eſſe accepta Deo ex opere operato, præciſè ratione oblationis ſacrificij, quod in miſſa perficitur, non attendendo Chriſti inſtitutionem: quia oblatio non uidetur grata Deo & accepta, niſi ſit alicuius offerentis grati, & accepti. Iuxta illud, Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Hinc uidua paupercula, plus omnibus in Gazophylatium miſiſſe dicitur, quia quæ miſit, ex uoluntate miſit magis accepta. Et beatus Gregorius inquit, Non penſat Deus quantum, ſed ex quanta & quali uoluntate offeratur. Hinc paſsio Chriſti Patri acceptiſsima fuit, quia eam Chriſtus æterni Patris Filius, in quo ſemper Patri complacuit, uoluntariè eam in animarum noſtrarum ſalutem obtulit: quam ſi Iudæus crucifixor ſolus obtuliſſet, Patri minimè placuiſſet. Hæc Gabriel. Acceptatur igitur Euchariſtia ſanctiſsima & ualet apud Deum ut ſacrificium, non præciſè ac plenè ratione rei contentæ, ſed oportet quòd ſit oblata. Hoc enim bonum in Euchariſtia contentum, æquale eſt, quando reſeruatur in pixide ſeu ſacratio, & quando offertur in altari: & tamen non æquè ualet Eccleſiæ reſeruatum in pixide, & oblatum in officio miſſæ. Sicut optimè notauit Scotus in ſuis Quolibetis, & poſt ipſum Gabriel ubi ſuprà. Valet igitur iſtud ſacrificium ex iſta hoſtia, tum ratione ipſius altiſsimæ, quæ offertur, & in Euchariſtia continetur: tum ratione ipſius, à quo offertur, quia tota Eccleſia principaliter offert, quæ eſt profectò ſemper ſanctiſsima. Ad quid ualet? ad ea multa, quæ ex parte poſuimus. Quibus ualet? Omnibus, pro quibus offertur, quia eſt ſacrificium potentiſsimum. Pro quibus offertur? Pro omnibus fidelibus Chriſtianis, uiuis ac defunctis indigentibus. Defunctis in-

Gen. 4.
Luca 21.

digentibus, inquam, id eſt, qui in hoc ſæculo ita uixerũt, ut illis poſt mortẽ prodeſſet hoc ſacroſanctum ſacrificium. Hîc enim omne meritum comparatur, etiam hoc, ut mortui à uiuis per hoc ſacrificium & bona alia iuuemur, quãdiu in loco ſumus Purgatorio. Sed hæc de Euchariſtia ut eſt ſacrificium, modò dixiſſe ſufficiat, quouſque de hac re dicamus latius, quando de ſacrificio miſſæ erit ſermo ſpecialis. Prodeſt etiam Euchariſtia omnibus, prout eſt ſacramentum. Verbi gratia, dum de pixide, uel ſacrario, uel de ipſo altari accipitur, & alicui perſonæ aut populo nõ ponenti obicem miniſtratur. Quibus ita prodeſt? Omnibus ritè ſumentibus. Non enim eſt maior ratio de uno, quàm de alio, ut conſtat. Ad quid prodeſt, Primùm, confert gratiam ſuo modo, eam auget, & excitat ad uirtutes. Secundò ex conſequenti confert charitatem & omnes uirtutes. Tertiò ex conſequenti diminuit fomitem ratione feruoris charitatiui. Quartò, ſuſtentat, ſiue dat uitam, auget, reparat, delectat ut cibus, & laudare facit. Quintò, confortat in pugna, dans prægustationem gloriæ. Sextò, dat uiatoribus adeptionem gloriæ, id eſt, uirtutem adipiſcendi. Septimò, præſeruat à peccato dupliciter, uidelicet interius roborando per gratiam, & exterius repellendo omnem dæmonum impugnationem per Chriſti paſſionem, cuius eſt ſignum. Octauò, delet peccata uenialia. Nonò, delet etiam mortalia, quorum quis non habet conſcientiam, nec affectum. Vnde eſt ablutio ſcelerum, id eſt, mortalium peccatorum tripliciter: ſcilicet ignoratorum, futurorum, uel cauſando contritionem. Sicut etiam Auguſtinus de iſto mirabili ſacramento dicit in Sermone de corpore Chriſti, quòd mortuos uiuificat: & Auguſtinum declarat optimè, ac ſequitur tota ſchola Chriſtiana. Decimò, delet pœnam debitam peccatis, non totam, ſed ſecundum menſuram peccatorum, & deuotionis. Ita ſancti doctores colligunt effectus atque utilitates huius ſacramenti, erga ſumentes: licèt illæ fortaſsis tot ſint, tantæ aut tales, ut nos illas nec cognoſcere, nec explicare plenè ualeamus. Eſt enim res contenta infinita quoad diuinitatem, & eſt etiam ſuperexcellens noſtrum intellectum quo

Euchariſt. prodeſt omnibus ſumẽtibus, prout eſt ſacramentum.

Ad quid proſit.

S. Tho. art. 3. quæſt. 79. art. 1.

Lib. 4. ſent.

ad humanitatem unitam diuinitati: ideò sacramentum istud super omnia altissimum, habet nescio quid infiniti, non solùm quoad rem contentam, quæ secundum diuinitatem est infinita cathegorematicè, siue simpliciter; sed etiam quoad ipsum sacramentum, de quo fortè non possumus cogitare tantam excellentiam, quin habeat maiorem: ut isto modo sit quasi infinitum syncathegorematicè, siue secundum quid.

Non igitur ualet argumentum, quo aduersarij ita ratiocinantur, aut parologizantur, seu hallucinantur, dicentes, Christus instituit totum sacramentum Eucharistiæ in utraque specie, & pro tota Ecclesia: ergo tota Ecclesia debet sumere totum sacramentum integrum in ùtraque specie. Non ualet, inquam, quia quod dicimus, Christus instituit totum sacramentum integrum in utraque specie, pro tota Ecclesia: non debet sic intelligi, quasi totum sacramentum integrum debeat necessariò à tota Ecclesia sumi: sed sic debet intelligi, tanquam totum sacramentum toti Ecclesiæ prosit. Vt cum dicimus, Christus instituit totum sacramentum integrum pro tota Ecclesia. ita significamus, aut asserimus, Christus instituit totum sacramentum integrum, ad utilitatem totius Ecclesiæ. Prodest autem totum sacramentum toti Ecclesiæ, quomodocunque sumatur à laicis. Quomodo totum prodest toti Ecclesiæ? Primùm, quia toti Ecclesiæ prodest ut sacrificium. Secundò, quia sicut tota Ecclesia constat ex clericis & laicis, tanquã ex duobus parietibus uiuis: sic totum sacramentum integrum prodesset per sumptionem toti Ecclesiæ, si altera pars sacramenti traderetur alteri parti Ecclesiæ, & altera alteri. Vt integrum sacramentum responderet integræ Ecclesiæ, & pars parti. Nunc autem non ita fit, sed sacerdos dum in persona Ecclesiæ totum sacramentum offert, sacrificium quidem fit & oblatio, & tunc in persona Ecclesiæ, cuius minister est, totum sacrificium sumit. Quando autem Eucharistiam tractat, non ut sacrificium, quia non in offerendo, sed ut sacramentum, extra oblationem ipsam accipiendo, non totum sacramentum sed solam partem accipit, omnino sicut laicus. Deinde dicimus quòd Sal-

uator noster instituit integrum sacramentum pro tota Ecclesia, non sic ut totum sacramentum integrum sumeretur à tota Ecclesia necessariò; sed sic, ut totum posset sumi à tota. Et hoc est uerissimum. non enim negamus, sed constanter atque ingenuè concedimus, posse totam Ecclesiam Christianam secundum quanlibet partem sui sumere totum Eucharistiæ sacramentum integrum, stando in iure diuino: hoc nanque in eo iure licitum est, & concessum ut licitum. Sed id agimus, ut ostendamus non teneri totam Ecclesiam ad id, ex aliquo diuino præcepto. Vnde nos profectò meliorem facimus causam Ecclesiæ totius Christianæ, quàm aduersarij nostri: quia nos dicimus illam in iure diuino posse utranque speciem accipere, sed non teneri: aduersarij autem dicunt, illam in iure diuino posse, & debere, tenerique. Nos meliorem credimus & meliorem prædicamus conditionem populorum Christianorũ, quoties eos paucioribus aut leuioribus seu facilioribus præceptis credimus aut prædicamus obligatos. Alioquin, quid facerent multi, qui uinum non bibunt nec gustare possunt, quos abstemios appellamus. Aut quid facerent illi, qui in eis partibus terræ sunt, ubi nullum uinum de genimine uitis est? Quomodo scrupulos sedabunt maximè si scrupulosi fuerint? Est alia totius sacramenti utilitas quo ad totam Ecclesiam, in eo quod totum perfectius siue expressius repræsentat & Christi passionem, & nostram spiritalem refectionem. Petrus autem dicit, Christo igitur
1.Pet.4. passo in carne, & uos eadem cogitatione armamini.

Integrum in utraque specie sacramentum nos sumere non teneri. Christum rem hanc liberam reliquisse: utranque speciem uerè & propriè esse sacramentum, & simul non esse consecratam datamque Apostolis. CAP. VI.



Ita denique in omni ueritate concludamus, Institutio integri sacramenti Eucharistiæ in utraque specie pro tota Ecclesia, nullo modo infert præceptum Dei, quo teneatur tota Ecclesia illud integrum in utraque specie sumere:

mere: sed solùm infert utilitatem, quam tota Ecclesia habet ex illo integro, uno modo, uel alio. Quia Eucharistia ut sacrificium, integrum prodest toti Ecclesiæ; & Eucharistia ut sacramentum integrum potest toti Ecclesiæ prodesse; & rursus Eucharistia ut sacramentum integrum prodest toti Ecclesiæ, quia utraque pars est proficua, & quæcunque pars, siue species, aut cuiusuis speciei particula, prodest sumenti. Totum enim debet dici prodesse, quando quælibet species, siue una, siue altera accipiatur, sumenti prodest. Hinc olim Eucharistia in specie uini porrigebatur infirmis, qui ob siccitatem oris non poterant Eucharistiam sub specie panis accipere: qui modus seu ritus, stando in solo iure diuino, etiam nunc obseruari potest. Prodest ergo totum integrum, quia prodest in quacunque parte accipiatur. Sic totum Rheubarbarum diceremus prodesse, etiam si nunquam acciperetur totum, si quælibet pars eius accipienti prodesset. Quicquid enim habet quælibet pars alicuius totius, id sine dubio, illi toti damus, calorem, frigus, utilitatem, nocumentum, aut alia eius generis, aut alterius. Siquis autem uel ignorantia sua, uel proteruia, uel superbia, uel aliqua alia malitia aut cæcitate ipsius, uoluerit insistere, dicens, quòd institutio integri sacramenti pro tota Ecclesia, infert præceptum ipsius instituentis, quo tenetur tota Ecclesia illud sacramentum suscipere integrum, nos illi non credimus, sed oportet ut ipse hoc nobis probet, quod ipse nunquam & nusquam faciet. Nos maiorem liberalitatem credimus & cognoscimus instituentis Dei, qui totum sacramentum integrum pro tota Ecclesia constituit: & tamen quòd tota Ecclesia, integrum sacramentum, uel partem eius suscipiat, liberum reliquit. Hæc est maior Dei liberalitas, maior misericordia, maior benignitas, & magis suauis eius prouidentia, ut omnibus est manifestum. An audebit dicere quispiam aduersarius, sacrosanctam Eucharistiam nō prodesse sumenti, nisi sumatur totum sacramentum integrum in utraque specie? Absit. Qui ita dixerit, prorsus indignus est, qui audiatur. Vel audebit aliquis dicere, Eucharistiam sub altera specie tantùm, non esse uerum sacra-

mentum, nisi sit sub utraque? Absit iterum talis Eucharistiæ iniuria. Etenim Eucharistia sub quauis specie, seu in quauis specie sui, & uerum sacramentum est, licèt non sit integrum sacramentum: & uerè prodest, uereque continet totum Christum, & uerè facit suo modo, quod repræsentat: nisi quòd melius facit, quàm repræsentet: quia certè deficit repræsentatio ab effectu, cum effectus eius altissimus nec per alteram speciem, nec per ambas simul repræsentetur exactè, adæquatè, perfectè, aut completè. Itaq; quælibet species Eucharistiæ, panis aut uini, uerè ac propriè est sacramentum: & uerè prodest sumenti non ponenti obicem effectui sacramenti. Quod si fortè aliqui dixerint oppositum, ego eos audacissimos, & ut uerbo Aristotelis utar, ischironogmonas appello, ut pote quòd proteruè contra totam ueritatem suis falsis opinionibus erroribusque hæreant. Facit enim manifestè contra ipsos, ipsa Christi institutio, pariter & ipsa Christi obseruãtia. Quãuis enim Saluator noster in eadem cœna, utranq; speciem instituerit, non tamen id fecit in eodem tempore, nec illæ species in illa cœna fuerunt unquam ambæ simul post consecrationem, & ante sumptionem: sed tempore consecrationis unius, iam facta erat sumptio alterius. Sic nanque narrant sacri Euangelistæ, Cœnantibus autem eis, accepit
Matth. 26. IESVS panem, & benedixit, ac fregit; deditque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, hoc est corpus meum.
Luce 22. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, Hic est calix nouum testamentũ in sanguine meo, qui pro uobis fundetur. Ecce cœnantibus illis, idest, dum cœnarent, accepit IESVS panem, consecrauit in illo siue in specie illius, ac dedit Apostolis, dicens, Accipite & comedite, & non potest esse dubium, quin ipsi statim accepissent de manu dantis, & comedissent. Ecce insuper quòd non tunc simul, sed postquam cœnauit accepit calicem IESVS, consecrauit, & dedit illis. Vnde in illo interuallo temporis intermedij, communicati erant Apostoli in specie panis, & tunc non erat adhuc facta consecratio sanguinis in specie uini, nec Apostoli de illa quicquam sciebant, aut cogitabant. Nihil enim de illa Christus eis adhuc dixerat, nec erat necessariò

consequens, ut qui eis corpus suum in specie panis dederit, eo ipso eis sanguinem suum sub specie uini daturus esset: potuit nâque facere illud primum, nunquam facturus hoc secundum. Quid ergo? Profectò in illo priori tempore ante consecrationem sanguinis, facta consecratione corporis, statim species panis fuit uerum sacramentum; quia illa species statim continebat corpus Christi uerum, sicut ipse Christus uerissimus ac potentissimus dixit, Hoc est corpus meum. Tamen nec tunc facta erat consecratio sanguinis Christi in specie uini, nec sacramentum Eucharistiæ in specie uini erat institutum, nec Apostoli de illo in specie uini aliquid sciebant. Erat igitur iam tunc Eucharistia in specie panis, & uerè erat sacramentum; quia uerè continebat sacram rem, quam significabat uirtute consecrationis, ac per concomitantiam. An tunc eo tempore erat utilis & proficua ritè suscipientibus? Quis animus Christianus de hoc dubitare potest? nullus. Erat sine dubio utilis & proficua illo tempore, ante consecrationem, immo & ante institutionem Eucharistia in specie uini. Nec credendum est de Saluatore nostro, quòd suum corpus sub specie panis daret inutiliter suis Apostolis dilectis, eo tempore, ante consecrationem sui sanguinis, & ante institutionem Eucharistiæ in specie uini. Opus est igitur nobis Christianis considerare omnia per ordinem, quæ fecit Saluator noster, dum sacramentum Eucharistiæ in duabus speciebus, panis uidelicet & uini instituit: quia non simul, sed separatim, in specie panis, dum cœnaret: in specie autem uini, postquàm cœnauit. Nec in illa cœna fuerunt unquam illæ duæ species consecratæ simul, sed species panis consecrata, instituta, & sumpta fuit, antequàm species uini fuisset consecrata aut instituta. Ex istis enim consideratis, facilè ac manifestè constat, quòd Eucharistia fuit uerum, & utilissimum sacramentum, prius quàm in specie uini fuit institutum, & à Saluatore nostro Apostolis suis porrectum, aut præstitũ.

Igitur si aduertimus, uel etiamsi non aduertamus, uelimus nolimus, omnes ita dicere debemus, sicut in sequenti conclusione dicimus, quæ talis est, Sacrosancta Eucharistia in specie panis, quantum ad sui institutionem, conse-

crationem, uſum, ſacramenti ueritatem, aut ſacramenti utilitatem, nullo modo dependet ab inſtitutione, conſecratione, uſu, ſacramenti ueritate, aut ſacramenti utilitate ipſius Euchariſtiæ ſub ſpecie uini. Probatur iſta concluſio præcedẽs per iſtam inuictiſsimam demonſtrationem ſequentem, Quia uidelicet omnia illa explicata Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, fuere priora, ſeu prius non ſolùm natura, ſed & tempore, quàm fuerint illa omnia explicata Euchariſtiæ ſub ſpecie uini. Quòd illa omnia fuerint priora, ſeu prius, conſtat ex diuinis ſcripturis adductis. Quòd autem priora non dependeant à poſterioribus, conſtat ex omni ſenſu, ex omni ſcientia, arte, doctrina, experientiaque omniũ hominum, omniũ nationum. Iam poſtmodũ quæſo, nemo audeat contra iſtam manifeſtam ueritatem ogganire. Pendet uerò Euchariſtia ſub ſpecie panis ab Euchariſtia ſub ſpecie uini, quantum ad integritatem ſacramenti Euchariſtiæ, quia in his duabus ſpeciebus inſtitutum eſt, ob ſingulares rationes ſiue ſpeciales: & quantum ad magis expreſſam repræſentationem tum paſsionis ac mortis Saluatoris noſtri in cruce, dum ſanguis fuit effuſus & à corpore pro nobis ſeparatus; tum refectionis ſpiritualis, quam hîc habemus in uia, & quam poſtea, domino donante, habituri ſumus in patria. Sed hæc, aliæ conſiderationes ſunt, & quæ non impediunt alias conſiderationes, nec alias ueritates. Species igitur panis poſt conſecrationem habet ueritatem, atque utilitatem ſacramenti Euchariſtiæ, quoad neceſſaria ſacramenti eiuſmodi: non tamen habet integritatem eiuſdem ſacramenti, quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt in duabus ſpeciebus, quarum ambæ complent & perficiunt repræſentationem magis expreſſam, paſsionis mortiſque Saluatoris noſtri, refectionumque prædictarum. Dixerit fortè quiſpiam, Quomodo poteſt eſſe ut aliquid pendeat ab aliquo quo ad integritatem in aliquo eſſe, & nõ pendeat ab illo quoad ueritatem in illo eſſe? Reſpondemus, Optimè poteſt. Sic homo, ut ſit homo integer, pendet à ſua manu, à qua tamen non pendet ut ſit homo uerus: quia per alia conſideramus hominis integritatem, & per alia conſideramus hominis ueritatem. Simili modo eſt in ſacra-

Sunt quidẽ partes integrales, & ſunt partes eſſẽtia-

mentis, de ſacramento ordinis. Sunt enim in ſacramento ordinis, quodammodo multa ſacramenta ordinis: uerbi gratia, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, Epiſcopatus ſi eſt propriè ordo, ut quidam uolunt: & ut etiam alij uolunt, minores ordines. Vnde Diaconatus, ſeu collatio ipſius poteſtatis, ſeu ipſe ordo Diaconatus, eſt uerè ac propriè ſacramentum ordinis, non tamen eſt uerè ac propriè totum ſacramentum ordinis integrum. Ratio eſt, quia totum ſacramentum ordinis integrum, continet multa alia præter Diaconatum, ut iam diximus. Dicitur autem ſacramentum ordinis, unum ſacramentum, quia omnia ſacramenta ordinis ordinantur ad unum.

les: & inter eſſentiales quædã ſunt phyſicæ, ut materia & forma; quædam ſunt metaphyſicæ ut genus & differentia.

Eadem res latius pertractatur, atque explicatur, oſtenditurque quomodo iſtud mirabile ſacramentum Euchariſtiæ, aliquo modo ſit unum, & aliquo modo plura: non ſit uerò unum, ut eſt plura, nec ſit plura, ut eſt unum, quòd ab alio habeat unitatem, ab alio autem pluralitatem. CAP. VII.



Anctus Thomas mouet quæſtionem, Vtrùm hoc ſacramentum ſit unum, uel plura? Reſpondet in ſequentibus concluſionibus, Prior eſt, Euchariſtia eſt unum ſacramentum. Poſterior, Hoc ſacramentum multa quidem eſt materialiter, ſed unum formaliter & perfectiuè. Concluſionem priorem probat ſic, Euchariſtia eſt ſacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, ut dicit Apoſtolus, Vnus panis & unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus. Sed ſacramentum ſimilitudinem gerit rei, cuius eſt ſacramentum: Ergo Euchariſtia eſt unum ſacramentum. Quia uidelicet eſt ſacramentum unitatis, & gerit ſimilitudinem illius. Concluſionem ſecundam probat, dicens, Sicut dicitur, quinto Metaph. Vnum dicitur non ſolùm quod eſt indiuiſibile, uel quod eſt continuum, ſed etiam quod eſt perfectum: ſicut dicitur una domus, & unus homo. Eſt autem unum in perfectione, ad cuius integritatem concur-

S. Tho. art. 3. quæſt. 73. art. 2.

runt omnia, quæ requiruntur ad finem eiusdem: sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ: & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum. Ordinatur enim ad spiritalem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum; & potus, qui est alimentum humidum. Et ideò etiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus & spiritualis potus: secũdum illud, Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Hæc ille. Ex istis autem probationibus seu præmissis, ita concludit, Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter & perfectiuè.

Ioan. 6.

Caietanus ibid.

Caietanus circa doctrinam istam S. Thomæ, ita bene dicit, Aduerte sacramentum Eucharistiæ dici multa materialiter, non ea ratione, quòd multitudo in eo sit purè materialis (quoniam partes eius habent suas proprias formas, & suas materias: ut patet de hostia, & calice: sunt enim uelut partes heterogeneæ) sed quia huiusmodi multa se habent ut integrantia unum, quod est refectio spiritualis: à cuius formalitate unum sacramentum dicitur Eucharistia, significans & corpus & sanguinem Christi sub specie cibi & potus. Quo circa non est hîc requirenda res aliqua extrinseca, quæ integretur uelut quædam tertia res ex corpore & sanguine Christi sub speciebus panis & uini, sicut domus integratur ex suis partibus: sed ad finem respiciendum est, & ex unitate finis proprij, qui est spiritualis refectio, unitas sumitur sacramenti. Sicut ex unitate refectionis corporalis, sumitur unitas prandij, aut cœnæ. Nec ista significatio per accidens se habet ad huius sacramenti rationem; nam corpus sub specie cibi, & sanguis sub specie potus, significant pasci & potari: ac per hoc utrunque simul, uel perfectum alimentum, signum est totale perfectæ refectionis spiritalis.

Hæc omnia satis bene dicta sunt, sed potius saluant quod hæc sacramenta, species panis & species uini, dicantur unum sacramentum, quàm damnent, quòd hoc sa-

cramentum, dicatur plura sacramenta. Ad omnia autem respiciendo, apparet magis in hac materia, quòd iste terminus complexus, sacramentum Eucharistiæ supponit in numero plurali pro utraque specie simul: & iterum in numero singulari supponit pro utraque specie simul: ut de ambabus speciebus simul dicamus quòd sunt sacramenta, & de ambabus simul dicamus quòd sunt sacramentum. Ad significandum primum horum dicimus in Collecta, Purificent nos quæsumus Domine, sacramenta, quæ sumpsimus. Et ad significandum secundum horum dicimus in eadem collecta, Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam. Quæ omnia uidit S. Thomas, & optimè notauit in eodem loco. Ambæ igitur species simul dicuntur, & sacramenta in numero plurali, & sacramentum in numero singulari. Sed, quæ sacramenta, uel quod sacramentum sic dicuntur? Notum est, quòd non alia sacramenta, nec aliud sacramentum, quàm sacramenta & quàm sacramentum Eucharistiæ. Quid inde? Ex quo ambæ species simul dicuntur sacramenta in plurali, non potest esse dubium, quin quælibet earum seorsum dicatur sacramentum in singulari. Dixit S. Thomas in eodem loco, quòd hoc sacramentum Eucharistiæ, multa quidem est materialiter. Sed bene notauit ibi Caietanus, hoc sacramentum non sic dici multa materialiter, ea ratione, quòd multitudo in eo sit purè materialis. Quia immo, ut ibi declarat, partes eius habent suas proprias formas, & suas proprias materias: ut patet de hostia, & calice. Constat enim de materia hostiæ, & de materia calicis quales esse debent, de pane triticeo, & de genimine uitis; & non minus constat, de formis: quia alia est, Hoc est corpus meũ. alia est, Hic est calix sanguinis mei, &c. Vnde non solùm sunt plura materialiter, quia habent plures materias: quinetiam sunt plura formaliter, quia habent plures formas. Illa uerò plura dicuntur unum aliunde, ut iam dictum est, & declaratum.

par. 3. quæst. 73. art. 2. ad 1. arg.

ubi suprà.

ibid.

An est aliquod inconueniens, speciem panis & speciem uini post consecrationem utriusque, dicere duo, seu plura sacramenta? Absit. Immo enim est maximum conueniēs,

quia est ueritas Christiana, & pertinens ualde ad religionem Christianam. Qualibet enim est uerum sacramentum, secundum diffinitiones proprias sacramenti: & qualibet est sacramentum Eucharistiæ, secundum quod uerè significat sacramentum Eucharistiæ. Ad istam ueritatem nonnulla dicamus præter iam dictà, ex doctoribus theologis, canonibus, & Gloss. Gabriel Biel mouet quæstionem, Vtrùm consecratio Eucharistiæ, id est, prolatio uerborum consecrationis, sit propriè sacramentum? Deinde distinguit inter consecrationem Eucharistiæ, & ipsam Eucharistiam, & usum eius: quia consecratio, est ipsa uerborum consecrationis prolatio, ens successiuum, &c. Eucharistia, est quid permanens post prolationem uerborum, id est, species panis & uini, quæ etiam fuerunt ante consecrationem, licèt ante consecrationem non fuerint Eucharistia, nec sacramentum. Vsus Eucharistiæ, est eius perceptio, quæ est uia, qua sacramentum applicatur membro Ecclesiæ. Posteà uerò non asserendo, sed offerendo peritioribus ad examinandum corrigendumque, cum timore, quia non legit illud à doctoribus decisum, ponit sequẽtem conclusionem, Consecratio Eucharistiæ, est sacramentum propriè. Probat istam conclusionem, Quia, ut inquit, omnes diffinitiones sacramenti à sanctis, & doctoribus sibi conueniunt. Est signum uisibile, id est, sensibile, inuisibilis gratiæ, cuius similitudinem gerit, & causa existit. Dicit ulterius, Sed quid de usu sacramenti, scilicet eius perceptione? Respondet, uidetur similiter dicendum ex eisdem motiuis. nam ista perceptio sacramenti, est quoddam signum significans gratiam ad spiritualem nutritionem suscipienti collatam ex opere operato: & hoc, ex institutione diuina. Deus enim instituens quòd hac perceptione sacramenti, percipiens, spiritualiter nutriatur per gratiæ augmentum, dedit ipsi sumptioni significationem. Sic in hoc instituit baptismum ad significandum gratiam regenerantem; quia instituit ipsum ad conferendum huiusmodi gratiam, eo modo, quo sacramenta conferunt gratiam. Hæc autem difficultas non habet locum in aliis sacramentis, quia in eis non distinguitur sacramentum ab usu sacramenti,

Gabriel. lib. 4. dist. 8. quæst. 1. art. 3. Dubio 2.

Ibid.

menti, qui eſt eius perceptio. Hæc ille. Ita fatetur quòd præter ipſam Euchariſtiam, conſecratio eius, & uſus ipſius, ſunt propriè ſacramenta: & non dubium, quin ſacramenta Euchariſtiæ: quia utique non alia, ut conſtat. Opponit contra ſe, quia tunc eſſent plura ſacramenta quàm ſeptem: nam præter illa communiter numerata, baptiſmum, confirmationem, & cætera, eſſet conſecratio Euchariſtiæ. Reſpondet quòd in ueritate & ſimpliciter loquendo, plura ſunt ſacramenta quàm ſeptem: ut patet de ſacramento ordinis, quod ſub ſe continet ſeptem uel octo ſacramenta, à ſeipſis diſtincta. Sic & ſpecies panis, & ſpecies uini. Sed illa ſacramenta, quæ ad idem ordinantur, licèt in ſe ſint plura, dicuntur tamen aggregatione & ordine ad eundem finem proximum, unum ſacramentum. Sic, quia conſecratio Euchariſtiæ, Euchariſtia, & ſumptio eius ordinantur ad ſpiritualem hominis nutritionem, habentur ſeu numerantur pro uno ſacramento. Hæc ille. Ecce præter ipſam Euchariſtiam in ſe, putat ille doctor catholicus eſſe alia duo ſacramenta Euchariſtiæ, ideſt, conſecrationem Euchariſtiæ, & uſum ipſius. De ipſa autem Euchariſtia ita dicit expreſsè, Sicut ſpecies panis & ſpecies uini non ſunt unũ per ſe ſimpliciter & propriè, ita nec ſunt unum ſacramenti unitate. Probat primam partem huius dicti, quia nõ ſunt unum indiuiſibile, nec compoſitum per ſe unum: ſed accidẽtia plura inter ſe realiter diſtincta, puta, color, ſapor, &c. Probat ſecundam partem eius, quia ſpecies panis ſine ſpeciebus uini, ſunt ſacramentum. Et dicit ulterius, licèt ſpecies panis & uini non ſint unum ſacramentum unitate ſignificati, & contenti per ſe, & primo modo; ſunt tamen unũ utroque modo, loquendo de totali ſignificato & contento. Probat primam partem huius concluſionis, quia ſpecies panis & ſpecies uini habent diuerſa, & nõ unum ſignificatum & contentum per ſe & primò. Nam ſignificatum per ſe & primò ſpecierum panis, eſt corpus Chriſti; ut corpus non includit ſanguinem, ſed ut tantùm dicit ſubiectum animæ immediatum. Et ſpecierum uini, eſt tantum ſanguis; quæ ſunt diuerſa, & non unum. Probat ſecundam partem, quia utrarumque ſpecierum panis & uini, eſt unum ſignificatum

Scotus lib. 4. diſt. 8. quæſt. 1. non ſic cõcedit de uſu uerborũ ſacramentalium, id eſt, de ipſa conſecratione: aut de uſu uel pceptione ſacramẽti, quòd ſunt ſacramenta, ſed fatetur eſſe quoſdã actus ſacramẽtales in quibus benè põt gratia recipi, ſi dignè fiant, maximè tam in perceptione, quàm in cõſecratione.

Idẽ auct. lib. 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. concluſ. 2.

Ibidem concluſ. 3.

& contentum totale, ſcilicet corpus Chriſti: accipiendo corpus, ut includit ſanguinem: quia utrobique continetur corpus, & ſanguis, Deitas, & anima: non quidem per ſe & primò, id eſt, ui conſecrationis: ſed quædam per ſe, quædam per concomitantiam. Hæc ille. Ad eandem doctrinam & ueritatem eſt, quod Gelaſius Papa Maiorico & Ioanni Epiſcopis dixit, Comperimus autem, quòd quidam ſumpta tantummodò corporis ſacri portione, á calice ſacrati cruoris abſtineant; qui proculdubio (quoniam neſcio, qua ſuperſtitione docentur adſtringi) aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia diuiſio unius eiuſdemque myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt peruenire. Ecce illæ plures ſpecies panis & uini, ſunt ſacramenta, quia loquitur Gelaſius in plurali, per uerbum, ſacramenta: & ſimul ſunt unum myſterium, tum ratione unius Saluatoris noſtri, quem continent; tũ ratione unius redemptionis, ſeu unius refectionis, quam ſignificant. Quam ob rem Gloſſa ibi dicit, Et dicuntur hîc duo ſacramenta, & unum propter unum contentum. re uera enim ſunt ibi plura ſacramenta. nam accidentia panis, ſunt tantùm ſacramentum corporis Chriſti; & accidentia uini, ſunt tantùm ſacramentum ſanguinis Chriſti. Quia certè ſub ſpecie panis eſt corpus & ſanguis Chriſti, immo totus eſt Chriſtus: ſimiliter ſub ſpecie uini. Non tamen eſt ibi duplex ſumptio corporis & ſanguinis Chriſti, nec ſuperfluit hæc uel illa ſumptio. Sicut ſi comedam in uno prandio & ante potum, & poſt potum: non tamen dicor bis comedere. Nec ſuperfluè ſumitur ſub utraque ſpecie, nam ſpecies panis, &c. Ita conueniunt omnes catholici tractatores, qui de hac loquuntur materia, ſeu quæſtione. Scotus enim eodem modo de duabus iſtis ſpeciebus poſt conſecrationẽ, dicit, quòd continent ſua ſignificata, & quòd ſunt unum ſacramentum unitate integritatis, non unitate indiuiſibilitatis: quia ſunt duo ſigna partialia, habentia duo propria ſignata & proxima.

De conſecr. diſt. 2. c. Comperimus.

Scotus. lib 4. diſt. 8. q. 1. & 2. Idem dicit ibi de conſecratione, quia ſunt plures partiales conſecrationes, & eſt una integralis.

Species igitur panis & uini ſimul ſumptæ poſt conſecrationem, ſunt atque dicuntur unum ſacramentum, & ſunt atque dicuntur plura ſacramenta, propter diuerſas ratio-

nes, considerationes aut respectus. Dicuntur nãque unum sacramentum, ab unitate corporis Christi mystici, quam significant & cuius imaginem gerunt: atque ab una refectione, ad quam ordinantur, quæ integrè constat ex cibo & potu: similiter & ab uno Christo Saluatore nostro, quem ambæ species simul continent, non plus altera quàm altera, nec plus ambæ simul quàm quælibet seorsum. Dicuntur autem & sunt plura sacramenta, propter plures materias, ac plures formas: & propter pluralitatem rerum contentarum ex ui consecrationis: quia ex ui consecrationis, sub specie panis tantùm est corpus, & sub specie uini tantùm est sanguis: licèt per concomitantiam sanguis quidem sit sub specie panis, & corpus sit sub specie uini. Corpus autem & sanguis Christi, duæ res sunt, non una: sicut corpus & anima. Quare sub specie panis ex ui consecrationis est tantùm corpus, & non sanguis? Propter duo, Primum, quia uerba consecrationis corporis, quæ super panem proferimus, exprimunt corpus & non exprimunt sanguinem: quia dicimus, Hoc est corpus meum. Secundum, quia transubstantiatio, seu conuersio panis per eandem rationem ex ui consecrationis, fit immediatè ac directè in corpus, & non in sanguinem, ut constat ex ipsis uerbis ipsius consecrationis statim positis. Eodem modo propter easdem duas rationes, sub specie uini ex ui consecrationis est tantùm sanguis, & non corpus. Quia uerba consecrationis sanguinis, quæ proferimus super uinum, exprimunt sanguinem & non exprimunt corpus, cum dicamus, Hic est calix sanguinis mei, &c. Vnde transsubstantiatio seu cõuersio uini, fit immediatè atque directè in sanguinem, & non in corpus. quantum est ex ui consecrationis, quæ attenditur secundum ipsa uerba consecratiua & transsubstantiatiua. Quicquid igitur sit de huius sanctissimi sacramenti Eucharistiæ unitate uel integritate, de quibus ea uera sunt, quæ diximus, & dicunt omnes: non potest dubitari quia quælibet species panis aut uini seorsum, post consecrationem sit uerum ac propriè sacramentum Eucharistiæ, utilissimum etiam sumenti non ponenti obicem. Quia quælibet habet distinctàm materiam, distinctam formam, di-

ſtinctamque rem ſacratisſimam contentam ex ui conſecrationis immediatè ac directè: & Saluator noſter ut conſtat ex ſancto Euangelio, prius tempore inſtituit hoc ſacramentum ſub ſpecie panis, & prius tẽpore illud Apoſtolis dedit in cœna & prius tempore Apoſtoli illud ſumpſerunt, quàm idẽ Saluator hoc ſacramentum inſtituiſſet, conſecraſſet, aut tradidiſſet ſub ſpecie uini. Et quidem ſine dubio, utiliter. quia non faceret Saluator noſter illam tantam rem ſine utilitate. Hinc ego non dubito poſſe ſanctam Eccleſiam ex aliquibus rationibus, aut cauſis iuſtis concedere, ut poſſet ſacerdos ſub ſpecie panis conſecrare, ſumere, ac tradere aliis, non conſecrando ſub ſpecie uini. Et ſic legimus fuiſſe iam factum, ut conſtat omnibus. Sicut etiam de Apoſtolo Paulo in naui quidam credunt, quòd ita fecerit.

Nec prætereundum uidetur, quòd ſicut in hoc ſacramento altisſimo ſunt plures materiæ partiales, plures formæ, ac plura ſignificata propria, immediata & proxima: ordinata tamen ad unum: ita huius ſacramenti ſunt plures conſecrationes partiales, conſecratio corporis, conſecratio ſanguinis. Quæ etiam non ſunt una, niſi integritate, uel ordinatione ad unum: alioquin enim, non una ſed plures ſunt: nec ſimul, ſed alia poſt aliam, interpoſito temporis, in quo non eſt iſta, nec illa. Quando nanque eſt conſecratio corporis, adhuc non eſt conſecratio ſanguinis: & quãdo eſt conſecratio ſanguinis, iam non eſt conſecratio corporis: quia cõſecratio eſt prolatio uerborum illorum, quibus fit ſuo modo corporis aut ſanguinis Domini in ſacramento poſitio. Conſtat autem de ipſis conſecrationibus, ſeu uerborum prolationibus, quòd nec ſunt idem, nec ſunt ſimul in eodem tempore, nec ſunt ſimul cõtinuatiuè: quia immo aliquod tempus interponitur, inter illas duas. Ergo ubi ſunt diſtinctæ conſecrationes, diſtinctæ formæ, diſtinctæ materiæ, ac diſtincta ſignificata, ſeu contenta immediata & proxima ex ui ſacramenti, ſeu conſecrationis aut formæ conſecrationis: oportet ſint plura ſacramenta, quæ non aliàs ſint unum, niſi ſecundum aliquem reſpectum ex illis, quos memorauimus. Signum eſt euidentisſimum huius ſacræ ueritatis, id quod uidemus, ſacerdotem poſtquã

consecrat corpus, etiam antequàm consecret sanguinem, ostendere sacramentum Eucharistiæ in specie panis populo adorandum. Iam enim uerum est sacramentum. Aliàs esset idololatria in ipsius adoratione: quæ tamen ibi nō est. Nec potest ista consuetudo damnari, tum quia est uniuersalis consuetudo Ecclesiæ, nec solùm permissa, sed & præcepta, ut constat ex regula libri Missalis: tum quia habet fundamentum in facto Saluatoris nostri: qui prius tempore quàm sanguinem suum consecraret in calice, consecrauit corpus suum in specie panis & illum Apostolis comedendum tradidit & illi comederunt, ut iam suprà dictum est, & monstratum. Sacramentum igitur ibi est, & uerũ, non falsum. Quod sacramentum? Profectò non aliud, quàm sacramentum Eucharistiæ. Igitur sine dubio, sacramentum Eucharistiæ recipit, qui illud uel sub utraque specie, uel sub altera tantùm recipit: præceptum implet, utilitatem magnam acquirit, quantum sufficit: nisi sit sacerdos celebrans, qui aliàs tenetur utranque speciem, quam consecrauit, & obtulit, sumere. De sacerdotibus enim celebrantibus, alia est ratio.

Stultitia autem illa, quæ inter aduersarios dicit, non esse sacramentum Eucharistiæ nec esse Christum in illo, nisi sit in duabus speciebus, indigna est, quæ audiatur, nedum quæ credatur: & pugnat manifestè cum institutione, facto, atque distributione Christi. Vt enim iam monstratum est, prius tempore Saluator noster hoc diuinum sacramentum in specie panis instituit, confecit, consecrauit, suis Apostolis sumendum dedit, & ipsi prius illud sic sumpserunt; quàm ipse Dominus hoc sacramentum in specie uini instituisset, consecrasset, aut confecisset. Porrò in illo priori tempore, non dubium, quin Apostoli de manu Domini uerum sacramentum acceperunt, & cum utilitate: quia Saluator noster non faceret illam rem sacram & altissimam inutiliter illis, quibus illam faciebat; nec credendus est dedisse inutiliter suis Apostolis, suum propriũ corpus manducandum sub specie panis. Abiicienda est igitur illa stultitia aduersariorum, tanquam impia & blasphema contra Christi institutionem, & contra Christi factum. Est qui-

dem ſacramentum nouæ legis, puta uidelicet, baptiſmus, cuius unitas ſic fundatur in pluribus rebus ſenſibilibus, ſcilicet in ablutione & uerbis formæ baptiſmi, ut neutrum illorum ſit aliquid illius ſacramenti ſine altero: ut bene atque clarè dicit Auguſtinus, Accedit uerbum ad elementum, & fit ſacramentum. Ibi enim neutrum illorum duorum habet ſuum ſignificatum, nec efficit quod ſignificat, niſi ſit ſimul utrunque: ideò illa plura concurrunt in fundamento unius ſacramenti ſimpliciter, ſic ut neutrum per ſe ſit unum ſacramentum, nec ſacramentum. Hoc autem diuinum ſacramentum Euchariſtiæ longè alio modo ſe habet, quantum ad illa plura, quæ ſunt ſpecies panis & ſpecies uini. Nanque iſta duo ſeu iſta plura ſenſibilia non concurrunt in fundamento unius ſacramenti Euchariſtiæ ſimplicitr, nec illa plura fundant ipſam unitatem, aut ſunt fundamentum ipſius unitatis ſimpliciter, ſed ſecundum aliquem reſpectum, rationem uel ordinem: cuius ratio demonſtratiua eſt, quia quælibet ſpecies iſtarum, continet ſuum ſignificatum, etiam ſi ſit ſine alia, ut conſtat ex dictis. Vnde unum ſacramentum baptiſmi conſtans ex illis pluribus, alio modo eſt unum: & unum ſacramentum Euchariſtiæ conſtans ex iſtis pluribus, alio modo eſt unum.

Scotus lib. 4. diſt. 8. quæſt. 1.

Optimè de iſtis dixit Scotus, De unitate huius ſacramenti dico quòd bene poſsibile eſſet plura ſenſibilia concurrere in fundamento unius ſacramenti ſimpliciter, ut ſuprà dictum eſt de ablutione & uerbis in fundamento relationis baptiſmi: ſed ibi neutrum illorum eſt aliquid illius ſacramenti ſine altero. Hoc autem, & ſpecies panis continet ſuum ſignificatũ ſine ſpeciebus uini, & è conuerſo. Ideo dico, &c. Eſt iſta doctrina Scoti ualde nota; tum quia uera eſt, tum quia ſatis declarat iſtam ueram & catholicam theologiam, de qua agimus.

Igitur ſicut iſtud auguſtiſsimum ſacramentum Euchariſtiæ totum inſtitutum eſt pro tota Eccleſia, ſic toti Eccleſiæ prodeſt: quia toti prodeſt Eccleſiæ ut ſacramentum, & toti prodeſt Eccleſiæ ut ſacrificium. Vtrunque enim uerè eſt ſacramentum, ſacrificium: atque ideò & per modum ſacrificij, & per modum ſacramenti, habet ualorem, effi-

caciam, utilitatemque. De illo ut est sacramentum, modò agimus, de illo etiam ut est sacrificium, paulò post, Domino fauente, nonnulla dicturi. Pluribus nanque nominibus istud mirabile sacramentum nominatur aliis, & quidem rationabiliter, & secundum ueras rationes ac proprietates, secundum quod optimè collegerunt doctores sancti & catholici. Quandoquidem ut bene notauit S. Thomas, hoc sacramentum dicitur sacrificium, dicitur communio uel synaxis, dicitur uiaticum seu Eucharistia, id est, bona gratia, & dicitur hostia. Sic etiam notauit Durandus hoc diuinum sacramentum propter suam perfectionem nominari in lege noua pluribus nominibus: quia dicitur Hostia, Sacrificium, Eucharistia, Viaticum, & Communio. Ita & tota schola Christiana docet, profectò maxima cum ratione, ut in de Sacrificio Missæ latius & explicabitur, & demonstrabitur: & sic omnes antiqui patres, hæc de isto mirabili sacramento notauerunt: Dionysius Areopagita in de Ecclesiastica Hierarchia, Damascenus, Augustinus, Ambrosius, & alij ubique.

S. Tho. par. 3. quæst. 73. art. 4.

Nomina huius diuini sacramenti.

Durandus lib. 5. dist. 8. quæst. 1.

Dionysius. cap. 3. Damascen. lib. 4.

Duo ego hîc adnotarem breuissimè; Alterum quòd effectus huius sacramenti in altera specie, est eiusdem speciei cum effectu eius in utraque: & quòd etiam minima gratia gratum faciens, si detur, est sufficiens ad salutem. Alterum, quòd ex sola institutione alicuius sacramenti non instituti immediatè aut directè contra peccatum, non possumus concludere aliam necessitatem sumendi illud, nisi necessitatem non contemnendi. Istam, sic, aliam, non. Vnde, qui uoluerit probare aliam necessitatem sumendi illud, aliunde illam debet ostendere, non ex sola institutione. Nanque ut bene patres notant in suis libris sententiarum, sacramenta illa instituta sunt, matrimonij, ordinis, confirmationis: sed nemo sapiens ex illorum institutione nititur deducere necessitatem sumptionis eorum, nisi eam saltem, quam diximus. Ità qui bene nouerit effectus mirabiles huius sacraméti in eo, qui alteram speciem sumpserit, non uidebit in laicis aut sacerdotibus seu clericis nō celebrantibus necessitatem sumendi utranque.

Agitur latius de effectibus huius diuini sacramenti, deque eorum impedimentis. *CAP. VIII.*



Diximus paulò ante summatim de effectibus huius augustissimi sacramenti, breuiter tamen, quia ad alia properabamus, quæ iam diximus: nunc autem, quia res est grauissima, placet adhuc & de illis dicere latius.

S. Tho. par. 3. quæst. 79. art. 1. Optimè S. Thomas quoad effectus huius sacramenti dixit nonnulla, Primum, quòd per hoc sacramentum confertur gratia. Secundum, quòd effectus huius sacramenti sit adeptio gloriæ. art. 2. quandoquidem ita legimus, Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum. & constat ipsam uitam esse, non nisi per gratiam & gloriam. art. 3. Tertium, quòd percipientes hoc sacramentum bene dispositi atque contriti, ueniam & remissionem peccatorum consequuntur: & qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet, qui insuper forte primò non fuit sufficienter contritus, sed deuotè & reuerenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. art. 4. Quartum, quòd cùm res siue effectus huius sacramenti sit charitas, non solùm quantum ad habitum, sed etiam quantum ad habitum, qui excitatur in hoc sacramento, utique hoc sacramentum & uenialia delet, & mortalia cauet. Charitas enim minuit concupiscentiam, & actus eius habet feruorem. art. 5. Quintum, Hoc sacramentum ex ui quidem sacramenti directè habet illum effectum, ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum & ad membra eius, sicut & nutrimentum unitas nutrito. Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis consequitur remissionem non solùm culpæ, sed etiam pœnæ: inde est quòd ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modũ suæ deuotionis, & feruoris. Sextum, quòd

quòd per hoc sacramentum præseruatur homo à peccatis futuris quodammodo. Hic est, ut inquit Dominus, panis de cœlo descendens, ut siquis ex ipso manducauerit, non moriatur. Quod quidem manifestum est, non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur quòd hoc sacramentum præseruet à morte spirituali, quæ est peccatum, siue per peccatum. Cum enim per Eucharistiæ sacramentum, quo Deo coniungimur & passio ipsa Christi significatur, intus animo homines roborentur, & exterius omnis dæmonum depellatur incursus, eo præseruari homines à futuris criminibus certum est. Sacra Eucharistia ut sacramentum & sacrificium, prodest quidem sumentibus: non sumentibus tamen prodesse potest per modum sacrificij tantùm. Ad pleniorem autem intelligentiam prædictorum ita bene dicimus, effectus huius mirabilis sacramenti debet aut potest considerari multis modis. Primò quidem & principaliter ex eo quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus. qui sicut in mundum uisibiliter ueniens, contulit mundo uitam gratiæ, secundum illud, Gratia & ueritas per IESVM Christum facta est. ita in hominem sacramentaliter ueniens, uitam gratiæ operatur, secundum illud, Qui manducat me, uiuet propter me. Vnde & Cyrillus dicit, Viuificatiuum Dei uerbum, uniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam uiuificatiuam; decebat ergo eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem & preciosum eius sanguinem: quæ accipimus in benedictionem uiuificatiuam in pane & uino. Secundò, consideratur ex eo, quod per hoc sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi. Et ideo effectū, quē passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentū facit in homine. Vnde super illud, Continuò exiuit sanguis & aqua, dicit Chrysost. Quia hinc suscipiunt principiū sacra mysteria, cum accesseris ad tremendum calicē, ut ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. Vnde & ipse Dominus dicit, Hic est sanguis meus, qui pro uobis effundetur in remissionem peccatorum. Tertiò, consideratur effectus huius sacramenti ex modo, quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi & potus. Et ideò omnem effectum, quem ci-

art. 6. | art. 7. | S. Tho. ibid. art. 1. | Ioan. 1. | Ioan. 6. | Cyrillus. | Ioan. 19. | Chrysost. | Matth. 26.

bus & potus materialis facit, quantum ad uitam corporalem, quòd scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat: hoc totum facit hoc sacramētum quantum ad uitam spiritualem. Vnde Ambrosius dicit in libro de sacramentis,
Ambrosius. Iste panis est uitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Et Chrysostomus dicit super Ioānem, Constat nobis desiderantibus & palpare, & comedere, & amplecti. Vnde & ipse Dominus dicit, Caro mea uerè est cibus, &
Ioan. 6. sanguis meus uerè est potus. Quartò consideratur effectus huius sacramenti ex speciebus, in quibus traditur hoc sacramentum. Vnde Augustinus ibidem dicit, Dominus
August. noster, corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Nanque aliud, scilicet panis, ex multis granis in unū constat: aliud, scilicet uinum, in unum ex multis acinis confluit. Et ideò ipse alibi dicit super Ioannem, O' sacramentum pietatis, ò signum unitatis, ò uinculum charitatis. Ex istis autem quatuor considerationibus, si quis aduertat, constabit satis efficacia huius sacramenti, atque quos, quot, quales, & quantos effectus habet.

Impedit autem profectò istos mirabiles effectus in suscipiente, quidem omne peccatum mortale, cuius suscipiens habet affectum aliquem habitualem, actualem, uel uirtualem: quia omnis ita suscipiens, iudicium potius sibi manducat & bibit. Sed quid de uenialibus peccatis, aut leuibus, sine quibus mortalis ista uita non ducitur? Quo ad uenialia præterita, aut etiam præsentia alia ab actuali distractione, omnes conueniunt, asserentes quòd minimè impediunt. Sed quid de actuali distractione mentis? Sanctus Thomas in scriptis tenuit augmentum gratiæ impediri
S. Tho. lib. 4. dist. 12. quæst. 2. art. 1. ex impedimento actualis conuersionis animæ ad Deum, ac per hoc sentiebat, quòd idem est tempus sumptionis sacramenti, & tempus augmenti gratiæ: quia illud idem constat esse tempus transformationis actualis animæ in Deum. Postea uerò in partibus idem doctor sanctus alio modo sentiens, fatetur quòd distractio actualis mētis, impedit qui-
S. Tho. par. 3. quæst. 79. art. 8. dem illum effectum huius sacramenti, qui est actualis refectio spiritualis dulcedinis: non autem impedit illum effe-

ctum, qui est augmentum habitualis gratiæ uel charitatis. Caietanus autem commentator eius in multis locis tenet, aut profectò magis uidetur tenere quòd actualis distractio etiam impedit augmentum charitatis habitualis, saltem pro eo tempore: & de hoc loquitur in multis locis, semper eodem modo sentiens. Caietanus ibid. art. 1. & quæst. 80. art. 12. & q. 34. art. 3.

Respondetur aduersariorum obiectioni ducta ex facto Christi Seruatoris nostri, nimirum quòd Apostolos communicauit sub utraque specie: quasi ex isto facto, tanquam exemplò debeat Ecclesia communicare sub utraque totum populum Christianum, etiam laicos. CAP. IX.



Os non obligant ad factum uel opus aliquod, Christi facta, sed Christi præcepta. multa enim ipse fecit, ad quæ non nos obligauit, ut infirmos curare, mortuos suscitare, & alia: atq; è contra, ad aliquid ipse nos obligauit, quod ipse non fecit, ut pœnitere. Minimè nãque ipse pœnituit, quia non habuit unde pœniteret; & tamen præcepit nobis pœnitere, dicens, Pœnitemini & credite Euangelio. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Secundò, quia illud factum cõmunionis Apostolorum, nullo modo potest esse exemplum ad communionem omnium laicorum: tum quia dum Saluator communicauit Apostolos de calice sub specie uini, iam illos fecerat sacerdotes, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Constat hoc ex ordine literæ, & ita intellexerunt semper grauiores doctores: tum quia certissimum est iam Apostolos esse Apostolos: iam erant de particulari familia & speciali collegio, pro quibus dominus soluit tributũ, & cum quibus tantùm, non cum aliis, Paschalem agnum comedebat, & iam à multis diebus Apostolos appellauerat, & ministerium piscationis hominum promiserat. Tertiò, quia si hoc factum faceret exemplum, illud magis esset ut Ecclesia nullo modo laicos communicaret, nec sub utraque, nec sub altera specie. Etenim Saluator quando in cœna istud diuinum sacramentum instituit, Marci 1. Matth. 4. Luca 13.

non publicè sed in secreto, non in domo communi, sicut est Ecclesia materialis, sed in domo priuata, nec laicos aliquos, sed Apostolos sacerdotes & strictè familiares cõmunicauit: quo tempore, & in qua ciuitate multos alios habebat amicos, discipulos, Christianos. Quartò, quia nec dominus aliis quàm suis discipulis, quos sacerdotes ordinauit, legitur sacramentum sub duplici specie porrexisse. Quinimmo è contra multi doctores sancti fatentur, Saluatorem nostrum apud Emaus illos duos discipulos suos non Apostolos, solùm sub specie panis communicasse: ita uerba Euangelij magis explicant, & ita doctores sancti, atque grausissimi docuerunt. Textus Euangelij sic habet, Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum. Constat ex istis quòd Saluator ita egit hîc, sicut in cœna. licèt non exprimantur illa uerba, Hoc est corpus meum. & constat quòd nulla fit mentio de calice. Sed magis exprimitur, quòd sumpto corpore in specie panis, statim aperti sunt eorum oculi, & disparuit Dominus. Doctores insuper ita senserunt sancti, & sanctè, Augustinus in de consensu Euangelistarum ait, Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis duorum discipulorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur IESVS, & à Christo facta est permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici. Chrysostomus super Matthæum, in opere imperfecto, & Theophilactus super Lucam, idem docent quod Augustinus in loco allegato. Sic etiam iam nunc communiter catholici doctores credunt, & exponunt. Ex facto igitur illo, quo Saluator noster communicauit Apostolos sacerdotes in cœna sub utraque specie, nullo modo potest fieri argumentum probans aut suadens quòd teneatur Ecclesia Christi, omnes & singulos Christi fideles sub utraque specie communicare. Immo ex hoc facto Saluatoris nostri magis sumitur argumentum, & satis inuicta probatio ad oppositum; uidelicet ut non teneatur. Firmiter memoriæ tenendum est, ut bene notat ac probat Ga-

Lucæ 24.


August. lib. 3. cap. 15. tom.

Chrysost. homil. 17.

Theophil. Lucæ 24.

briel Biel super Canonem de hac materia loquens, Factum Christi non semper inducere obligationem. Multa enim ipse fecit, in quibus nos non tenemur ipsum imitari, ut constat cunctis intuentibus. Omnia autem mandata eius nos obligant. Sed nos nunc quærimus mandatum ipsius de communione laicorum sub utraque specie, & non inuenimus: non inuenimus uerò, quia non est; si foret, inueniretur. Gabriel lect. 84.

Refellitur eliditurque alia aduersariorum obiectio ducta ex consuetudine per uetusta Ecclesiæ primitiuæ: obiiciturque contra illam per uetusta altera consuetudo communicandi sub altera tantùm specie, in eadẽ primitiua Ecclesia usurpata. CAP. X.



AD aliud obiectum, quo nobis obiiciunt, quòd consuetudo antiquissima Ecclesiæ, quam seruauit Ecclesia primitiua Corinthiorum, & secundum quam instituit Apostolus Paulus Corinthios ut bene communicarent, cõmunicabat omnes sub utraque specie, etiam laicos: quasi ideò non liceat Ecclesiæ Christi contra illam consuetudinem agere, aut laicos à communione sub utraque specie remouere: tanquam illa consuetudo sit, aut declaret esse præceptum diuinum de laicorum communione seruanda sub utraque specie. respondemus per duas conclusiones, alteram affirmatiuam, alteram negatiuam. Affirmatiua est, Illa consuetudo quãdiu non habuit inconueniens, nec fuit interdicta per aliquem habentem auctoritatem interdicendi, fuit bona, iusta, sancta, laudabilis. Negatiua est, Illa consuetudo non dicit per se, nec per accidens de ea re esse aliquod præceptum diuinum: nec aliquo modo probatur esse præceptum diuinum de illa, ex illa, aut ex aliquo, quod Apostolus dixerit circa illam, uel alibi. Affirmatiuam conclusionem probamus per seipsam, quia cùm illa consuetudo fuisset de re iusta, sancta & bona, ut constat, sequitur eam talem esse, quãdiu nec interdicta fuit, nec aliquod inconueniens habuit. Probamus autem negatiuam, nonnullis rationibus & manifestis, & sufficien-

Ratio 1. ad propositum. tibus. Primùm, quia nullibi legimus, nec ex aliquo habemus, quòd ipsa consuetudo dicat de seipsa, nec Paulus de illa, quòd illa consuetudo est de iure diuino præcipiente ita fieri. Seruauit enim illa consuetudo factum, sed non dixit illud esse diuinum præceptum: sicut multa alia reperimus à temporibus Apostolorum seruata, quæ dicimus quidem bona, iusta, & sancta, sed non à Deo præcepta. Apostolus etiam nihil aliud facit de hac re, nisi quòd narrat Corinthiis quemadmodum sub duplici specie Christus hoc sacramentum instituit, dicēs, Ego enim accepi à domino quod & tradidi uobis, quoniam dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens, &c. Et pòst, Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, &c. Deinde quia usus, seu consuetudo aut mos fuerat Corinthiis sub duplici specie communicare, quem ritum, quantum legimus, ipse non introduxit sed permisit, cum in nullo esset ea consuetudo contraria Euangelio; ipsos exhortatus est, ut communicarent in memoriam dominicæ passionis, & ut quilibet communicaturus probaret seipsum prius, dicens, Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis, donec ueniat. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Vnde ibi nihil aliud facit, nisi quòd factum narrat, quo Dominus istud sacramentum sub utraque specie constituit: & ipsos Corinthios sub utraque specie communicantes docet, quo modo communicare debeant. Aut ostendat aliquis, ubi dicat Apostolus communicandos fore laicos sub utraq; specie, de iure diuino. Secundò, quia & nos similiter habemus consuetudinem antiquissimam seruatam semper etiam in primitiua Ecclesia, Hierosolymis, temporibus Apostolorum, Petri, Iacobi, Ioannis, & aliorum, communicandi populum sub altera specie tantùm. Sic enim legimus in Actibus Apostolorum, Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus. Ecce ibi legimus de omnibus credentibus, qui erant Hierosolymis illis primis die-

1. Cor. 11.

Ratio 2.

Act. 2.

bus cum Apostolis, quòd perseuerabant in doctrina Apostolorum, in communicatione, & in fractione panis. Quo loco expositores catholici, etiam antiquissimi, per communicationem aut fractionem panis, intelligunt communionem sacram; & nulla prorsus mentio ibi habetur de cõmunicatione, fractione, aut diuisione uini, sed tantùm panis. Nãque ubi dicitur, in fractione panis. Glossa, ut exponit Magister in scholastica historia, dicit, id est, Eucharistiæ. Ita & doctores sancti antiquissimi de sacramento Eucharistiæ sub sola specie panis loquuntur, nihil tunc dicentes de specie uini. Cyprianus in expositione orationis dominicæ, illud uerbum, Panem nostrum supersubstantialem, interpretatur corpus domini. Sanctus Ignatius, qui fuit Apostolorum temporibus, & Augustinus ad Honoratum, solùm de corporis communione loquuntur. Ambrosius in libro de sacramentis, potissimè agit de corporis communione. Idem in concilio Nicæno. Et ueterum conciliorum canones frequenter meminerunt communionis laicæ. Sic & beatus Cyprianus scribit ad Antonianum Trophimum Episcopum, receptum esse, sed ut tanquã laicus communicet, & non usurpet locum sacerdotis: licèt in isto loco bene possit intelligi, fuisse illi Episcopo interdictam consecrationem. Vt etiam scribit Hieronymus, Dominus apparuit Iacobo, qui dicitur frater domini, & tulit panem, benedixit, ac fregit, dedit illi, & dixit ei, Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis. Antiquissima est insuper consuetudo, quòd infirmis sub altera tantùm specie sacramentum hoc fuerit ministratum, regulariter sub specie panis, & quando per oris siccitatem speciem panis deglutire non poterant infirmi, sub sola uini specie sanguis ministrabatur. Eusebius narrat de Serapione, quòd per puerum sacerdos aliquid miserat Eucharistiæ, quod ori eius infundebatur. Refert etiam ex epistola beati Dionysij Alexandrini, quòd presbyter, qui ob infirmitatem uenire non poterat, parũ Eucharistiæ puero, qui ad se uenerat, dedit, quod infusum iussit seni præberi. Iudicabãt enim illi patres, neminẽ sine sua culpa fraudandũ esse sacra Eucharistia: & sic, si per infirmitatẽ corpus do-

Gloss.
Cyprian.
Ignatius. In epist. ad Ephes.
August. Epist. 180.
Ambro.
Sardi c. 1.
Agat. c. 50
Cyprian. lib. 4. epist. 2.
In concilio Toletano 2
Lib 6 hist. ecclesiast. cap. 34.

mini sumere non poterant, ministrabāt sanguinem Domini sub specie uini, in hoc utētes libertate Ecclesiæ relicta, & sibi concessa potestate, in his, de quibus nihil disposuit Dominus. Gregorius refert in dialogis Agapitum Papam communicasse quendam mutum & claudum de corpore Domini, nulla facta mentione de Calice. In concilio Renen. uetitum est, ne laici deferant corpus Christi ad infirmos, & in concilio Vuormacien. præcipitur omnibus parochis, ut semper in promptu habeant corpus Christi pro infirmis. Ambrosius testatur de Satyro fratre suo, qui corpus Domini secum in naui habuit: de quo non est credendum, quòd sit secum in naui portaret sanguinem sub specie uini. Chrysostomus, uel auctor operis imperfecti, credit Paulum nauigantem consecrasse & de manu sua Lucæ & aliis discipulis sacramentum hoc in specie panis tradidisse. Leo primus, ad extinguendum errorem Manichæorum, præcepit, ut omnes sub utraque specie communicarent: ex quo constat, consuetudinem tunc fuisse laicis sub altera tantùm specie communicari: Aliàs, ut quid communicationem sub utraque de nouo præciperet. Gabriel Biel super Canonem de hac consuetudine communicandi laicos sub altera tantùm specie, dicit uerè & constanter. Neque usus ille sub una specie communicandi nouus est, sed antiquus; & tanti temporis, quòd ipsius initium neque est in memoriis hominum, neque in scriptis doctorum, nec in annalibus scribentium reperitur. Pius decimus fuit Papa post beatum Petrum, ut refert Augustinus in epistola ad Generosum. is prouidit de faciendis, si per negligentiam sacerdotis aliquid sanguinis super terram stillasset, & nihil disposuit, si id per negligentiam laici fieret; satis indicans, non esse tunc consuetudinem Romanæ Ecclesiæ communicare laicos de Calice. Alioquin non neglexisset prouidere in culpa laicorum, sicut non neglexit prouidere in culpa aut negligentia sacerdotum: præsertim cùm illa stillatio frequenter posset uenire ex laicis, & fortè frequētius quàm ex sacerdotibus. Rursus si populus olim fuisset apud nos communicandus etiam sub specie uini, necesse erat ad hoc parari uasa magna, & quæ sufficerent ad tantam populi multi-

Gregorius lib. 3. cap. 3.

De consecr. dist. 2. c. Peruenit. c. Presbyter.

ubi supra. Homil. 17.

Gabriel lect. 84. litera N.

August. De consecr. dist. 2. c. Si per negligentiā.

multitudinem communicandam. Quomodo igitur de his uasis consecrandis, lauandis, tangendisque, nihil statuisset Ecclesia; quæ tam solicitè de altari, pallis, uestibus, uestibus sacerdotalibus, & calice ordinauit? Signum manifestum, quòd illo tempore non communicabat populus sub utraque specie. Sic S. Thomas dicit, Est multarum Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis, id est, sub specie panis, non sub specie uini. Alexander de Ales qui nõnullos annos, fermè triginta, ut quidam uolunt, ante sanctum Thomam scripsit, in laudem & probationem consuetudinis communicandi non sacerdotes sub altera specie tãtùm, narrat factum miraculosum & memorandum, dicẽs, Quibusdã religiosis petentibus & instantibus, ut sub utraque specie sumerent sacramentum, sacerdote quodam pio cantante, cum faceret hostiæ fractionem, concauum patenæ totum uisum est repleri sanguine. Ad quod obstupuerunt ipsi circunstantes: sed cum coniungeret partes hostiæ, totum uisum est reintrare. Et sic petitioni & tentationi illorum fuit penitus satisfactum. Hæc ille. Ecce iam tunc multis annis ante concilium Constantien. consuetudo fuit communicandi non celebrantes sub altera specie. Illam consuetudinem probauit Dominus facto illo miraculoso: & petentes communicari sub utraque, stante illa consuetudine, uocat Alexander tentatos. Augustinus etiam in suis confessionibus narrat de sancta Monica matre sua, quòd cum in die Pentecostes esset refecta refectione illius panis, qui de cœlo descendit, post sumptionem sacramẽti, tanta satietate repleta fuit, quod per diem & noctẽ absque omni corporali cibo perseuerauit. Ecce quantũ uerba ostendunt, solùm uidetur meminisse, de sumptione Christi sub altera specie. In eodem loco narrat, etiam eandem Christi ancillã accepisse sacramenta in die S. Cypriani; & iterum quòd cũ apud hostia Tyberina infirmaretur, sacramenta fideliter petiuit; quasi mentionẽ faciat de duabus speciebus, in eo quod bis dicit, Sacramenta. Significant autẽ ista uerba August. utrunque modum communicandi eo tempore fuisse in usu: uel sub utraque, uel sub altera specie.

S. Tho. par. 3. quæst. 80. art. 12.

Alexand. de Ales. part. 4. quæst. 53.

August. lib. 9.

Ecce ipsi aduersarij opponunt nobis consuetudinem antiquam communicandi omnes fideles sub utraque specie, in primitiua Ecclesia obseruatam apud Ecclesiam Corinthiorum, & à Paulo Apostolo cognitam, permissam, atq; laudatam. Nos autem opponimus illis aduersariis consuetudinem etiam antiquam communicandi omnes fideles sub altera specie tantùm, in primitiua Ecclesia etiam obseruatam apud Ecclesiam Hierosolymitanorum, ab Apostolis Petro, Iacobo, Ioanne, & aliis cognitam, permissam, laudatamque. Quid ergo hîc dicere quisquam potest? Quidem, quantum arbitror, & firmissimè credo, nos magis piè, magis Christianè, uerius & rationabilius loquimur, qui in iure diuino stando, & secundum ius diuinum iudicando, in illo iure dicimus nullam istarum consuetudinum esse damnatam aut prohibitam: sed potius in illo iure diuino ambas esse concessas, licitas, sanctas, pias, bonas, iustas: nisi aliunde fortè quid accidat, quo aliqua illarum fiat mala, seu non licita. Nos nullam in iure diuino dicimus damnatam, quia nullam in iure diuino legimus prohibitam. Ipsi nostri aduersarij in diuino iure damnant nostram, sed non ostendunt illud diuinum ius. Iudicet igitur totus mundus, quis rationabilius loquatur: aduersarij nostri, uel nos. Et si attendimus, nostra consuetudo est antiquior quàm ipsorum, quia de illa non legimus nisi in Ecclesia Corinthiorum, quam conuertit Apostolus Paulus: de nostra autem legimus in Ecclesia Hierosolymitanorum, quam conuerterunt Christus, & alij Apostoli eius, etiam ante Apostoli Pauli conuersionem. Etenim de fidelibus, qui erant Hierosolymis, narrat Lucas in secundo capite,
Act. 2. quòd erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & cõmunicatione, & fractione panis, & orationibus: de conuersione autem Apostoli Pauli, multis interpositis, narrat
Act. 9. Lucas postea in capite nono. Nostra igitur consuetudo est antiquior. Et rursus nemo non uidet quanto maioris excellentiæ, dignitatis, & præeminentiæ fuit illo tempore Ecclesia Hierosolymitana, supra Ecclesiam Corinthiam.
Act. 2. Dicit ergo scriptura sancta de illis primis Christianis, Erãt autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & com-

municatione fractionis panis, & orationibus. annumerans atque explicans de illis ea ſpiritalia, in quibus frequentes erant. Quo loco noſtra conſuetudo expreſsè oſtenditur, narratur, probatur, & commendatur: quia ibi agitur de illis ſpiritalibus, doctrina Apoſtolorum & orationibus, atque in medio ponitur, & communicatione & fractione panis. Vnde ibi dicit Nicolaus Lyranus tum quia quotidie communicabant, tum quia communes cibos ſicut & cætera communia habebant. Idem & Gloſſa interlinearis: atque idem ibi, & Chryſoſtomus antiquiſsimus. Sic & multi alij doctores catholici tradunt, tum antiqui, tum poſteriores. Cum uidiſſet Philippus Melanchthon noſtram hanc demonſtrationem, & probatiſsimam antiquitatem, uolens illam declinare, & neſciens quò fugeret, dixit non reſpondens, ſed reſpondere fingens, Primùm fingunt initiò Eccleſiæ alicubi morem fuiſſe, ut una pars tantùm porrigeretur, nec tamen exemplum huius rei uetus ullum adferre poſſunt, ſed allegant locos in quibus fit mentio panis, ut apud Lucam, ubi ſcriptum eſt, quòd diſcipuli agnouerint Chriſtum in fractione panis: citant & alios locos de fractione panis. Quanquàm autem non ualde repugnamus, quo minus aliqui de ſacramento accipiantur, tamen hoc non conſequitur, unam partem tantùm datam eſſe, quia partis appellatione reliquum ſignificatur communi conſuetudine ſermonis. Hæc ille. Ecce non eſt auſus alio modo declinare manifeſtam ueritatem noſtræ antiquiſsimæ conſuetudinis, niſi illo, quo aſſerit in illis locis dum de fractione panis eſt ſermo, debere intelligi etiam de ſpecie uini: quaſi nomine partis, ſit ibi explicatum totum, ut ſolet fieri. Ad illam autem eius fugam nos dicimus multipliciter, Primùm, in re tanta non ſic licet ad figmenta, aut fictiones fugere: quanuis in rebus minoris momenti poſſet facilè uel illa fuga, uel alia etiam minima admitti. Secundò quia Lucas Euangeliſta non erat breuis ſermonis, ut Marcus; ſed abũdantioris, ac longioris; ut de illo fatentur omnes, ſicut & de Apoſtolo Paulo reſpectu Apoſtoli Petri. Tertiò, quia ſicut dicimus in Eccleſia Corinthiorum communicari tunc in utraque ſpecie, quia de utraque reperimus in ſcriptura

Niccolaus Lyran. Gloſ. interlin. Chryſoſt.

In apologia confeſsionis Auguſtana

ſancta factam mentionem: ſic dicimus in Eccleſia Hieroſolymitanorum communicari tunc in altera tantùm, quia de altera tantùm loquitur ſcriptura ſancta. Maximè quia in ea re grauiſsima, firmiſsimè credimus, & nullo modo dubitamus, quòd ſi illi primi fideles eo tempore, & eò loco, in utraque ſpecie communicarent, Lucas Euangeliſta minimè de alia ſpecie tacuiſſet. Cõſcribebat enim hiſtoriam, & non dubium quin ad noſtram inſtructionem & doctrinã. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Eratque Lucas Euangeliſta ſermone affluens, ut ex ſuis ſacris ſcriptis, conſtat omnibus. Quia igitur Eccleſia Corinthiorum eo tempore communicabat in utraque ſpecie, fecit Apoſtolus ibi mentionem utriuſque: ita quia Eccleſia Hieroſolymitanorum eo tempore communicabat in altera tantùm, fecit Lucas ibi mentionem tantùm alterius. Nec licet ita declinare pro libito, ut pars accipiatur pro toto: quia in re tam graui, ſi ita eſſet, Euangeliſta illud declaraſſet. Maximè non licet illo modo declinare: quia illa pars, id eſt, ſacramentum Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, eſt utique uerum ſacramentum Euchariſtiæ, habens propriam materiam, propriam formam, propriam conſecrationem, proprium ſignificatum immediatum ex ui conſecrationis, continet totum Chriſtum, & habet magnam utilitatem ſpiritualem, ut ſatis monſtratũ eſt.

Legimus ergo fuiſſe ab initio naſcentis Eccleſiæ conſuetudinem in aliquibus Eccleſiis communicandi laicos in utraque ſpecie, ut declarat Apoſtolus de Eccleſia Corinthiorum, & ut declarat Dionyſius fuiſſe in ſua Eccleſia, in de Eccleſiaſtica Hierarchia, & ut dicit Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymorum uel inſinuat fuiſſe conſuetudinem illius Eccleſiæ, ſuo tempore, multos annos poſt Apoſtolos: ut etiam declarat Cyprianus de ſua Eccleſia, & ſic de aliis, pro diuerſitate temporum, & locorum. Nullum tamẽ uidi doctorem catholicum unquam, qui diceret ipſam eſſe aut fuiſſe aliquando conſuetudinem uniuerſalem ſeu generalẽ in tota Eccleſia Dei. Vidi autem doctorem catholicum, & ut ita dicam, ſatis ſtudioſum ac doctum, qui putat Ec-

1. Cor. 10. & 11. Dionyſius. cap. 3. Cyrillus. in fine ſui tract.

clesiam sanctam Romanam, Catholicam & Apostolicam, nunquam talem consuetudinem uniuersalem habuisse: ante Leonem Papam, qui ad extirpandum errorem Manichæorum præcepit ut omnes in altera specie communicarent. Ille doctor est Gabriel Biel, qui ita docet super canonem Missæ, ut paulò ante posuimus ex eodem. Laudat ibi plurimùm istum modum seu ritum communicandi laicos in altera specie tantùm, adducit etiam doctores, qui idem laudant: & dicit, Assignant autem doctores, Alexander de Ales, S. Thomas, Bonauentura, & post eos Cancell. Parisien. Gerson in tractatu suo, quem de hac materia in concilio Constantiensi scripsit, causas quàm plurimas, cur sancta Ecclesia catholica, hunc ritum introduxit, & laudabiliter cõtinuat, & continuabit? Vna est, ut euitetur periculum distillationis, & effusionis sanguinis Christi: qui non nisi cum maxima cautela & prouidentia est tractandus propter fluxibilitatem specierum uini, sub quibus continetur, quæ de facili possunt effundi. Præsertim in tanta pressura; & multitudine communicantium; cum ad communicandum persæpe conueniunt homines tremuli, barbati, infirmi, paruuli: qui satis prouidè sanguinem sumere non possunt, quin de facili peccata & pericula grauia sequerentur. Quantum autem peccatum & quàm graue sit stillatio, uel effusio sanguinis Christi, satis declarat pœnitentia sacerdoti iniungenda, per cuius negligentiam gutta sanguinis cadit in terram, uel in pallam altaris. Iuxta decretum Pij Papæ, quod ponitur De consecratione. Vbi præcipitur quòd cùm de sanguine aliquid stillauerit per negligentiam sacerdotis super terram, lingua lambetur, tabula radetur, & rasura igne consumetur, &c. & sacerdos quadraginta dies pœniteat, tot diebus ieiunando, & à celebratione abstinendo, ut dicit Glossa. Si ergo, tali negligentia accidente, terra debet lambi, radi, & post rasuram in ignem proiici, & comburi, &c. Nunquid pepla mulierum, & barbæ uirorum Christi sanguine madida, ignibus ueniunt tradendæ? Pœnitentiam denique talem laici non sine grauamine, murmure, & contradictione susciperent, & ferrent. Rationabiliter igitur & cautè ordi-

Gabriel lect. 84. litera O.

dist. 2. c. Si per negligẽtiam.

nauit Ecclesia, communionem sub speciebus panis tantùm percipi debere quoad laicos; & ut irreuerentia & periculum euitetur, & populus tam graui pœnitentiæ non exponeretur. Maximè cum omnem fructum interiorem consequantur ex sumptione corporis & sanguinis sub una specie, sicut sub duabus. Ex ista etiam constitutione Pij Papæ uehementer coniecturari potest, quòd consuetudo communicandi sub una specie, est uetustissima, & ab antiquo in Ecclesia obseruata. Nam Pius decimus fuit Papa post beatum Petrum, ut refert beatus Augustinus in epistola ad Generosum. Et sedit in cathedra Petri, circa annum centesimum quinquagesimumtertium. Quod si suo tempore fuisset consuetudo communicandi populum laicalem sub utraque specie, ut uerisimiliter, prouidisset de effusione sanguinis, quæ contingere posset in communione laicorum: sicut fecit de Ecclesiæ ministris: cum minus prouidi sint laici in sumptione, quàm Ecclesiæ ministri. Hæc ille. Infrà, Item quæritur, In quo uase fieret tanti uini consecratio, quod sufficeret pro decem aut uiginti millibus personarum? Quomodo de his uasis consecrandis, lauandis, tangendis, nihil statuisset Ecclesia; quæ tam solicitè de altari, pallis, uestibus sacerdotalibus, calice, &c. ordinauit?

Aug.

Disiicitur alia obiectio ab aduersariis ex auctoritate sanctorum patrum constructa, quia scilicet ipsi communionis sub uini specie meminerint. CAP. XI.



AD aliud obiectum, quo nobis obiiciunt sanctos Patres etiam de communione sub specie uini fuisse loquutos, referentes Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Gelasium Papam, & Synodum Toletanam, Respondemus, Nec hoc probat communicationem sub utraq; specie esse præceptam diuino iure quoad omnes Christi fideles, etiam laicos. Illi enim sancti patres, & multi alij, quos omnes nos ex toto corde accipimus & amplectimur, & si loquantur de communione sub utraque specie, prout illa tunc apud multos erat in consuetudine, nullo

tamen modo in aliquo loco dicunt eam esse de iure diuino. Sciebant eam de se esse bonam, & in iure diuino licitam: atque non uidebant eam tunc aliquo iure humano esse prohibitam, aut interdictam. Neque ullo modo dubito, quin si ipsi patres uidissent aliquando de ea re in concilio uniuersali tractari, & communionem sub altera specie quoad laicos probari & præcipi, consentirent & laudarent. Ita credidit Augustinus in simili de beato Cypriano. Putauit enim Cyprianus quòd baptizati inter hæreticos erant iterum baptizandi apud Christianos: putauit, & determinauit: atque Donatus ex illa determinatione non paruam uexationem postea inferebat nostris fidelibus, allegans illam determinationem Cypriani. Augustinus autem in de unico baptismo contra Donatistas adducit concilium uniuersale habitum post gloriosum martyrium Cypriani, in quo determinatum est oppositum, pro unico baptismo: asseritque, non dubitans, quòd si Diuus Cyprianus illam determinationem plenarij concilij uidisset, illi profectò se ac suam sententiam conformasset. Ita in proposito dicimus. Itaq; illi sancti Patres de communione laicorum sub utraq; specie loquuntur, sed nusquam & nunquam dicunt illam esse de iure diuino præceptam, quanquàm ea sit in iure diuino licita: ideò sententia illorum nihil facit contra nos, qui nõ negamus eam in iure diuino licitam, sed dicimus eam non esse in diuino iure præceptam. De hoc autem nihil illi patres dixerunt. Secundò, quia sicut illi patres locuti sunt de communione sub utraque specie, tanquàm illam probantes; sic & quidam alij sancti patres locuti sunt de communione laicorum sub altera specie, probantes etiam illam, ut constat ex dictis ad nostram consuetudinem. Sententia autem doctorum satis non probat nisi quando determinant conformiter. Nec nos doctores illos sanctos ponimus in oppositione, sed ostendimus illos differenter locutos, quia agebant secundum uarias consuetudines, quarum utraque erat in diuino iure licita, & in usu fidelium in locis diuersis, uel fortè etiam in eodem loco. Vnde & nos etiam in hoc magis piè loquimur, quia sanctos patres & à mendacio, & ab oppositione saluamus: ut mites simul simus, tum

quoad ipsas consuetudines, tum quoad ipsos sanctos doctores. Tertiò, quia doctores catholici, noti, & probati, qui de hac re ex proposito locuti sunt, quærentes, an liceat in iure diuino laicos communicare sub altera specie? an sint de iure diuino laici communicandi sub utraque? omnes dixerunt non esse de iure diuino communionem laicorum sub utraque, sed licitam esse illis de iure diuino communionē sub altera. Alexander de Ales, sanctus Thomas, sanctus Bonauentura, Ioannes Gerson, Gabriel Biel, schola theologica Parisien. schola theologica Louaniensis, tota schola Christiana simul, ut iam ex dictis est notum.

Ambr. Verbum Ambrosij ad Imperatorem, specialiter nihil probat contra nos, tum propter rationes statim dictas in generali: tum, quia potuit illo tempore talis esse consuetudo Imperatoris propter eius dignitatem, ut communicantibus aliis laicis sub altera specie, ipse ex consuetudine cōmunicaret sub utraque. Sic enim hodie Imperator habet multa priuilegia, quæ non sunt aliis laicis communia: sic etiam & nunc Christianissimi reges Francorum bis communicant sub utraq; specie: uidelicet in die unctionis, & dum iamiam sunt in extremis. Præsertim quia idem Ambrosius in libro de Sacramentis, potissimùm agit de corporis dominici communione: & de Satyro fratre suo testatur, quòd corpus Domini secum in naui habuit, quæ passa est naufragium. An est uerissimile, quod & ille secum in naui sanguinem Domini sub specie uini liquidi, & fluidi detulerit? Videant omnes. Simili modo non facit contra nos, illud capitulum, Comperimus. quod aduersarij allegant. Primùm, quia ille Canon, secundum Glossam, & doctores cōmuniter, solos sacerdotes respicit. Quod & constat ex rubrica, quæ præmittitur, quæ est hæc, Corpus Christi sine eius sanguine non debet sacerdos accipere. Est autem communis usus doctorum, ut Canones secundum rubricas intelligamus. Secundò, quia Pelagius, auctor eius canonis, non multo tempore fuit post Leonem, qui in detestationem erroris Manichæorum uoluit & præcepit, omnes communicare sub utraque specie: & ideò fortè propter easdem rationes adhuc tunc uigentes, illum canonem edidit.

De consecr. dist. 2.

dit. Cyprianus fuit temporibus Martyrum, unde & ipse gloriosus Christi Martyr, ipsius Christi dono martyr effe-ctus est: rursus & illis temporibus erant prope Cyprianum aræ, siue altaria Gentilium, ubi immolationes sacrificiaq; fiebant dæmoniis, ex quibus immolatis sumebat populus Gentilis, edebat, & suis filiis etiam paruulis tradebat. Inde motus Cyprianus, ut homines ad martyrium magis excitaret pro Christo, sanguinem Christi quasi pro eis fusum & á corpore separatũ, sub distincta specie uini porrigebat: non tanquam sanguis ibi esset á corpore separatus, sed quia illa species expresſius repræsentat sanguinem effusum, liquidum, ac fluidum. Simili modo & paruulos fidelium de nostro sacrificio cõmunicabat, quia sacerdotes Gentilium etiam suos paruulos communicabant de suis sacrificiis. quod, si non fieret apud nos, fortè conuersionem Gentiliũ uel impediret, uel aliquo modo retardaret. Aegrè enim ferrent conuersi, uel conuertendi ad fidem, quòd paruuli sui non communicarent de nostro sacrificio, sicut paruuli Gentilium communicabant de suis. Huic infirmitati subueniebat Cyprianus, communicando paruulos: putans tamen se se id licitè posse facere, idque sibi licere. Eodem modo nec dictum Chrysostomi facit contra, tum, quia ipse alibi loquitur de communione sub altera specie, ut est iam dictum: tum, quia stando in iure diuino, omnibus licet de utraque communicare. Neq; ius diuinum noui testamenti prohibet alicui fideli communicare aut sumere de toto nostro sacrificio, cum tamen ius diuinum ueteris testamenti, prohibuisset laicis, edere de multis oblatis. Hoc notauit Chrysostomus, sicut erat ualde notandum.

Alia aduersariorum obiectio, ex Pauli Apostoli uerbis ducta, prosternitur. CAP. XII.




D aliud obiectum, quo nobis obiiciunt ex illo uerbo Apostoli, Vnus panis & unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus: quasi nos non communicando laicos de calice, faciamus

Responsio. illos extra corpus, Respondemus, Dum communicamus laicos sub altera specie tantùm, minimè eos extra corpus facimus: sed si fas est dicere, magis eos in uno corpore Christi mystico uisibili constituimus. Ita enim perfectè quis incorporatur corpori Christi mystico sumendo sub altera specie corpus Christi proprium, sicut qui illud sumit sub utraque: tum quia tantùm sumit de Christo, tum quia sumit gratiam necessariam sacramenti. Vt de his omnibus

Ad arti 4. dictum est satis. Deinde quia Apostolus in eo loco nihil aliud fecit, iuxta consuetudinem illam, quam habebant Corinthij communicandi sub utraque specie, in quo ritu omnes illi unum erant, unum corpus mysticum, & unus panis mysticus, nisi quòd formauit doctrinam, qua eos uoluit à communicatione dæmoniorum & mensa eorum separare. Sic nãque formauit argumentum, Qui edunt hostias, participes sunt altaris: & in eo unum sunt, in quo participant: & socij illius sunt, de cuius mensa & calice bibunt. Vnus panis & unum corpus multi sumus; omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Calix benedictionis, cui benedicimus, non'ne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, non'ne participatio corporis Domini est? Tunc posuit doctrinam per conclusionem. Nolo autem uos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Qui edunt hostias, participes sunt altaris. Hæc ille. Quibus nihil aliud fecit, nisi quòd suam doctrinam, in consuetudine Corinthiorum aduersus suos malos mores declinandi ad aras idolorum, fundauit. Idem facturus omnino, si ipsi Corinthij de mensa domini solam speciem panis communicarent. Sic enim tunc eis diceret, Panis, quem frangimus, non'ne participatio corporis domini est? Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus; omnes qui de uno pane participamus. Videte Israël secundum carnem, Non'ne, qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatum, sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? Sed quòd quæ immolãt gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem uos

ſocios fieri dæmoniorum. Nō poteſtis menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Ita profectò ille Apoſtolus domini illis Corinthiis diceret eo caſu, nihil loquens de calice; & eadem ſine dubio eſſet doctrina, ut conſtat omnibus. Tertiò, quia & ſi laici non participent de calice ad bibendum, ſeu ad illum uſum potationis in particulari; participant de illo quo ad alia, quia participant de toto ſacrificio, quod totum offert ſacerdos in perſona Domini pro toto populo Chriſtiano: pro uiuis etiam, & defunctis. Quartò, quia ſi illi multi ſunt unum, qui conueniunt in multis ſignis ſenſibilibus, & in illis aut de illis participant: multo magis illi multi ſunt unum, qui in uno ſigno ſenſibili conueniunt, & in illo participant. Et quidem quantum ad incorporationem ſpiritalem attinet, qua omnes iuſti unum corpus uiuum ſunt in Chriſto, & membra eius uiua in ipſo: hanc facit ſufficienter hoc ſacramentum, etiam ſi ſub ſpecie panis tantùm ſumatur, ut conſtat ex dictis. Paruuli autem baptizati de iſto corpore ſunt, etiam ſi neutram ſpeciem ſacramenti in re ſuſcipiant.

Refellitur aboleturque obiectio, quæ ex Petri Apoſtoli uerbis procuditur. CAP. XIII.



AD aliud obiectum, quo nobis obiiciunt ex illo uerbo Apoſtoli Petri, Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. quaſi ex hoc omnes ſint ſacerdotes, quotquot ſunt Chriſtiani. Reſpondemus, Apoſtolus Petrus in eo loco id facit maximè, quòd oſtendit ea uerba iam nunc populo Chriſtiano conuenire: quæ olim populo Iſraëlitico conueniebant, ut conſtat. Ita enim olim illi populo dicebat Deus, Si ergo audieritis uocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra. Et uos eritis mihi in regnū ſacerdotale, & gens ſancta. Alibi, En Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius: & faciet te excelſiorem Exodi. 19.

cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est. Docuit igitur Petrus, quòd ad nos sit iam translatum sacerdotium, regnum Dei in terris, peculiari modo, sanctitas, iustitia, ueritas, & alia id genus. Vnde simul docet & in nobis impletum esse illud Oseæ, Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Sicut ergo ille populus olim erat regnum sacerdotale, non tamen omnes erant sacerdotes, sed soli de tribu Leui ac de familia Aaron: & sicut ille populus erat sanctus, non tamen omnes in illo erant sancti, sed erant in illo particulariter multi peccatores: sic & modò inter nos Christianos. Hoc uno excepto, quòd in nobis completur quodam modo abundantius illud uerbum: tum, quia ibi de una sola familia Aaron sumebantur ad sacerdotium: hîc autem non de una sola familia, sed indiscriminatim de toto populo, de omniq; familia omnium & singulorum Christianorum; tum, quia ibi non de omnibus sacrificiis, oblationibus aut libaminibus licebat laicis edere: hîc autem stando in solo iure diuino omnibus licet edere de omnibus, ut iam dictum est. Verum igitur sacerdotium est apud nos. sed non sic ut omnes & singuli de populo Christiano habeãt potestatem offerendi sacratissimum corpus Domini, in ara Ecclesiæ, altari Dei uiui. Habent nihilominus omnes & singuli Christi fideles sacerdotium sanctum spiritale, quo possunt offerre Deo spiritales hostias, acceptabiles Deo per IESVM Christum, de quo etiam specialiter diuus Petrus in eodem loco habuit sermonem. Verùm hæc, multùm sunt distantia. Nãque illud sacerdotium reale offerendi corpus Christi uerum, non habent nisi quibus datur specialiter, etiam si sint sanctissimi aliàs: istud autem sacerdotium spiritale ad alias hostias offerendas, omnes Christiani habent. Quod uerò illi sacerdotes illius primi & altissimi ordinis, sint distincti in populo Christiano, qui ex officio habent regere populum, & quibus tenetur obedire populus; manifestè docuit idem Apostolus Petrus, & in ipso capite satis, & aliàs. Manifestè locutus est Apostolus

Oseæ 2.
Rom. 9.

Paulus de ordinatione Episcoporum, sacerdotũ, aut pres- 1. Timo. 3. & 4.
byterorum; ostendens quòd ista potestas mirabilis & san- Ad Titũ 1.
cta ueniat ab aliis in alios per manus impositionem, atque realem traditionem, siue collationem. Vt nullus Christianus putet se sacerdotem ad hoc mysterium altissimum, nisi ipse specialiter accipiat hoc donum, hanc potestatem, & dignitatem. Et quidem in nouo testamento dixit Apóst. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui uocatur à Deo, Hebr. 5.
quemadmodum & Aaron. Sermo erat de pontificibus, & sacerdotibus.

Conteritur obiectum ex illis uerbis Seruatoris nostri efformatum, Quod autem uobis dico, omnibus dico. Quæ omnibus communia, & quæ quibusdam specialia sint, declaratur: & quæ Apostolis ab eodem Seruatore dicta iniunctaque sunt, quo pacto accipi debeant, explicatur. CAP. XIIII.



AD aliud obiectum, quo nobis obiiciunt ex illo uerbo Domini, Quod autem uobis dico, omnibus dico. quasi ex illo sequatur, debere omnia esse communia omnibus, atque de facto esse, magnis, mediis, & paruis, Apostolis, Episcopis, sacerdotibus, & cunctis laicis. Respondemus, Absit talis intelligentia uerbi diuini. Nunquam sic Dominus intellexit, ut omnia faceret aut diceret communiter omnibus & singulis de sua Ecclesia Christiana. Quia immo quædam fecit & dixit specialiter quibusdam, quædam uerò fecit & dixit generaliter omnibus. Etenim communes mores, ac doctrinam legis suæ, communia fecit, & communiter dixit: potestatem autem siue auctoritatem ministrandi sacramenta, potestatem consecrandi & offerendi uerum corpus suum sacratissimum, atque potestatem regendi & gubernandi, dirigendique populum suum in cœlum & uitam spiritalem, non sic dedit omnibus: sed paucis, quos ad munus istud elegit, & per quos istam potestatẽ ad nos deriuauit. Vnde quæ pertinent ad mores, & legis obseruantiam, omnibus fuerunt semper & sunt communia. Quæ autem pertinent

ad sacramentorum consecrationem uel administrationem, aut etiam populi gubernationem, non sic sunt communia, sed sunt quibusdam specialia. Neque aliquis posset magis agere contra diuinam scripturam, aut cõtra Dei Ecclesiam, quàm qui diceret, Saluatorem nostrum indiscriminatim omnia fecisse & dixisse omnibus, & singulis Christianis; tum quæ pertinēt ad ministrationem sacramentorum, tum quæ pertinent ad dignitatem, & gubernationem populi,
Matth.4. cum aliis. Speciale nanque illud dictum ad Apostolos est, Venite post mé, faciam uos fieri piscatores hominum. Et etiam speciali quodam modo de uita prælatiua seu præ-
Matth.5. latorum sunt illa uerba diuina, Vos estis sal terræ, Vos estis lux mundi, &c. quæ speciali quodam modo Apostolis eorumque successoribus dicta sunt. Vnde doctores omnes theologi catholici, ita hunc locum & ista uerba diuina intelligunt tanquam hîc ostendatur & commendetur Apostolicum officium, quodam modo speciali. Speciali etiam mo
Matth.10. do legimus quòd Saluator noster dixit discipulis suis, Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Sic
Ibidem. etiam legimus, quòd, Cõuocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Ita apud Matthæum, nominatis ac numeratis duodecim Apostolis, suis nominibus, & in suo numero duo denario, legimus Saluatorem nostrum dixisse illis præci-
Matth.10. piendo, In uiam gentium ne abieritis & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israël. Euntes autem prædicate dicentes, Quia appropinquabit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite posidere aurum, neque argentum: neque pecuniam in zonis uestris. Non peram in uia, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque uirgam. Ex istis autem, & multis similibus, quæ habemus apud sacros Euangelistas, manifestè nouimus Dominum Saluatorem nostrum, quædam dixisse ac præcepisse Apostolis suis, quæ non sic dixit aut præcepit omnibus suis fide-

libus: & hoc, ut liquet, ante suam sacratissimam, & utilissimam passionem, ac mortem. Quo tempore, ipsa passione iamiam incipiente, cùm facta esset contentio inter eos discipulos, quis eorum uideretur esse maior? dixit eis Dominus, Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici uocantur. Vos autem non sic. Sed qui maior est in uobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est? qui recumbit, an qui ministrat? Non'ne qui recumbit? Ego autem in medio uestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnũ, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. Ecce & hîc declarat Dominus specialem auctoritatem, potestatem, dignitatemque regiminis, quoad Apostolos specialiter in loco suo: docendo eos modo etiam speciali, quem modum obseruare deberent in præfectura sua, non sicuti reges gentium, sed sicuti ipsemet Saluator. Qui cum profectò absque ulla comparatione maior esset omnibus, in medio tamen eorum erat, sicut qui ministrabat: quippe qui uenerat non ministrari, sed ministrare, & animam suã dare redemptiónem pro multis. Simili modo post resurrectionem ingressus Dominus ianuis clausis, dixit discipulis suis, Sicut misit me Pater, & ego mitto uos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis, Accipite Spiritum sanctũ, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Et hæc apud Ioannem. Apud Matthæum etiam ita legimus, Vndecim autem discipuli abierunt in Galileam, in montem ubi constituerat illis IESVS. Et uidentes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens IESVS locutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui uobis. Apud Marcum iterum, Nouissimè autem recũbentibus illis undecim, apparuit illis IESVS, & exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis,

Lucæ 22. *Ioan. 20.* *Matth. 28.* *Marci 16.*

quia his, qui niderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderant. Et dixit eis, Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Ecce multa tum dicta, tum præcepta fuerunt Apostolis, quæ non fuerunt præcepta aut dicta omnibus aliis Christianis. Quæ? Quòd non portarent aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis suis: & quòd irent in mundum uniuersum, prædicarent Euangelium omni creaturæ, ac omnes homines fidem Christianam, legemq; Euangelicam docerent. Nunquid ista dicta fuere omnibus fidelibus? Absit. non enim omnes, talia præcepta aut dicta à Saluatore nostro habuerunt, sed Apostoli, qui pro patribus nati sunt filij, & constituti principes super omnem terram. Eodem modo Apostolis & non omnibus aliis dicta sunt illa uerba Domini,
Matth. 26. Accipite & manducate. Hoc facite in meam commemora-
Marci 14. tionem. Accipite & bibite ex eo omnes. Hoc quotiescúq;
Lucæ 22. feceritis, in mei memoriam facietis. Soli enim Apostoli duodecim ibi erant cum Domino, ut explicant Matthæus, Marcus, & Lucas: atque uerba ipsa per se declarant quòd Apostolis & non omnibus aliis Christianis fuerint dicta, quia significant & tradunt auctoritatem, potestatem, ac dignitatem singularem.

Constat etiam Apostolos habuisse aliqua uerba seu etiam præcepta à Deo distincta, eo quòd certũ est Apostolos habuisse à Deo potestatem, auctoritatem, dignitatemque distinctam ab ipso Deo, & distinctum officium. Distincta nanque potestas, auctoritas, dignitas, & officium, distinctam debent habere doctrinam, & distincta præcepta, ut de se est manifestum: nec iam poterit de distincta doctrina aut distinctis præceptis dubitari, cum de distincta potestate, auctoritate, dignitate, & officio constiterit. Verùm & si dignitas Apostolorum iam satis ostensa sit ex dictis, eam nihilominus ostendit Apostolus Paulus, dicens de Saluatore
Ephe. 4. nostro, Qui descendit, ipse est, & qui ascendit supra omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autẽ Prophetas, alios uerò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem

corporis

corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, &c. Ecce gradus Ecclesiæ à Christo in ea positos, ut eam illuminarent, docerent, & regerent, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores, doctores: sed super omnes alios, ipsos Apostolos, primos in ordine literæ, ac primos in dignitate, & auctoritate, qui statim post Christi ascensionem, Ecclesiam Christianam eius in suam curam acceperunt, & eam gubernauerūt modo sibi tunc possibili. Istam auctoritatem, potentiam, & dignitatem sui & aliorum Apostolorum recognoscens Apostolus Paulus, se ac alios Apostolos appellat nunc ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei; nunc idoneos ministros noui testamenti. Ista etiam potestate usi Apostoli præcepta aliis fidelibus Christianis tradiderunt, ac traditiones; Episcopos alios, presbyteros, seu seniores ordinauerunt per loca, quos pastores gregis Dei appellauerunt, & quibus obedientiam ab aliis præstari præceperūt. Sic Paulus, Perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Sic etiam maioribus natu Ephesi, dixit, Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et multa admodum sunt loca diuinarum scripturarum in Actibus Apostolorum, ac in Epistolis Pauli, Petri, & aliorum Apostolorum Christi Saluatoris nostri, quibus satis notum est omnibus legentibus, Apostolos hanc potestatem & auctoritatem in Ecclesia Dei tenuisse, eaque usos fuisse: qua cæteris aliis maiores erāt, ac cæteros alios regebant, & gubernabant, ut maiores, ut prælati, ut pastores, atque rectores. Sicuti & Apostolus Paulus fatetur non semel, se habere potestatem in ædificationem, docendi, corripiendi, puniendi, & condonandi in persona Christi. Vnde cùm ipse Apostolus multa dixisset de corpore Christi mystico, de multis membris eius, de uarietate mēbrorum, ac de uariis officiis, dignitatibusque eorum; ita adiecit, Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia: primùm Apostolos, secundò prophetas, tertiò doctores, de-

Act. 15. Act. 20. 1. Corin. 5. 2. Corin. 2. 2. Cor. 10. 1. Cor. 12.

inde uirtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Et sequitur, Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? &c. Ecce in Ecclesia Christi, Apostoli sunt primi, & non omnes sunt Apostoli. Primi, inquam, dignitate quadam, excellentia, officio, gubernatione. Ergo & secundum hanc dignitatem, in qua primi erant, & discreti ab aliis membris in corpore uno, particularem ipsi doctrinam habuerunt à Saluatore nostro, particulariaque præcepta, iuxta ipsorum particularem dignitatem, primitatem, & officium, in quibus ipsi particulariter Christo seruire debebant, de particulari talento particularem rationem reddituri. Non igitur debent intelligi dicta ad totum populum Christianum, & ad singulos de corpore Christi mystico, seu de Ecclesia Christiana, omnia, quæ Saluator noster suis Apostolis aut dixit, aut præcepit: sed nonnulla debent intelligi dicta ad illos tantùm, propter eorum prærogatiuas, dignitatis, primitatis, principatus atque officij, & status, & gradus. Differens enim status eorum in populo Christiano, aliquam differentem requirebat doctrinam, dicta, atq; præcepta. Quæstio fuit olim, Vtrùm uirtutes ita sint sibi coniunctæ seu connexæ, ut separatim non possint possideri ab aliquo: sed qui unam habet, omnes habeat? de quæstione agunt communiter Magister sent. & doctores omnes scholastici in suis sententiarum libris: de qua etiam Augustinus meminit scribens ad Hieronymum pro sensu habendo illius loci sacræ scripturæ, Qui in uno deliquerit, factus est omnium reus. Ad istam quæstionem uisi sunt omnes antiqui respondere secundum partem affirmatiuam illius, docentes uirtutes esse aut esse debere connexas: Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius: sicuti etiam istos sanctos doctores dixerunt Gentiles Philosophi, Aristoteles in Ethicis, & Tullius in Tuscul. quæstion. Augustinus nanque in de Trinit. fatetur quòd uirtutes, quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur ab inuicem. Ambrosius super Lucam dicit, Connexæ sibi sunt, concatenatæque uirtutes, ut qui unam habet, plures habere uideatur. Hieronymus

Magister & alii doctores. lib. 3. dist. 36. August. Epistola. tom. 2. Aristot. Ethic. 6. Tul. lib. 2. August. lib. 6. Ambr. sup Lucã.

in commentario ad 56. caput Isaiæ, in principio ait, Omnes uirtutes sibi hærent, ut, qui una caruerit, omnibus careat. Gregorius in moralibus docet, quòd una uirtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta. Sicut in eodem opere: sed in alio loco asserit, quòd uirtutes, si sint disiunctæ, non possunt esse perfectæ secundum rationem uirtutis, quia nec prudentia uera est, quæ iusta, temperans, & fortis non est. Ita S. Thomas mouit quæstionẽ, Vtrùm uirtutes morales sint adinuicem connexæ? & determinat iuxta patres antiquos statim nominatos, docens in hac sententia, Virtutes morales perfectas necesse est adinuicem connexas esse, ut altera sine altera esse non ualeat in statu perfectæ uirtutis. Et licèt de hoc sit nunc quæstio inter doctores theologos propter Scotum, qui de ista connexione uirtutum alio modo uidetur docere: sic tamen iam determinatur uerius & communius, ut uirtutes in statu perfectæ uirtutis debeant esse connexæ, præsertim intelligendo de uirtutibus pertinentibus ad statum illius personæ, in qua sunt. Vt intelligamus alias uirtutes pertinere ad alium statum personarum, & alias ad alium: cum non omnes uirtutes pertineant eodem modo ad omnes status hominum, sed quidam status requirat istas, quidam illas. Status igitur differens Apostolorum, distinctas in illis requirebat uirtutes; & consequenter distinctam requirebat doctrinã, distinctaque præcepta. Ergo non omnia ipsis dicta, debent intelligi aut putari dicta esse omnibus.

Hieron. tom. 5. Gregor. lib. 13. lib. 22. S. Tho. prima 2. quæst. 65. art. 1. Ibidem. & q. 73. art. 1. & secunda secundæ. q. 146. art. 4. & 3. q. 85. art. 6. & alibi.

Profectò ista est una de illis ueritatibus religionis Christianæ, de quibus non licet dubitare. Constat etiam non secus, quòd si quæ sunt dicta Domini ad Apostolos suos secundum eorum statum, in quo eos ipse constituit, & quæ debent intelligi esse dicta non omnibus de populo Christiano, sed ipsis Apostolis, ea uerba Domini sunt talia, quibus Apostolis ipsis dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem. Bibite ex hoc omnes. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Sunt enim uerba dignitatis, atque officij, & potestatis tunc primùm collatæ: ut est notissimum ex illo uerbo, Hoc facite in meam commemora-

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

tionem. Est nanque hoc uerbum institutiuum sacramenti, prout erat in Ecclesia permansurum; est collatiuum potestatis consecrandi, & offerendi corpus Christi uerum: atque est ordinatiuum ipsius actus consecrandi, offerendi, sumendi: ut in Christi fiat memoriam. Quomodo in Christi memoriam? Christi nobiscum conuersantis, an Christi patientis, an Christi morientis, an Christi resurgentis, an Christi ad cœlos ascendentis, an Christi ad dexteram Patris iam sedentis? Maximè ac præsertim Christi patientis & morientis. In mei memoriam facietis. Mei, inquit,
1.Cor.11. id est, patientis & morientis. Vnde Apostolus ait, Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Immo etiam, Mei, inquit, hoc est, mei patientis, morientis: & mei meipsum offerentis pro uobis, & pro multis in mortem. Multa nanque fuerunt in morte Christi, quia uidelicet fuit pœna, fuit tolerantia pœnæ, etiam uoluntaria, & fuit oblatio, qua Saluator noster seipsum obtulit ut omnia illa pro nobis pateretur, uincula, flagella, crucem, clauos, lanceam, mortem. Oblatus est, quia ipse uoluit: immo etiam oblatus
Hebr. 5.7. 9.10. est, quia ipse se obtulit. Vnde & semetipsum offerens, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Vnus enim Deus, unus & mediator
1.Timo.2. Dei & hominum, Homo Christus Iesvs, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Sicut etiam dicebat, Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam. Rursusque, potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Quemadmodum etiam de illo prædi-
Isaia 53. ctum erat, Si posuerit animam suam in mortem, uidebit semen longæuum. Fuit igitur ibi oblatio, & suiipsius à seipso: atque secundum istam oblationem, dicitur & est Saluator noster sacerdos & hostia, offerens & qui offertur. Fuitque ista oblatio potissimum quid super ipsam passionem, & quodam modo super ipsam tolerantiam passionis: tum quia fuit tanquam principium illorum, tum propter alias considerationes, de quibus fortè aliàs. Ideò igitur Saluator noster inquit, Hoc facite in meam commemorationem. In mei memoriam facietis, hoc est, in mei pa-

tientis, in mei paſsionem tolerantis, & in mei meipſum in mortem pro uobis, & pro multis offerentis. Non poſſumus autem nos hoc facere in memoriam Chriſti ſeipſum offerentis, niſi & nos aliquo modo offeramus: quia actus offerendi non poteſt memorari niſi per actum offerẽdi, nec oblatio ut oblatio, niſi per oblationem, nec offerens ut offerens niſi per offerentem. Offerimus igitur nos, quoties Chriſtum offerentem ut offerentem memoramus, aut repræſentamus: in hoc conſiſtit actus ſacerdotij noſtri, & ad hunc actum offerendi ac offerendo repræſentãdi ordinatur noſtrum ſacerdotium, ſeu noſtra ſacerdotalis poteſtas, officium, dignitas. Quam profectò dignitatem ac poteſtatem acceperunt Apoſtoli in illis uerbis Domini, & nobis ſacerdotibus per ſuos ſucceſſores uel locum ſuum tenentes deriuarunt: quam inſuper nullus Chriſtianus habet, niſi particulariter accipiat, accipit, uel accepit ab eis, qui in loco Apoſtolorum ſunt. De noſtro autem ſanctiſsimo ſacerdotio Chriſtiano externo circa corpus Chriſti uerum conſecrandum & offerendum, aliàs multa, in tractatu ſpeciali, ad ſextam Seſsionem. Nunc de hac re ſatis.

Obiectio ex Græcæ, Indicæque Eccleſiæ conſuetudine conflata, facilè confringitur, claſsiſque prima eorum, qui S. R. Eccleſiæ præcellentem, primariam, principemq; auctoritatem, & dignitatem agnoſcunt, aſſeruntq;, in mediũ adducitur. CAP. XV.



D aliud, quod nobis obiiciunt ex Eccleſia Græca & Indica, quaſi ideò nos non debeamus nec nobis liceat communicare laicos in altera ſpecie tantùm, quia Eccleſia Græca, & Indica communicant laicos in utraque; Reſpondemus, Ex obiectionibus præcedentibus ſatis notum eſt omnibus, poſſe nos rationabiliter cogitare in noſtris aduerſariis, uel puram ignorantiam, qua diuinas ſcripturas ignorant; uel ſuam eorum ſuperbiam, qua ſeſe in percipiendo diuinarum ſcripturarum ſenſu, omnibus aliis anteponunt. Verùm ex obiectione præſente, præter illa mala & ignorantiæ & ſuperbiæ, nota fit alia eo-

rum impietas, qua matrem ſuam ſanctam Romanam Eccleſiam, Catholicam & Apoſtolicam, non ſolùm relinquunt, & impugnant, ſed & Eccleſiæ Græcæ atque Indicæ poſtponunt: qui potius debuerunt matrem ſuam ſequi, uenerari, tenere, honorare, & omnibus aliis anteponere, atq; præferre. Multa igitur nos reſpondentes, hîc dicere potuimus contra illos filios deſertores, qui cùm matrem ſuam ſaluare debuerint toto nixu, eam è contra moliuntur euertere: ſufficit tamen nobis eis reſpondentibus, ſi eis primùm ea dicamus, quæ olim dicebat Auguſtinus aduerſus Iulianum Pelagianum, Vtriuſque partis Orbis, inquit, terrarum fides iſta una eſt, quia fides Chriſtiana eſt: & te certè occidentalis terra generauit, regenerauit Eccleſiã; quid ei quæris inferre, quod in ea non inueniſti? immo quid ei quæris auferre, quod in ea quoque accepiſti? Ita & nos dicimus iſtis, Non Orientalis ſed Occidentalis, nec Græca aut Indica, ſed Latina Eccleſia uos regenerauit: quid ei quæritis inferre, qnod in ea non inueniſtis? immo quid ei quæritis auferre, quod in ea quoque accepiſtis?

Auguſt. lib. 1. cap. 6. tom. 7.

Deinde reſpondemus non alias Eccleſias Orbis Eccleſiæ Romanæ præponendas eſſe, ſed potius Eccleſiam Romanam aliis eccleſiis Orbis præponendam fore, in rebus pertinentibus ad fidem Chriſtianam, & Chriſtianam religionem. Idque ut oſtendamus, adducemus teſtimonia grauiſsima uirorum grauiſsimorum, etiam & ſanctorum Conciliorum, uniuerſalium & aliorum: diuidendo per claſſes patres antiquos, qui in laudem & commendationem uerisſimam ſanctæ Romanæ eccleſiæ locuti ſunt.

Claſsis prima, ex ſummis Pontificibus.

Pelagivs.

diſt. 21. c. Quãuis.

PElagius urbis Romæ Epiſcopus, omnibus orthodoxis uerè ac ſanctè indicauit, quòd ſancta Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica, nullis Synodicis conſtitutis

cæteris Ecclesiis prælata est, sed Euangelica uoce Domini, & Saluatoris nostri, primatum obtinuit: eisq; asseruit quòd Apostoli Petrus & Paulus Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, eamque omnibus urbibus in uniuerso mundo sua præsentia atq; uenerando triũpho prætulerunt.

ANACLETUS, ET NICOLAUS IIII.

Anacletus seruus Christi IESU ita fatetur quòd sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, primatum obtinuit, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino & Saluatore nostro. Nicolaus tertius, Aliàs quartus, seu etiam Leo Primus, ita docuit, quòd sancti Apostoli Petrus & Paulus Romanam urbem in hanc gloriam prouexerunt, ut sit gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis & regia, per sacrã beati Petri sedem, caput totius Orbis effecta.

dist. 22. c. Sacrosancta. c. Fundamenta. De electione in 6.

NICOLAUS.

Nicolaus etiam Mediolanensibus scripsit, quòd Romana Ecclesia cæterarum primatũ tenet ab ipso Deo: & quòd qui contra priuilegium aliarum Ecclesiarum agit, est iniustus: sed qui agit contra istud priuilegium Romanæ ecclesiæ, est hæreticus.

dist. 22. c. Omnes.

MARCELLUS, ET ZEPHERIN.

Marcellus Papa, & Zepherinus Romanæ urbis Episcopus, ita omnibus significauerunt, ut omnes si uoluissent ad Romanam Ecclesiam, tanquam ad caput & matrem appellarent.

2. quæst. 6. can. 5. & 7.

IULIUS PAPA.

Iulius Papa Orientalibus scripsit Episcopis, quòd præter conscientiam Romani pontificis, nec concilia celebrari, nec Episcopum damnari oportet; quoniam sancta Romana Ecclesia, primatum obtinet omnium ecclesiarum.

3. quæst. 6. c. Dudum.

INNOCENTIVS PAPA.

9. quæst. 3. c. Nemo. Innocen. Papa istum primatum recognoscens & cōmendans, dixit; Nemo iudicabit primam sedē, iustitiam temperare desiderātem. Neq; enim ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à regibus, neq; à populo iudex iudicabitur.

SYMMACVS PAPA.

9. quæst. 3. c. Aliorum. Idem, Symmacus Papa, asserens quòd aliorum hominum causas Deus uoluit per hominem terminari: sed Sedis istius, Romanæ uidelicet, præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio.

GELASIVS PAPA.

9. quæst. 3. c. Cuncta. Gelasius Papa omnibus Episcopis dixit, Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus. Ibid. can. 18. In eandem sententiam scripsit ipse Episcopis per Dardaniam constitutis.

SIXTVS ET CALIXTVS PP.

Ibid. c. Fratres. dist. 12. c. Nō decet. Idem & Sixtus Papa Hispanorum Episcopis. Calixtus Papa omnibus Episcopis dixit inter alia, Nulli uerò dubiū est, quòd Apostolica Ecclesia, mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus uos conuenit deuiare. Et sicut Dei Filius uenit facere uoluntatem Patris sui, sic & uos implete uoluntatem matris uestræ, quæ est Ecclesia, cuius caput (ut prædictum est) Romana consistit Ecclesia.

GREGORIVS PAPA.

dist. 12. c. Præceptis. Sic & Gregorius Papa in eandem sententiam multa dixit, quæ omittimus breuitatis causa. Sunt & alia testimonia

nia sanctorum patrum multa admodum pro eadem ueritate, sed dicta sufficiunt. Ita igitur docuerunt à multis retrò sæculis, Pelagius, Anacletus, Nicolaus, Marcellus, Zepherinus, Iulius, Innocentius, Symmacus, Gelasius, Sixtus, Calixtus, Gregorius: qui in ista prima classe positi sunt, testes sufficientissimi, omni acceptione digni, & omni exceptione maiores. Verum quidem est eos fuisse Papas Romanos, & summos Pontifices per suas successiones, & suis temporibus: sed etiam uerum est, eos uel omnes, uel pro maiori parte, uel saltem pro magna, fuisse sanctos in hac uita, & nunc esse beatos in gloria. Ea dicebant, non ut sibi subditos mendaciis acquirerent, retinerent, aut conciliarent: sed ut ueritatem annunciantes, & subditos, & seipsos in cœlos eueherent.

CLEMENS MARTYR, ET GREGOR.

Eandem doctrinam declarauit Clemens, Petri Apostoli discipulus, & Christi gloriosus Martyr, ut constat ex epistola sua ad Iacobum Apostolum. Eandem quoque & diuus Gregorius in epistolis ex registro. *Refert etiã Platina.*

Gregor. lib. 4. cap. 92. dist. 22. De Constãtinopolitana.

Classis secunda, euocata ex Conciliis ad eandem ueritatem astruendam, atque obfirmandam. *CAP. XVI.*



AD eandem spectant ueritatem etiam multa sancta Concilia, tum uniuersalia, tum alia, quæ excellentiam & principatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædicant & commendant.

Concilium Nicænum gen.

NICAENUM nãque Concilium uniuersale trecentorum decem & octo Episcoporum, sic dixit, Ipsa uerò prima sedes, hoc est, Romana, conuocandarum generalium Synodorum iura detinet, & iudicia Episcoporum singulari priuilegio illi sedi Euangelicis & Apostolicis atque canoni-

cis concessa sunt institutis. Ita ut semper maiores causæ ad sedem Apostolicam referantur. Nec ullo modo potest maior à minori iudicari. Ipsa nãque omnibus maior, & prælata est Ecclesiis.

Calcedonen. Concilium generale.

Calcedonense uniuersale concilium ad idem dixit etiam manifestè, Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habet potestatem appellandi ad beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quem habemus Petrum, petram refugij: & ipsi sibi libera potestate loco Dei sit ius discernendi Episcopi infamiam, secundum claues sibi à Deo datas.

Constantinopolitanum concilium.

Constantinopolitana Synodus ait, Veneramur secũdum scripturas, canonum definitiones, sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum primum esse, & maximum Episcoporũ.

Octaua Synodus.

Octaua Synodus epistolam Ignatij Constantinopolitani Patriarchæ ad Adrianum Romanum Pontificem directam legit, recepitque, in qua sic erat, Solus & ex toto magister omnium Deus dixit Petro magno & summo Apostolorum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi, &c. Iterum, Tibi dabo claues, &c. Tales enim beatas uoces non secundum quandam utiq; sortem Apostolorum principi Petro solùm circunscripsit, & definiuit, sed per eum & ad omnes, qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi Pastores, & diuinissimi, sacrique pontifices Senioris Romæ transmisit.

Florentinum concilium generale.

Florentinum Concilium uniuersale, ex Latinis, Græcis, Armenisque legitimè congregatum, sic dixit, Diffinimus

ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum pontificem in uniuerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Romanum pontificem ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & uerum Vicarium IESV Chriſti, totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem & doctorem exiſtere: & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi uniuerſalem Eccleſiam à Domino IESV Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe: quẽadmodum & in geſtis œcumenicorũ, & in ſacris canonibus continetur. Hæc ibi. Hanc determinationem magna examinatione præhabita Armeni, Græciq; ſequenti ſubſcriptione approbarunt.

Approbatio Græcorum & Armenorum.

Nos igitur oratores nomine noſtro, noſtrique reuerendi Patriarchæ, & omnium Armenorum, ſicut & ueſtra ſanctitas in ipſo decreto atteſtatur hoc ſaluberrimum Synodale decretum, cum omnibus capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, nec non quicquid tenet & docet ſancta ſedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni deuotione & obedientia acceptamus, ſuſcipimus, & amplectimur. Illos quoq; doctores & ſanctos patres, quos Eccleſia Romana approbat, reuerenter ſuſcipimus: quaſcunque uerò perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia reprobat, ac damnat, nos pro reprobatis ac damnatis habemus. Profitentes tanquam ueræ obedientiæ filij, nomine quo ſuprà, ipſius Sedis Apoſtolicæ ordinationibus fideliter obtemperare.

Carthaginen. concilium.

Carthaginenſe Concilium eandem reuerentiam & obedientiam ſemper Eccleſiæ Romanæ tribuit, & in ea principatum omnium Eccleſiarum aliarum recognouit: ut palàm eſt uidere ex epiſtola, quam patres eiuſdem Concilij, Innocentio Pontifici Romano de actis aduerſus Pelagium & Cœleſtium deſtinarunt, quæ habetur apud Auguſtinum. Epiſto. 90. tom. 2.

Mileuitanum Concilium.

Mileuitan. Concilium eodem modo ſenſit & oſtendit, ut conſtat apud eundem Auguſtinum, ex epiſtola, quam ipſe Auguſtinus & cæteri Epiſcopi Mileuitani concilij, Innocentio Papæ direxerunt, de cohibendis Pelagianis: quæ
Epiſt. 92. etiam cum epiſtolis eſt Auguſtini. De quibus inſuper duabus epiſtolis Auguſtinus iterum meminit, ſcribens cum
Epiſt. 95. aliis Epiſcopis ad eundem Innocentium Papam. Ita ergo docent illa ſancta Concilia & uniuerſalia & particularia de primatu Romanæ Eccleſiæ, Romaniq́ue pontificis: concilium Nicænum, concilium Calcedonenſe, concilium Conſtantinopolitanum, Octaua Synodus, concilium Florentinum, concilium Carthaginenſe, concilium Mileuitanum, ut conſtat ex iſta claſſe ſecunda, in qua potuimus etiam cõcilia alia non pauca ponere ad eandem ueritatem, quæ ideò omittimus, quia iſta ſatis eſſe intelligimus.

Claſsis tertia, ex doctoribus ſanctis, ad eandem tuendam ueritatem confirmandamq́ue aduocatur. CAP. XVII.

IRENEVS MARTYR.



Reneus ille Lugdunenſis Epiſcopus, beati Polycarpi diſcipulus, & Chriſti glorioſus Martyr, aduerſus Valentinum & alios ſui temporis hæreticos dicit, Traditionem Apoſtolorum toto Orbe manifeſtam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui uera audire uoluerint: eam uidelicet, quam primitiua illa Eccleſia ab Apoſtolis acceptam, per ſucceſsionem cõtinuam, patrum & Epiſcoporum tranſmiſit ad nos. Sed quoniam per omnes eccleſias diſcurrere prolixum fuerat, & infiniti operis, ex omnibus maximam, antiquiſsimam, atque omnibus cognitam Romæ à glorioſiſsimis duobus Apoſtolis, Petro & Paulo, fundatam eligens, eius, inquit, fidem traditionemq́;, quam habet ab ipſis annuntiatam, & per ſuc-

cessiones Episcoporum ad nos peruenientem indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo pacto uel per sui placentiam, uel uanam gloriam, uel cæcitatem & malam sententiam, fidem præterquam oportet colligunt. Idem auctor gloriosus ad idem ait, Ad hanc Ecclesiam, Romanam uidelicet de qua erat sermo, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt undique fideles. lib. 3. cap. 13.

CYPRIANVS.

Cyprianus etiam Christi gloriosus Martyr aduersus eos, qui à loco delicti ad Romanam sedem purgandi confugiebant, eos redarguens in suis criminibus, & Romanam Ecclesiam in suo principatu atque prærogatiuis laudans, & commendans, dicit, Post ista adhuc insuper pseudo Episcopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre: nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante, laudata est, ad quod perfidia habere non possit accessum. Idem ad Cornelium Papam, Nos enim singulis nauigantibus, ne cum schandalo ullo nauigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse, ut Ecclesiæ catholicæ matricem, & radicem agnoscerent, ac tenerent. Epistola rũ lib. 1. Epist. 3. Epistolarũ lib. 4. Epist. 8.

ATHANASIVS.

Athanasius Liberio Romano pontifici aduersus hæreticos dixit, Mutauerunt gloriam catholicæ Ecclesiæ propria nouitate, sicut per ea, quæ illicitè in eis defensione gesta sunt, hæreticam turbulentiam inrroducentes, illud competens ad nos detinentes, quod bene ad IESVM filium Syrach dictum est, Vsque ad mortem certa pro ueritate, & dominus pugnabit pro te. Huius rei gratia uniuersalis uobis à Christo IESV commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis: quia,

Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.

Cyrillus.

Cyrillus in libro thesaurorum dicit pro ista ueritate, Vt membra maneamus in capite nostro, Apostolico throno Romanorum Pontificum: à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debemus: ipsum uenerãtes, ipsum rogantes pro omnibus. Quoniam ipsius solùm est repræhendere, corrigere, statuere, disponere, soluere, & loco eius ligare, qui ipsum ædificauit: & nulli alij quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. Cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi, tanquam ipsi Domino Iesv Christo obediunt.

Chrysostomvs.

In de sacerdotio. lib. 2. tom.

Chrysostomus in de sacerdotio ait, Qua'nam item de causa ille idem sanguinem effudit suum? Certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committebat. Ecce in eadem ueritate sunt Ireneus Martyr, Cyprianus Martyr, sanctus Athanasius, sanctus Cyrillus, sanctus Ioannes Chrysostomus, & alij multi. Nanque in eadem classe sanctorum doctorum & pro eadem ueritate sunt etiam Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Bernardus, & alij penè infiniti.

Avgvstinvs.

Epist. 102. tom. 2.

Refert Liberius Papa. 24. q. 1. c. Pudenda in fine.

Augustinus enim aduersus Donatistas fatetur, in Romana Ecclesia semper Apostolicæ cathedræ uiguisse principatum. Idem Augustinus ostendens ubi sit uera Dei Ecclesia, dicit, Quòd si nullo modo rectè dici potest Ecclesia, in qua schisma est: restat ut quoniam Ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in sedis Apostolicæ per successores Episcoporum radice constitutam, hominum nullorum malorum malitia, etiam si nota excludi non possit, sed pro temporis ratione

toleranda iudicetur, ullo modo ualeat extinguere. Idem Augustinus commemorans ea, quæ illum in Ecclesia tenebant Christiana, dicit contra epistolam Manichæi, In Catholica Ecclesia, ut omittam syncerissimam sapientiam (ad cuius cognitionem pauci spiritales in hac uita perueniunt) multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, uetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, usque ad præsentem successio sacerdotum. Tenet postremò ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholici dici uelint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicã conueniatur? nullus hæreticorum uel basilicam suam, uel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima uincula rectè hominem tenent credentem in catholica Ecclesia: etiam si propter nostræ intelligentiæ tarditatem, uel uitæ meritum, ueritas nondum se apertissimè ostendat. Ecce unum de illis, quæ Augustinum in Ecclesia tenebant, erat successio sacerdotum à sede Petri Apostoli usque ad præsentem Episcopatum temporis sui: sacerdotum, inquam, id est, summorum Pontificum Petri successorum: quos alio in loco contra Donatistas nominatim ex ordine commemorat à Petro usq; ad Anastasium primum, uix bene quadraginta.

cap. 4.

Epist. 156. tom. 2.

AMBROSIVS.

Ambrosius ad istam ueritatem ait, Quæ dignior domus Apostolico prædicationis ingressu, quàm sancta Romana Ecclesia? Aut quis præferendus magis omnibus uidetur, quàm Christus? qui pedes suis consueuit lauare hospitibus, & quoscunque sua receperit domo, pollutos non patitur habitare uestigiis: sed maculosos, licèt in ea acceperit uitæ prioris, in reliquum tamen mundare dignatur processus. Idem auctor super epistolas Pauli circa illud, Vt scias

24. q. 1. c. Quæ dignior.

1. Timo. 3. dist. 22. c. Omnes. quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei uiui, &c. dicit, Scribo tibi, ut scias, quam Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei, ut cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicatur, cuius hodie rector est Damasus. Idem auctor profitebatur, se in omnibus sequi magistram, sanctam Romanam Ecclesiam. Refert Nicolaus Papa. dist. 22. c. Omnes. Idem auctor de Petro & Paulo, qui una die passi sunt, uno loco, sub uno persecutore, ita dicit confitendo Romanæ Ecclesiæ principatum, Et in quo loco iidem tandem martyrium pertulerunt in urbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum: scilicet ut ubi erat caput superstitionis, illic caput quiesceret sanctitatis: ut ubi Gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum principes morerentur. 2. quæst. 7. c. Beatus Petrus et Paulus. Idem auctor in oratione funebri de obitu fratris, inquit, Aduocauit ad se Cyprianus Episcopum Satyrum, nec ullam putauit ueram, nisi ueræ fidei gratiam: percunctatusque ex eodem est, Vtrùm nam de catholicis Episcopis esset: hoc est, si cum Romana Ecclesia conueniret, &c. 24. q. 1. c. Aduocauit. Ecce cum diuo Cypriano non putabat Ambrosius aliquem catholicum Episcopum, nisi qui cum Ecclesia conueniret Romana.

HIERONYMVS.

Hieronymus in explanatione catholicæ fidei ad Damasum Papam, ostendens quòd in Ecclesia Romana sit uera fides, dixit, Hæc est fides Papa beatissime, quam in catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus, in qua si minus peritè aut parum cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri sedem & fidem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare uoluerit, se imperitum, uel maleuolum, uel etiam non catholicum, sed hæreticum cõprobabit. Idem auctor gloriosus cum in Ecclesia Orientali hæreses & schismata pullularent, ad Romanam Ecclesiam siue summũ Pontificem Romanum ita scripsit, Quoniam uetus Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam & desuper contextam, minutatim

24. q. 1. c. Quoniã uetus.

tatim per frusta discerpit; & Christi uineam uulpes exterminant inter lacus contritos, qui non habent aquam, & difficilè ubi fons signatus & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideò mihi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam: Inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi uestimenta suscepi. Neque enim uastitas tanti elementi liquentis, & interiacens latitudo terrarum, me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud uos solos incorrupta patrum omnino seruatur auctoritas. Ibi cæspite terra fœcundo domini seminis puritatem centeno fructu refert: hîc obruta sulcis frumenta in lolium auenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol iustitiæ oritur; in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sidera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi: uos estis sal terræ: uos uasa aurea, & argentea. Hîc testea uasa, uirga ferrea & æterno operiuntur incendio. Quãquàm igitur tui me terreat magnitudo, tamen inuitat humilitas, à sacerdote uictima salutem, à pastore præsidium ouis flagito. Fatiscat inuidia, Romani culminis recedat ambitio. Cum successore piscatoris, & discipulo Christi loquor. Ego nullum præmium nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ sancti Petri communionem consortior. Super illam petram fundatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnãte diluuio. Et quia pro facinoribus meis, ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam cõiuncto Barbariæ fine determinat, non possum sanctum Domini tot interiacentibus spatiis à sanctimonia tua semper expetere. Ideoque collegas tuos Aegyptios Martyres & Confessores sequor: & sub onerariis parua nauicula delitesco. Non noui Vitalẽ, Miletum respuo, ignoro Paulinum. Quicunque non tecum colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Hæc Hieronymus ille.

Bernardvs.

Epist.125. Bernardus etiam in multis locis declarat istam ueritatẽ, ut est uidere in epistola ad magistrum Gaufridum de Loratorio, in qua allegat & laudat Alemaniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hispanorum & Hierosolymorum Reges cum uniuerso clero & populis, eo quòd fauebant & adhærebant Domino Innocentio, tanquam filij Patri, & tanquam capiti membra, soliciti seruare unitatem Spiritus in uinculo
Epist.131. pacis. Idem facit in quadam epistola ad Mediolanenses.
Epist.242. Idem etiam affatim in quadam epistola ad Romanos, quãdo discesserunt à domino Papa Eugenio. Sed clarius ac fusius in suo opere de Consideratione ad Eugenium, ubi ait,
lib. 2. cap. 6. Tu quis es? Tu sacerdos magnus, Pontifex summus, princeps Episcoporum, hæres Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Iterũ, Tu es, cui traditæ sunt claues regni cœlorum, cui oues traditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosius, quanto & differentius, utrunque præ cæteris hæreditasti. Habent alij assignatos greges, singuli singulos: tibi uniuersi crediti sunt. Vnus uni, nec modò ouium, sed & pastorum: tu unus omnium pastor. Vnde illud probetur, quæris? Ex uerbo Domini, cui non dico Episcoporum, sed Apostolorum etiam sic absolutè, & indistinctè totæ commissæ sunt oues. Si me, inquit, amas, pasce oues meas, &c.

Quarta in campum classis, ex Imperatoribus antiquis deducitur, ad astruendam eandem ueritatem, proque ea Lutheri etiam confessio accersitur, & S. R. Ecclesiam reliquis omnibus præesse ecclesiis, epilogo concluditur. CAP. XVIII.



C. de summa trin. l. Nos reddentes. IVstinianus Imperator, primus ita habet in suis legibus ad Ioannem Papam secundum, iuxta istam eãdem ueritatem, Nos, inquit reddentes honorem Apostolicæ sedi & uestræ sanctitati, quod semper nobis in uoto

fuit, & eſt, ut decet, patrem honorantes ueſtram beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam deferre ueſtræ ſanctitatis. Quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium, unitatem ueſtræ Apoſtolicæ ſedis, & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercidente contrarietate. Ideoque omnes ſacerdotes uniuerſi Orientalis tractus & ſubiicere, & unire Sedi ueſtræ ſanctitatis properauimus, quæ caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Idem Imperator in Authen. de priuil. eccl. Ideoque ſancimus, ſanctiſsimum ſenioris Romæ Papam, primum eſſe omnium ſacerdotum: beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos nouæ Romæ, ſecundum habere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſedem ſenioris Romæ. Aliis autem omnibus ſedibus præponatur. Hæc ille. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Imperatores, in lege ita dicunt conformiter pro iſta ueritate, Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium, in ea uolumus religione uerſari, quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio uſque ad huc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret. Infrà, Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum catholicorum nomen iubemus amplecti. Reliquos uerò dementes ueſanosq; iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, diuina primùm uindicta, poſt etiam animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus, ultione plectendos. Hæc ibi. Phocas etiam Imperator ſtatuit ut ſedes beati Petri Apoſtoli, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, ita & diceretur, & haberetur ab omnibus, id rogante & obtinente Bonifacio Papa, contra arrogantiam Patriarchæ Conſtantinopolitani, ſemetipſum contra omne ius uniuerſalem uocitantis. Caſum, uerba, & tractatum refert Platina; omnia hæc apud ipſum uideri poſſunt, quia plenè explicat. Non quòd Phocas aliquod ius Romano Pontifici dederit, ſed quòd ius eius antiquum & diuinum declarauit, & obſeruandum decreuit. Conſtantinus Imperator etiam ſimile quid fecit, ſicut legimus & accipitur ex geſtis beati Syluestri, ubi ſic dicitur, Con-

§. Ideoq. col. ix.

Gratianus, Valentin. Theodoſius. C. de ſumma trin. L. i.

Phocas Imp.

Platina.

Conſtant. Imp. diſt. 96. c. Conſtātin.

ſtantinus Imperator quarta die ſui baptiſmatis priuilegium Romanæ Eccleſiæ Pontifici contulit, ut in toto Orbe Romano, Pontifices, uel ſacerdotes, ita habeant caput, ſicut iudices regem. Et infrà, Itaque decernentes ſancimus ut principatum teneat tam ſuper quatuor ſedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam, quàm etiam ſuper omnes in uniuerſo Orbe terrarum Dei Eccleſias & Pontifices, qui pro tempore ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſteterit excelſior, & princeps cunctis ſacerdotibus, & totius mundi exiſtat. Hæc ibi.

Cardinalis à Turre cremata, in ſumma de Eccleſia. lib. 2. cap. 42.

Quibus uerbis, Conſtantinus non inſtituit legem illam de præeminentia Apoſtolicæ ſedis, & obedientia ei ab omnibus danda, quaſi ius ex auctoritate de nouo condendo; quoniam antequàm Conſtantinus eſſet Romanus Pontifex, primatum habuit in Eccleſia Dei, ex collatione Chriſti Saluatoris noſtri facta beato Petro. Sed bene Conſtantinus fidei feruore & Eccleſiæ Romanæ amore reuerentiali incenſus, diuinam ordinationem de primatu Romani Pontificis & de obedientia ab omnibus fidelibus illi præſtanda executus eſt; promulgando illam, ut nullus per ignorantiam ſe excuſaret; & præcipiendo illam obſeruari, ut nullus malitia ſe Romani Pontificis obedientiæ ſubiicere recuſaret. Ita quòd magis fuit promulgator ſiue executor diuinæ ordinationis, quàm conditor nouæ legis. Latitauerat enim uſque tunc ſancta Dei Eccleſia ſub Gentilibus principibus, Imperatoribus, atque regibus, & dominis, nec tribunal habebat publicum, nec tunc in ordine ſeruabatur monarchicus ordo omnium Eccleſiarum ad unum caput uiſibiliter, prout fuerat à Domino inſtitutus: quidem iniuria temporum, & latitãtis Eccleſiæ indiſpoſitione. Ideò indigebat illis ſæculis Imperatoris, & Regum tali adminiculo, quo iam de cauernis ſurgeret, tribunal publicum haberet, ſuum ordinem monarchicum ſeruaret, & ſua poteſtate atque auctoritate, & primatu à Chriſto ſibi tradito uteretur. Hoc igitur illi Imperatores fecerunt, quod poteſtatem & auctoritatem Eccleſiæ adiuuarunt & commendarunt; ſed non quòd Eccleſiæ poteſtatem talem, aut primatum præſtarent. Conſtat poteſtas Eccleſiæ & primatus

Romani

Romani Pontificis Petri successoris ex diuinis scripturis, ex quibus nos idem monstrauimus satis aliàs, in lib. de Axiomatibus Christianis: & constat similiter, quòd Imperatores in allegatis suis priuilegiis nihil aliud fecerunt, nisi quòd in adminiculum, seu adiutorium diuini iuris, primatum Romani Pontificis fecerunt magis cognosci, & tandem ab omnibus suarum ditionum obseruari. Hinc rationabiliter condemnatus est error dicentium, quòd Papalis dignitas à Cæsare inoleuit, & Papæ perfectio, & institutio à Cæsare emanauit: qui error primò fuit Marsilij de Padua, & fuit condemnatus in Extrauaganti Ioãnis Vigesimisecundi, & post renouatus per Ioannem Hus, & condemnatus in concilio Constantiensi. Ecce igitur in ista classe testes sunt primatus Romanæ Ecclesiæ Romanique Pontificis, Imperatores non pauci, Iustinus, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Phocas, Constantinus.

Romana igitur Ecclesia est caput, princeps, mater, & magistra omnium aliarum Christi Ecclesiarum, ut omnes prædicti testes testantur, in prædictis classibus nominati, Pelagius, Anacletus, Nicolaus, Marcellus, Zepherinus, Iulius, Innocentius, Symmacus, Gelasius, Sixtus, Calixtus, Gregorius, Clemens, Leo, Concilium Nicænũ, concilium Calcedonen. concilium Constantinopolitanum, Octaua Synodus, concilium Florentinum, concilium Carthaginense, concilium Mileuitanum, Ireneus, Cyprianus, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Bernardus, Iustinianus, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Phocas, Constantinus. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de aliis, qui cum sint omnes catholici, sunt penè infiniti. Neque ij uiri grauissimi eius rei testes fuissent, nisi ipsam ueritatem satis cognouissent: erant nãque magni, nobiles, potentes, ueraces, iudices Orbis, catholici, sancti, martyres, confessores. Ergo Romana Ecclesia præponenda est omnibus aliis, & nulla alia præponenda est illi: quia ipsa est Catholica, & ipsa est Apostolica: non solùm rationibus generalibus, quibus aliæ ecclesiæ possunt dici catholicæ, quia habent catholicam fidem, sicut homo dicitur catho-

Archi. Flo. par. 3. tit. 23. cap. 5. §. septima & ult. potestas. Ocam. par. 1. lib. 5. cap. 21.

licus: & possunt dici Apostolicæ, quia post Christum, ab Apostolis uel per Apostolos plantatæ aut edoctæ fuerunt, Apostolorum prædicationem retinentes. Sed ratione & modo speciali ac singulari: quia uidelicet in ea est Apostolica sedes Petri, Vicarij, seu officialis Christi cum plenitudine potestatis. Ad illam igitur nobis respiciendum est, & ad illam nobis est recurrendum, ad caput, ad principem, ad matrem, ad magistram: Sedes Apostolica ibi est, ad illam debemus confugere omnes. Ita bene dixit Innocentius Papa, Quoties ratio fidei uentilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, idest, sui nominis, & honoris, auctoritatem referre debere, ueluti nunc retulit uestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus prodesse. Et Leo Papa ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum, Cùm Beatissimus Petrus Apostolus à Domino acceperit principatũ, & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quòd sanctus Episcopus discipulus illius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernauit, aliis regulis & traditionibus sua decreta firmauerit, &c. In istam ueritatem conuenerunt illi omnes patres, quos uidimus, & alij penè infiniti, quos omittimus, ut prolixitatem uitemus: in quibus ut notum est, sunt multi summi Pontifices, multa concilia uniuersalia, & particularia, ac multi doctores sancti, & multi Imperatores: ex Africa, Asia, Europa, Latini & Græci, sancti, eruditi, antiqui: Martyres, Confessores, Pastores, Doctores. Vnde ad istam ueritatẽ sunt ista omnia, & multa alia similia, sanctitas, potestas, auctoritas, eruditio, antiquitas, & communis consensus omnium Ecclesiarum Christi, quæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ habuerunt cognitionem in toto Orbe, uel ad illam potuerunt habere aditum, accessum, uel recursum. Ex quo constat hoc? Ex statim allegatis, in quibus uidemus ita docuisse omnes nominatos doctores Latinos, Græcosque, ex Africa, Asia, Europa, pariter & sancta concilia, tum uniuersalia, tum prouincialia. Mirabilis quidem est & mirabilis fuit claritas huius ueritatis, quæ tam uarios patres numero, natione, & conditione, sic ad istam unam uerita-

Innocentius 24. q. 1. c. Quoties.

Leo. Ibid. c. Cùm beatissimus.

tem coëgit, aliàs in quibusdam aliis ueritatibus ualde differentes: cuius rei istius & communis consensus ratio ex diuina prouidentia, & simul ex ipsius ueritatis claritate ostendi potest. Veritas manifesta est; & simul non permisit Deus Optimus Maximus ut in re tam graui, tantæque importantiæ dissiderent patres. Augustinus contra Iulianum Pelagianum non patitur, nec credit quòd catholicus aliquis in rebus fidei aut religionis, Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Capadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Quibus statim addit, Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ catholicæ defensores, salua fidei compage, non consonant; & alius alio de una re melius aliquid dicit, & uerius. Hoc autē unde nunc agimus: ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Ecce in his, quæ ad fidem, ac religionem pertinent, nullo modo est recedendum à patribus: qui in re huiusmodi, quantam auctoritatem apud nos suos posteros habere debent, & declarauimus, & monstrauimus in De Axiomatibus Christianis. Quod si Augustinus non patiebatur, ut in rebus istis quis catholicus resisteret Innocentio, Cypriano, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Hilario, Ambrosio: quanto minus pateretur, ut quis resisteret huic abundantiori multitudini doctorum sanctorum & sacrorum Conciliorum, quam proposuimus? Nulllo modo est recedendum à ueritate, in quā uidemus tot sacra concilia, & iterum tot sanctos doctores ita conformiter conuenisse: præsertim cùm ea ueritas sit, non de pertinentibus ad Logicam, Grammaticam, Rhetoricam, Mathematicam, aut Physicam, sed de pertinentibus ad fidem & religionem Christianam, cuius ipsi fuerūt optimi defensores, usque ad sanguinem, & uitam.

August. lib. 1. cap. 3. tom. 7.

lib. 2. art. 6. per totum.

Ita denique nota est ista ueritas de primatu atque excellentia Romanæ Ecclesiæ, summi Pontificis, aut Papæ, sicut communiter & ueraciter dicimus summum Pontificem, Papam appellantes, ut eam etiam nouerit & confiteretur Lutherus, antequàm sic omnino contra Romanam Ecclesiam concepisset odium, aut penitus in reprobum sensum traditus fuisset. Ipse enim ita dixit in Resolu. Clarum est,

Confessio Lutheri de potestate Papæ. Conclu.61.

quod ad remissionem pœnarum & casuum, sola sufficit potestas Papæ. Quando ergo sacerdotali officio excommunicat, absoluit, ordinat, deordinat, statuit, abrogat, præcipit, prohibet, dispensat, mutat, interpretatur: in his omnibus agit uirtute istius uerbi, Quodcunq; solueris,&c.

Ibid. Conclu.69.

Item, tenentur, inquit, Episcopi & curati, ueniarum Apostolicarum commissarios, cum omni reuerentia admittere, quia auctoritati Papali in omnibus cum reuerentia credendum est. Qui enim potestati resistit, resistit Dei ordinationi. Qui autem Deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et Dominus ipse, Qui uos spernit, me spernit.

Ibid. Conclu.71.

Et rursus, Contra ueritatem, inquit, Apostolicarum ueniarum qui loquitur, sit ille anathema & maledictus: quia & si res parua sit ueniarum largitio, tamen contra potestatem superbè agit, qui contradixerit, Ideò meritò maledicetur.

Ibid. Conclu 85.

Item, Non est nostrum, inquit, iudicare uoluntatem Papæ, sed tantummodò ferre, etiam si quando fuerit iniquissima. Hæc ille. Si uerò dixerint aduersarij Lutherum postea retractasse, seu reuocasse illum librum, non ualet ea excusatio seu fuga. Primùm, quia semel emissum, uolat irreuocabile uerbum. Secundò, quia propria Lutheri protestatio cassam facit & inualidam eius reuocationem. Non enim in illo duntaxat libro, sed & in disputatione Lipsica, & Augustæ coram Cardinali Legato, protestatus est contrarium.

Cõfessio Lutheri pro Papa cõtra Suermos.

Tertiò, quia post multos deinde annos, dum contra Anabaptistas scriberet, reprobando stultitiam (ut uocat) Suermorum, qui in odium Papæ, baptismum, & corpus Christi in sacramento reiiciebant, & abnegabant, damnando eos dixit, Nam ea ratione oporteret eos negare, & totam scripturam & prædicandi officium. Hoc totum enim à Papa habemus. Fatemur nãque, ait, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, immo omne bonum Christianum, atque etiam inde ad nos peruenisse. Fatemur, inquam, in Papa ueram esse scripturam sacram, uerum baptismum, uerum sacramentum altaris, ueras claues ad remissionem peccatorum, uerum prædicandi officium, uerum catechismum. Dico insuper sub Papa ueram Christianitatem, immo uerum

rum

rum nucleum Christianitatis esse. Hæc ibi dixit Lutherus, quidem à manifesta ueritate ista, de qua agimus, coactus uictusque.


Sancta Ecclesia Romana si consideratur ut est ecclesia quædam particularis cathedralis, multas habet similes cathedrales in Orbe. Si consideratur ut est Metropolis, multas habet similes Metropolitanas. Si consideratur ut est Patriarchalis, multas habet similes Patriarchales. Si autē consideratur ut habet sedem Apostolicam, Petri sedem, & Petri auctoritatem, sic considerata, non habet similem in terris. Sed ut sic, est caput, prima, atque princeps Orbis totius Christiani. Vt sicut partes Orbis, habent distinctas cathedrales per Orbem: sic totus Orbis habeat hanc unam cathedralē, in qua nunc est & semper fuit à beato Petro usq; modo, Petri Apostolica sedes, atque Petri Apostolica auctoritas. In qua ob id, qui præsidet, non solùm urbis Romæ, sed & totius Orbis est Episcopus, Pastor, atq; Rector. De his S. Thomas multa dicit contra Gentiles, quæ omittimus, breuitatis causa: concordat cum aliis sanctis patribus, & quæ dicta sunt, sufficiunt. S. Tho. lib. 4. cap. 74. 75. 76.

Hæc igitur Ecclesia est audienda, quia caput, quia mater, quia magistra, quia domina.

Aduersariis igitur nostris quoad istam obiectionem ita respondemus, Audi fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga ea in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo: cum ambulaueris gradiantur tecum, cum dormieris custodient te, & euigilans loquere cum eis. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longæuus super terram. Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vellem etiam, idque ex corde opto propter bonum & salutem ipsorum, ut ipsi illam sententiam Domini Ioannis Gersonis olim Cancel. Pariensis aduerterent & intelligerent, qua docet, aliud esse quòd aliqui obedientiam sanctæ Ecclesiæ Romanæ nunquam acceperint, & aliud esse quòd, aliqui obedientiam sanctæ Ecclesiæ Romanæ aliàs acceptam relinquant. Nāque, ut ipse auctor illuminatus optimè notat, quoad illam à nobis recipiendam, est præceptum affirmatiuum; quoad illam autem à

nobis non relinquendam, est præceptum negatiuum. Vnde quantum ex natura præceptorum deducere licet, quodammodo strictius tenentur homines illam obedientiam iam receptam non relinquere, quàm teneantur illam nunquam receptam accipere. Non quasi à toto genere maiora sint præcepta negatiua, quàm affirmatiua: sed quia alio modo obligant, propter naturas uarias ipsorum præceptorum. Obligant enim præcepta negatiua semper, ad semper, & pro semper, ut, Non occidas. obligant autem præcepta affirmatiua semper, sed non ad semper, seu pro semper, ut, uenerari parentes, dare eleemosynam.

F I N I S.



Venetiis, Ioan. Gryphius excudebat,
sumptibus Iordani Zileti.
M D LXIII.



42